

3

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ANTONIUS DE BONFINIS

RERUM UNGARICARUM
DECADES

EDIDERUNT

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI ET L. JUHÁSZ

— IN IV TOMIS —

TOMUS III.
DECAS III.

MCMXXXVI. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

RM

SAECULA XII-XIII.

- P. magister quondam Bele regis Hungarie notarius, *Gesta Hungarorum*, ed. L. Juhász, 1932. — — — — — 540

SAECULUM XIII.

- De orthographia (incerti auctoris),** ed. L. K. Born. (Apparebit.)
Garlandia, Iohannes de, Integumenta fabularum Ovidii, ed. L. K. Born. (Excluduntur.)

SAECULA XIII-XIV.

- Dantes Alagherius, Epistolae, edd. H. Nachod—P. Stern.** (Apparatus.)

SAECULA XIV-XV.

- Ravenna, Iohannes de, Epistolae, ed. L. Smith (in II tomis). (Ex-cuduntur.)**

Salutatus, Coluccius, De saeculo et religione, ed. B. L. Ullman. (Apparebit.)

SAECULUM XV.

- | | |
|---|------|
| Barbarus , Franciscus, Epistolae, ed. P. <i>Gothein</i> . (Apparebunt.) | |
| — Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis, ed. P. <i>Gothein</i> . (Apparebunt.) | |
| Barius , Nicolaus— Kostolan , Georgius Polycarpus de— Hungarus , Simon— Zagabriensis , Georgius Augustinus, Reliquiae, ed. L. <i>Juhász</i> . 1932. | 1.50 |
| Bonfinis , Antonius de, Rerum Ungaricarum Decades, edd. I. <i>Fögel</i> —B. <i>Iványi</i> —L. <i>Juhász</i> . (in IV tomis). | |
| Tomus I. — Introductio et Decas I. 1936. — — — — — | 14.— |
| Tomus II. — Decas II. 1936. — — — — — | 13.— |
| Tomus III. — Decas III. 1936. — — — — — | 13.— |
| Tomus IV. — Decas IV. et V libri decadis V. relictii et Index nominum. (Excuduntur.) | |
| Brandolinus , Aurelius Lippus, Dialogi, ed. P. <i>Angyal</i> . (Apparebunt.) | |
| Callimachus Experiens, Attila. Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia, ed. T. <i>Kardos</i> . 1932. — | 1.70 |
| Corsinus , Amerigus, Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem, ed. L. <i>Juhász</i> . 1934. — — — — — | 2.— |
| Cortesius , Alexander, De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hungariae regis, ed. I. <i>Fögel</i> . 1934. — — — — — | 2.— |

Vide paginas 3. et 4. involucris!

ANTONIUS DE BONFINIS
RERUM UNGARICARUM DECADES

DECAS III.

LIBER I.

Post regis Lodovici mortem due filie cum nepote Carolo super-¹
fuere; harum altera Ungarie, Polonie altera sortita est regnum.
Maria natu maior, minor Adviga fuit. Carolus ex cognomento²
Parvus vivente adhuc Lodovico, quem Andree regis filium fuisse
aiunt, Neapolitanum, ut deinceps referetur, occupavit, quem quidem
an Lodovici, ut plerique, filium an ex Andrea fratre nepotem dicere
ausim, nondum satis exploratum habeo, nisi fortasse ab eo adop-
tatum plane dixerimus. Nam, dum hinc Ligures mari, hinc Aqui-³
leienses et Carrarii Lodovici socii Venetos terra vexant, paulo ante
Clodianam classem et transactam utrinque pacem Urbanus ponti-
fex Ioanne regine insolentiam domitare cupiens Lodovicum exora-
vit, ut se adiutore Andree fratribus mortem cumulatius ulcisceretur,
regnum recuperet, quod suorum fuerat, eiiceret Ioannam non minus
de suis quam Romana ecclesia male meritam. Delatam belli con-⁴
dicionem Lodovicus ne invitus quidem accepit, ut veluti utriusque filie
ita et nepoti regnum compararet et illud imprimis, quod suorum
auspiciis gubernari consueverat. Quare Carolo in Taurisino agro⁵
adversus Venetos, quemadmodum supra diximus, agenti mandat, ut
inde profectus Ioannam impetat, paternum regnum recuperare nitatur.
Carolus mandatis obtemperans vocatis ad se Venetorum oratoribus⁶
sub pretextu cum Veneto ac Ligure componende pacis ac etiam nulla
eius habita mentione, sed aperto, quod animo moliretur, tam pre-
propera in Ungariam festinatione rediit, ut comites octoginta ad⁷
Planim fluvium traiicendo amiserit. Iannotum Salerni principem
exercitusque sui ducem reliquit, quem in Etruriam properare iussit.
Iannotus Albricum Cunii comitem, et Ferrobracchium Germanum⁸
unius cohortis prefectum in societatem accepit. Etruriam hic in-
gressus coactis Florentinis exilibus in Senensem agrum descendit.
Senenses et Pisani Iannotum Salernitanum multa pecunia placatum
ab agri vastatione submovere. Id ipsum dum Florentini facere stu-⁹
dent, quia suos exules recipere cogebantur, a Iannoto nihil impe-
trare potuerunt. Ioannem Hancutum nominatum stipendio pacto
conducunt, ut eo duce Iannotum repellant. Dum id agitur, Carolus¹⁰
ex Ungaria cum octo milibus equitum advenit, in Aretinum primo

agrum erupit, urbem Guelforum et Gibellinorum factionibus agitata in ditionem accepit. Senensem mox agrum ingressus Florentinos infestat, qui dimisso confestim duce XL milibus aureum pacem Caroli mercantur. Hancutus Bagnacavallum oppidum Nicolao 11 et Alberto Hestensibus vendidit, quibus Astorgius Manfredus Faventiam paulo ante civium proditione clam abstulerat. Carolus deinde 12 urbem Romam, ut Urbanum pontificem adeat, recta contendit. Honorifice exceptus a pontifice data recuperandi regni potestate forti animo cum multis cohortibus et validissimo equitatu id adoritur. Occurrere continuo Ioanne regine copie, quas cum illico profligasset, 13 iter Neapolim versus facere pergit; redintegrato iterum exercitu hostes obstitere, quos cum sepe fugasset cecidissetque, Neapolim tandem pervenit, urbem facta mox ditione recepit. Reginam in 14 arce, quam Castellum Novum appellant, Ioannam obsedit, Albricum Ferrobracchiumque Germanum exonerandi regni gratia ultiro dimisit, ut preda aut quavis exercitum vi pascere studerent. Episcopum 15 Virdunensem Carolus Aretio sane prefecerat, qui factiones perosus Gibellinos et Guellos sine discriminē ullo tractarat. Cum civium 16 is animos nulla equitate beneficentiaque sibi conciliare posset, lacubum Carazolum Neapolitanum civem successorem sortitus est. Hic inita gubernatione, cum pari iustitia et equitate urbem factio- 17 sissimam pacare contenderet, suscitata e plebe Guelfa seditione in arcem reiectus est, quocum Gibellini quoque confugere. Carazolus 18 Albricum in Tudertino agro tunc agentem accersi iubet eumque in urbem noctu clam immittit, qui, dum Guelforum audaciam coercere conatur, Gibellinorum quoque bona diripuit, a mulierum violentia manus abstinuit. Ferrobracchius paulo post secutus, quodcun- 19 que superfuit, totum abrasit, ingenti etiam preda Florentinos afficit.

Hec anno octogesimo primo supra terdecies centenum acta 20 sunt, quo quidem tempore nova quedam e Gallia tempestas exorta Italianam incessit. Lodovicus enim Andegavensis Francorum regis et 21 Clementis antipape suasu impulsus non tam Ioanne liberande quam deponendi Urbani gratia cum XXX equitum milibus Italianam ingressus in Bononiensi primum agro desedit. Carolus periculum im- 22 minens conspicatus relicto nobilitati Aretio Albricum et Ferrobracchium ad se revocavit. Quin et Florentini ab Urbano pontifice 23 exorati Hancutum ad Carolum misere. Lodovicus per Marsos ad saltum Cassinensem pervenit. Anno secundo post Andegavensis 24 adventum duodecim quiritum milia e Gallia ad hunc transmissa, qui per Placentinum, Lucensem, Florentinum et Senensem in Areti- 25 num tandem agrum Andegravio duce pervenere. In urbem a Guel- 26 fisis immissi reluctantibus domi forisque Gibellinis urbem tertio post Albrici cladem anno diripuere. Urbis arcem Guelforum presi- 27 dium tenebat, que diebus circiter quadraginta oppugnata in Gallorum sane potestatem venisset, nisi Lodovici fatum intercessisset. Quo quidem cognito Andegravius exoratus deserta expeditione 28 Florentinis urbem vendidit, soluta mox obsidione in Galliam rever- 29sus est. Pari quoque trepidatione Lodovici exercitus subinde solu-

tus est et solutione usque adeo turpi, ut mendicantes bini trinive milites in Galliam se receperint. Urbanus deinde cum universis 30 aulicorum ordinibus, ut nepotem Capuano principatu donandum curet, Neapolim proficiscitur, quod cum preter sententiam accidisset, spe frustratus in minas se convertit. Carolus intellecta pontificis ambitione ac inconstancia mox ei custodes adhibuit, quibus palatii exitum inhiberet. Urbanus dissimulata iniuria et impetrata 31 missione Nuceriam estivatum se venire simulavit, ubi numerosam cardinalium manum creavit; e veteribus septem, quos una cum rege in pontificem coniurasse dicebat, in carcerem sane coniecit. Adversus Carolum deinde agere occepit, ut eum haud iniuria regno 32 abdicare videretur. Diem Carolo abdicationis indixit, ut iure is in forum pontificium accersi videretur. Respondit Carolus se ad in- 33 dictum diem haud invitum affuturum et comparatis continuo legi- onibus Nuceriam profectus non ut reus, sed ut pretor et ho- stis obsedit, ut Marte potius quam centumvirali iudicio litem dirimeret. Intercessit Raymundus Baucianus Ursino genere natus 34 Nolanique comitis filius, qui Tarentinum post hec principatum nactus est; is copiis fretus, quas sub rege ductarat, Urbanum cum universo apostolico collegio ad maie deductum Ligustice classi imposuit. Qui, dum Genuam navigat, e septem cardinalibus, quos 35 Nucerie capi iusserat, quinque saccis involutos in mare demersit haud aliter atque parricidas, qui culleis insui et in profluentem de- mergi solent.

Sed ad Mariam historia nos redire cogit, ut, ex eius coronati- 37 one quid sibi Caroloque acciderit, deinceps rite narretur. Maria Lodovici filia, veluti pater testamento caverat, Sigismundo Branden- burgensi Caroli imperatoris filio et adhuc puero ex compacto ita nupserat, ut ad maturas usque nuptias virum non duceret, con- summatis nuptiis Sigismundum regni consortem pariter admitteret. Hanc ultro condicionem universa tunc Hungaria acceperat, cum im- 38 mortalia Lodovici regis beneficia omnes pariter obstrinxerint. Cum 39 intempestive adhuc forent nuptie Lodovicique patris merita uni- versos sibi devinctos haberent neque interregnum ipsi facile pa- terentur, Mariam tanto studio suffragiorumque successu tota Pan- 40 nonia in regni fastigium estollit, ut non modo reginam, sed regem pronunciarit salutarisque. Quod sexui natura detraxit, fortuna conci- 41 tatissimo favore rependit, pro regina rex passim salutatur et, do- nec virum duxit, iubente Pannonia pro rege semper appellata et in cunctis diplomatis rescripta est. Quin etiam Albam ducta subse- 42 quentibus cunctis antistitum, procerum nobiliumque ordinibus rite coronatur; ne corona quidem sacra divino quodam numine Un- garie principibus destinata hanc degignata fuisse dicitur; hinc quanta Lodovici beneficentia et quam pia memoria fuerit, facile coniici potest. Quanquam adolescentula regnum iniverit ac etatis 43 intempestivitate sui muneris magnitudini adhuc sat facere non posse videretur, materna tamen sapientia munus probe resarsit ac longe profecto commodius resarsisset, si dexleriorem illa fortunam, in

cuius potestate sunt omnium iura regnum, sortiri potuisset aut si e suo quam alieno arbitrio maxima queque gerere voluisset. Erat enim huic Nicolaus Gara vir non magis genere quam opibus ⁴⁴ spectatissimus, quem Lodovicus quondam ob rem bene gestam ad palatinatus, ut aiunt, munus evexerat; hunc potissimum Elisabetha mater in consilium admittere solita est, quando sibi fidum studiosumque noverat. Quodcumque regi Lodovico in vita ⁴⁵ exoluere non poterat, ne gratitudinis reus esse videretur, id omne uxori ac filie post mortem rependere nitebatur. Nunquam a regine ⁴⁶ latere discedebat, ne imbecillum sexum in tanta animorum varietate periclitari pateretur; quantum in se fuit, Elisabetha consulabat, quecunque dignitati aut saluti convenire viderentur. Contra ⁴⁷ illa vehementissimam palatini fidem intelligere, nimium ei credere, ex eius profecto sententia cuncta gerere, ne illo quidem inconsulto quicquam agere, quando in viro non parum fidei et consilii iam inesse, quin etiam totum servitio suo addictum esse noverat. Hic multum auctoritatis apud reginam adeptus parum commode ⁴⁸ consulere subinde cepit, ne suos proceres nimis extollat nimiumve donet; hortatur, quandoquidem iam potentes effecti imperata non ⁴⁹ faciunt, detrectant fidem et obsequia et repentina insolentia cor-
repti aliquid novitatis moliri conantur, satius esse hos ita tractare, ne nimium obesse possint; item prepotentibus quibusdam attenuandas esse vires, auferendos quoque magistratus, quicunque for-
nidolosi sunt, ne quid insolentius audeant; fidelibus tantum viris, qui nunquam a latere abeant, honores ac munera conferenda;
neminem se in Lodovici prolem spectatioris esse fidei constan-⁵¹
tieque, cum vetera illius in se merita oblivioni tradere nullo modo queat. In dicionem proinde suam regine mentem trahit, per-⁵²
suadet, quecunque cupit, et pro libidine sua cuncta facit. Occepit ⁵³
ex hoc illa multos sibi e proceribus habere suspectos, in plerosque profecto immerentes odium et suspicionem concipit seque ipsa temere in nonnullorum invidiam trahit, item odio haberi cepta, quia non omnes eque diligere videbatur. Cum alias hono-⁵⁴
rando preferret, ne mediocrem quidem discordie ac dissensionis materiam serit inter proceres, quicunque se Nicolao prestantiores esse reputabant; eum unicum posthabitum ceteris in consilium ad-
mitti gravate ferebant. Conflata hinc immodica inter optimates odia ⁵⁵
et in Garam presertim domum, quippe que non solum predomi-
nari, sed quemvis procerum e regine gratia submovere ac deprime-
re nitebatur. Hinc quoque immortalia Lodovici merita oblite-⁵⁶
rari cepta fastidirique virginem plane sceptrum et pro nihilo duci.
Suborta quoque mutua inter magnates nobilesque bella, vim pa-⁵⁷
lam pro se quisque inferre, rapere aliena, vicos et oppida ferro invadere. Multi etiam rebellare, e proceribus plerique deficere, qui ⁵⁸
alium regem creare pergebant. Perfidia hos primum incesserat Zaga-⁵⁹
briensem episcopum Iiala gente natum et hac a Lodovico dignitate donatum, item Stephanum vaivodam Transylvanum et Andream fratres, quibus Ladislaus pater fuerat, nec non et Stephanum Sy-

monthorniam et Ioannem Croatię presidem ac Ioannem denique crucigerum equitem Auraneque antistitem, qui quidem omnes aduersus Mariam coniurati Lodovici beneficio quondam honore et opibus excreverant, quamvis humili loco nati forent. Ex compo-⁶⁰ sito ceteros clam adeunt, femineum incusant et execrantur impe-
rium, vanam damnant Ungarorum patientiam, Nicolai Gare tyran-
nidem ingeminant, variis criminibus insimulant et, quid périculi
cuique nobilium instet, variis argumentis ostendunt. In horum pleri-⁶¹
que sententiam concessere et imprimis illi, qui novarum rerum
avidi esse solent. Addebat ad hec reginam bonis omnibus aver-⁶²
sam preclusisse aditum, Nicolaum dumtaxat in consilium admitti,
alios aspernari, maximam nobilitatis partem torvis oculis intueri,
Garam tantum familiam respicere, sordere illi procerum servitia
neque, quantum olim sanguinis Lodovici temporibus hauserint,
memoria tenere; proinde nihil feminarum imperio formidolosius et⁶³
intolerabilius esse, demum, si de optimo ac legitimo rege cogi-
taretur, haud ab re fore. His ne parum quidem dictis coniuratorum⁶⁴
numerus amplificatur, in quem magna quoque equitum se multi-
tudo insinuavit. Cum hi, quos diximus, a Marie fide descivissent,⁶⁵
clandestina inter se concilia sepius de eligendo rege habuere,
unicuique solus Carolus ex cognomento Parvus veniebat in men-
tem, quem quidem Apulie regem regali genere natum et Lodovici
nepotem haud invitis populis tuto Marie imperio et Nicolai tyran-
nidi opponere se posse sperabant.

At, ubi inter eos de Carolo evocando conventum est, Zaga-⁶⁶
briensem uno consensu antistitem ad eum oratorem mittendum esse
decernunt; id negotii sibi demandatum non invitus is accepit,
quando factionis huiusc auctor erat. Ut cautius res agatur, femi-⁶⁷
nea interim imperata faciunt, solvunt vectigalia et nulla denique re
legitima obsequia detrectare videntur. Orator, ne quid novi moli-⁶⁸
turus in Italiā proficisci videatur, exolvendi voti et magne re-
ligionis gratia se Romam profecturum simulat. Nondum annos⁶⁹
Maria duos plane regnarat, cum is ad evocandum Carolum in Ita-
liam contendit. Cum Sipontum appulisset, continuatis itineribus
Neapolim venit; quo cum venisset et formidolosam in re quale
gravissima cunctationem esse reputaret, nil profecto sibi fuit anti-
quius, quam regem Carolum quamprimum adire, exponere mandata
et in sententiam continuo suam illum-trahere. Quare sine mora Ca-⁷⁰
rolum confestim adit ac impetrata clam dicendi copia fausta in
primis salutatione usus sic eum præreverenter alloquitur:

Sanctissima progenitorum tuorum memoria, qui, cum regnum⁷¹
nostrum pientissime semper gubernarint, nulla oblivione oblitterari
queunt, nos huc adegit, ut ad te haud aliter atque ad veras sa-
crorum Ungarie regum reliquias confugeremus rati nos, qui tuorum
iuris dicionisque semper fuimus, in calamitatibus nostris a te nun-
quam destitutum iri. Quin et obfirmatis hoc semper animis certo⁷²
speravimus Pannonicam te gentem, que sub tuorum tutela fuit, in
utraque nunquam fortuna deserturum. Non ignoramus, clemen-⁷³

tissime princeps, sacrorum regum sanguinem ad te unicum iam esse redactum et in tanta principum orbitate te superesse solum, quem tuam Ungariam curare et avitum regnum gubernare oportere intelligimus atque ut, quod nobis opus esse intelligimus, facile speremus. Maiestatis tue prestantia nos hortatur, in quam omnium tuorum sapientiam, virtutem fortunamque confluxisse intuemur.
 Quare, cum spes unica sit nostre gentis, veluti ex mandatis dudum intelliges, nos ad te potiores Ungarie proceres miserunt, ut fluctuantis regni et hereditatis quandoque tue reminiscaris neve usurpatum Italie imperium avito anteponas. Quam honesta sit adventus nostri causa, rex, brevibus accipies. Post Lodovici mortem de tota Ungaria et Christiana republica ita bene meriti, ut inter divos haud immerito referendum esse censeamus, incredibili favore omniumque suffragiis ordinum, quando neminem alium heredem eius in Pannoniis intuebamur, ob tanti parentis gratiam, qui nos immortalibus meritis obstrinxerat, Mariam gnatam regem salutavimus atque ita iussimus appellari, ut hac promptissima gratitudine Lodovici manes admodum promereremur nobisque semper propitios haberemus rati quoque id non minus insolentie quam utilitatis nobis allaturum. Insuper tanto plausu eam coronavimus, ut non plus doloris Ungarie patris desiderium quam letitie inaudita Marie regis exclamatio dedisse videretur. Verum, postquam femineo cuncta arbitrio geri cepta sunt, longe aliter, ac spes nostra tulerat, accidit. Elisabetha maler, cum intempestivam adhuc regno filiam ac sceptri impotem esse nosceret, ut eius resarciret officium, omnia pro sua et palatini Gare voluntate gerere cepit, illum tantum in consilium admittere, repellere alios proceres et pro palatini libidine cuncta disponere. Multas is Elisabethae temere suspiciones iniecerat, deferebat quotidie aliquos, depravata consilia suggerebat, suadebat, ut plerosque sublatis honoribus sensim attenuaret, quorum virtutem formidolosam esse reputabat. Non igitur Maria neque mater infelix regnum gerit, Carole, sed palatinus solus est, qui late in Ungaria dominatur sevamque tyrannidem agit et pro libidine sua regine bonis viris aditum precludit; hos modo evehit, modo deprimit illos. Unde tanta cunctos optimates incessit indignatio tantaque facinorosos invasit audacia, ut depresso pudore concilatisque legibus et iudiciis vis passim inferatur, exerceantur ubique latrocinia, e proceribus alter. alteri bellum indicat, incendat vicos, homines et pecora abigat, ferro incendioque demum omnia compleantur. Quin et ex privato bellum publicum exarsit, immo civile ac intestinum, quo mutue procerum nobiliumque cedes in dies augentur. Maria fluctuantis regni habenas, nacta partim per sexum partim per etatem tantis rebus moderari nequit neque secus ac Phaethon puerili inscitia et alieno furore trahitur et quasi solio excussa diffusa late incendia stupens timensque conspicit. Huc fatua nostra pietas et vana fides adduxit, ut, dum Lodovici nos manibus gratificari studemus et idcirco Mariam regem stolide creaverimus, in gravissima nos ipsos et fortunas nostras mala coniecerimus. Ma-

xima pars optimatum ad te me nunc venire iussit, ut, veluti maximo studio nuncupatissimisque votis te optavimus creavimusque regem, ita te miniime cunctantem in Ungariam ducerem. Quam- 86 obrem antistitum procerumque consulto ad te venimus, Carole unica sacrorum regum veneranda propago, ut delatum sine mora regnum lubenter accipias, regnum, inquam, non tam a nobis tibi traditum quam, quia avitum est, hereditario tibi iure debitum, quod sine impietatis ignavieve nota recusare non potes. Hoc, quod 87 deferimus, tuum est, quod in Italia possides, alienum et pontificie obnoxium dicioni, quod quidem precario tantum haberi potest, item insidiosum, varium et fallax. Quid in eo Andreas ille tuus 88 quondam subierit, quot bella Lodovicus et Ungari gesserint, quantum sanguinis effuderint, quot mala tolerarint, utinam hec, ne obducta iam vulnera rescinderem refricaremque, mitius dicere liceret. Nunc autem, quid Urbani pontificis iniquitas moliatur, satis super- 89 que tibi compertum habere debes, quippe qui, si sacrosancto collegio suo facinorosas manus non abstinuit, quoniam pacto tibi parcer, quem non ad regnandum in Italia, sed ad eiiciendam Ioannam sibi admodum infestam e Pannoniis evocavit? Proprie potius 90 quam alienae semper utilitati pontifices studere iam longa te experientia satis docere debuit. Item tu quoque testis esse potes, qui 91 tot bella pro Neapolitano regno gessisti, quam varia sint Italorum studia et quot artes, quas precavere nemo unquam etiam sapientissimus potuit. Hoc regnum nunc Romanos nunc Grecos nunc Go- 92 thos nunc Longobardos et post hec Gallos, Germanos, Normannos Aragonesque mutavit nec aliquando Sarracenos expavit; sola novitate principumque strage gloriatur et gaudet; nunc sub aliena dizione id et precario possidere opus est. Quam varie sunt pontificum voluntates et quanti eorum favores constant, tuorum exemplo, immo tuo exactissime novisti. Proinde consule rei tue, Carole, 94 memento te esse Ungarum et e sanctorum regum genere natum tibique persuade te tutius apud tuos quam alienos versipellesque imperaturum, quamvis pre sapientia viribusque tuis et Ungarorum ope utrunque retinere poteris. Plurimos finge in hoc regno tibi 95 inimicos, immo crede, quando quotidie experiris. Severina domus vetustate opibusque prepotens infesta tibi est, pontificem habes multo infestissimum. Ne Galli quidem desunt inimici, qui regno electi et 96 terra marique potentissimi nihil aliud dies noctesque moliuntur, quam ut debitum sibi imperium recipient. Quod, si proprii commodi 97 ratione haudquaquam moverere, anne pietatis officio te nunc abalienari fas est et tuam gentem deserere estuantissima procella fluctuantem, cuius ope ac multo sanguine Neapolitanum tibi regnum comparasti? Num fluctuante Ungaria in otio tibi residendum est, 98 quam si perditam videris, neque hic neque ibi profecto regnare poteris? Quare collacrimans ac supplex te nunc obtestatur et obsecrat Ungaria, ut in tantis malis se respicias, quippe que non modo externo, sed intestino quoque bello laborat misereque vexatur. Gens 100 misella ex polo altiore profecta ad Danubium occupatis sedibus

omnes finitimos infestos habet, in medio hostium sita est et, quando nunc forti moderatore caret, domi forisque sevo bello conficitur. Num siccis id oculis et pacata mente spectare poteris, cum in Ungarica salute tuam quoque sitam intelligas? Proinde, princeps invictissime, quem Pannonie regem faustis auspiciis a principio salutavimus, hanc expeditionem, age, forti animo adorire, copias tibi spectatissimas coge, dispone exemplo regnum fidaque presidia ubique distribue. Viaticum tibi abundans attulimus, exercitum quoque coegimus, qui ad pacandam Pannoniam satis superque tibi erit. Modicis tibi copiis opus est, quandoquidem ad aspectum tue maiestatis arma quisque deponet, cum salutarem adventum tuum omnes expectent. Veni igitur, Carole, et regnum tibi hereditarium recipe, miserere, quesumus, patrie gentis, cuius fide ac ope tantum nominis et imperii tu cum progenitoribus tuis comparastis. Cogita idem nunc eorum manes te efflagitare ac petere supplices, qui suum regnum, quod tanto studio in vita curarunt, nunc in rerum omnium discrimen redactum per ignaviam et impietatem suorum ire perditum egerrime ferunt. Felicibus itaque auspiciis faventibus que omnibus divisorum regum numinibus arma cape in Pannoniasque traiice, magnatum discordias compone, extingue incendia et intestini belli faces, quas imbecillum mulieris ingenium pre sexus infirmitate extinguere nequivit. Paterni regni habenas cape, quibus feminee manus moderari non possunt; gentem tuam externo bello circumventam protege, que ducem optimum sortita universo orbi semper formidolosa esse consuevit. Quanquam vana pietate calamitosaque imprudentia peccavimus, cum femineo nos imperio fecimus obnoxios, tuus tamen adventus errata corriget et sceptrum, quod femineas mollesque manus abominatur, a potentissima tua dextera susceptum feliciter cuncta disponet. Itaque delatum tibi regnum accipe et te ad faustissimam expeditionem confestim et audacter accinge.

Secundum orationem mandatorum litteras ostendit potiorum principum sigillis obsignatas et viatici et auctorandi militis collatam stipem depromit. Carolus Zagabriensis oratione persuasus letissimo antistitem vultu amplexatus gratias imprimis proceribus et legato ingentes ait ei, cum res sit maximi sane momenti, ne quid temere adoriri videatur, tertio die se responsurum pollicetur. Interea honorificentissimo hunc hospitio excipi iubet, deinde se solum ipse admisit in consilium. Hinc quietis ratio, coniugis liberorumque suavissima consueludo et partum nuperrime regnum in Italia quiescere suadet. Neque illud fugiebat, quam formidolosum sit et arduum nova quotidie moriri, incerta pro certis querere, quo plura tentaverit, eo gravius fortune imperium subire et per maiora quotidie discriminata vagari. Hinc seve imperandi cupiditas miserabiliter angebat se liberis prospicere oportere, utile glriosumque fore alterum Ungaris, Italis alterum preficere et se utroque regno potitum cuncta facile pacaturum. Succurrebat interim laborantis Un-
garie commiseratio ignavieque nota atque virum, quem natura ge-

nusset ad regnandum, si oblatum et hereditarium regnum ultro recusarit, pusilli crimen animi nunquam evasurum. Vicit tandem regnandi cupiditas et, quando carissima sibi uxor erat, consilium cum ea communicare statuit, aperit illi animum et, qua potest, ratione in sententiam suam trahere nititur. Legatos ab Ungaris venisse nunciat, qui regnum offerunt, occasionem hanc censem haud quaque aspernandam, quando, quam varia sint Apulorum studia et Italorum insidie, experientia docuit. Addit Urbani pontificis et Severine domus inimicitiias, item infestos Gallorum animos, qui ingentem nuperime classem et terrestres copias in ipsum comparant; preterea se filium natu grandiores secum in Pannionam ducturum, se regno potitum confessim gnato sceptrum et diadema traditum pacatisque rebus in Italiam continuo redditum, ut Ungaricis opibus et auxiliis Neapolitanum quoque imperium tueatur; demum, quando potestas omnis a deo est, se non invitis regum numinibus ad avita sceptra vocari. Cum hec uxor accepisset, veluti imminentis presaga mali tanto dolore correpta est, ut hec lacrimans verba fecisse dicatur:

O quam malis huc auspiciis infausti ad nos legati advenere! o quam depravato cuncta iudicio, mi Carole, pensitasti! Nescis, heu, nescis, quam gravis semper fuerit Ungaria malorum omnium officina. Tot intestinis illa dolis simultatibusque completa est, ut, donec mutuis externisque cedibus ad internectionem pervenerit, nullum unquam otii vestigium in Pannoniis intueare. Gens est, cuius animus nunquam patet, novos in horam dolos excudit, decies in hora mutatur; vultus ad alienae mentis habitum effingitur, aliud in ore est, in corde aliud, quod cum semper subornatum sit, ex alieno semper incommodo ac regum mutatione sibi questum facit. Exultat cedibus, crudelitate gestit et plus quam barbara passim feritate grassatur. Nil quiete vehementius abominatur; primas ex more in suum regem insidias intendit, quod superiorum te regum exempla docent, e quibus, si recte memineris, quid tibi consilii capiendum sit, facile colliges. Proinde, coniunx dulcissime, perfide gentis pollicitationes abnue; non regnum ii patrium, sed proprium tibi deferunt exitium. Scythicus artibus ne crede, queso, Carole mi, si tibi tuorumque saluti probe consultum iri cupis. Habenda est etiam sororum tuarum ratio neque Lodovici manes de te, de patre tuo optime meriti mente tibi excidere debent. Paulo is ante mortem te cum validissimo equitatu misit in Italiam; suo ductu et auspiciis Apulie et regnum occupasti. Sat igitur ample in Italia dominaris; hic tibi regnum, hic liberi, hic uxor est, hic tua deinde est Ungaria; pro hac pugna, hos tuere. Nefas quidem est te Ludovici violare testamentum, quippe qui Marie, cui Sigismundum Caroli imperatoris filium pro viro destinarat, Ungarie, tibi vero Apulie regnum legarat. Si quid in virginem innocentem in paterno regno sitam pro aliena libidine molieris, gravissimas, mihi crede, penas expendes. Nunquam innocentis sexus et presertim feminei calamitates et iniurias deus equo animo toleravit, in cuius tutela

potissimum sunt virgines constitute. Non regnum, Hercle, repetis, ¹³⁴
sed in tuum sanguinem arma sumis, Carole, unde tibi liberisque
tuis paras exitium. Quod, si huiusce regni discrimin obiicis, ne ¹³⁵
tibi rebusque Italicis diffidas, explorata dei benignitas hortatur.
Oihonem Bavarie ducem paulo ante numeroso exercitu Italiam in- ¹³⁶
gressum, ut te regno eiiceret, divina ope reppulisti. Cum XXX equi- ¹³⁷
tum milibus Lodovicus Andegavensis Italiam inundavit et repentino
mox fato preventus tantum exercitum in tot calamitatibus dimisit,
ut bini ternive mendicando in Galliam se receperint. Quare Pan- ¹³⁸
nonum artes cave, oblatum regnum, immo cedem exitiumque tuum
recusa. Sacram tui sanguinis aulam ne incestato neve Lodovici vio-
lato manes, quod, si contra feceris, perniciem hinc tuam, quod di-
vina benignitas avertat, imminere scito.

His dictis humi prostrata regis genua supplex amplexatur et ¹³⁹
ne expeditionem infaustam suscipiat, per deos, per liberos, per
cuncia denique humana divinaque obtestatur. At ille pertinacius ¹⁴⁰
proposito instat, mulieris animum consiliumque a sexu metitur,
neconon coniugali haud parum affectui tribuit. Post, ubi adversam ¹⁴¹
sibi uxorem intelligit, mentem dissimulat, solatur pro virili sua et,
ne quo se metu cruciet, admodum hortatur. Dimissa uxore ingenti ¹⁴²
propagandi regni cupiditate succensus legalum acciri iubet. Cum ¹⁴³
ille subinde venisset, rex gratiora opinione responsa dat se delat-
um Ungarie regnum ultiro accipere, sacrum diadema et tanti mo-
menti sceptrum, que suorum maiorum insignia fuere, quando sine ¹⁴⁴
scelere facere non posset, nunquam recusaturum, immo nil sibi
oblato munere antiquius futurum; debitum se perpetuo Panno- ¹⁴⁵
nibus, qui regalium reliquiarum non obliiti e media eas Italia ab-
ducere studuere; si inita iam consilia bene successerint, cumulatas ¹⁴⁶
se omnibus gratias et universo regno salutem relaturum. Interea, ¹⁴⁷
quecunque moliatur, omnes reginam celare iubet, ne plus equo
excarnificetur. Zagabriensis antistes responso gratissimo potitus ad ¹⁴⁸
parandam classem hortatur. Horrebat tunc seva hiems. Carolus, ¹⁴⁹
dum navigare non licet, classem struit, delectum habet, pecunias ¹⁵⁰
congerit, commeatus undique precipit afferri. Legatus allatis eum
nummis adiuvat, quecunque bello sunt usui, comparari studet. Ca- ¹⁵¹
rolus iam cuncta rite parat, ne maxima cepta temere inivisse vi-
deretur, et, ne regni Neapolitani periculo sollicitaretur, omnis ar-
ces munitionibus, presidiis et commeatibus satis instruxit, fidos
provinciis prefectos imposuit.

Compositis demum Italie rebus, cum navigationis dies instaret, ¹⁴⁸
uxorem solatur, ne proficiscentem virum tam misere deploraret.
Quanquam ambitione traheretur, uxoria tamen dicta animo volu- ¹⁴⁹
tabat et admodum verebatur, ne certi hec augurii locum sortirentur.
Quare, ne qua reginam desperatione conficeret neve suscepte ex- ¹⁵⁰
peditionis periculo universam domum committeret, filium, quem
secum ducere statuerat, in matris solacium reliquit, quam alio pacto
nunquam ab intemperato dolore coercere potuisset. Hec ubi omnia ¹⁵¹
rite disposuerat, primo tempore cum honestissimo regulorum et

nobilium equitatu Sipontum venit; legatus nunquam a latere discedebat, qui, ne regine lacrimis et precibus mollitus remoraretur, summo studio caverat. Paratam ibi classem concendit tempestivamque nactus navigationem octavo die Seniam appulit. Ex composito ante eius appulsum cum una legione nonnulli proceres illuc sene convenerant, ut advenientem Carolum honorificentius exciperent et in primo regni aditu regem salutarent. Cum maximo plausu et congratulatione Seniam introducunt faustis eum cognominationibus acclamantes. Curatis ibi triduo corporibus instructo agmine montem Adrium superant sextoque die Zagabriam veniunt. Antistes urbis, quem Vicum plerique Italicum quondam vocitatum fuisse volunt, ut pro legationis officio magnifice regem acciperet, quam gratissimo potuit, hospitio Carolum admisit. Aliquot ibi dies cunctandum esse censuit, ut novi regis adventum omnes audirent, quo plures a mulierum fide deficerent, femineum aspernarentur imperium et eius in dies expectatio augeretur. Hinc litteris interea fautorum numerus amplificatur, incenduntur amicorum studia, nuntiantur animi confirmantur et adversariorum pars magna partim promissis partim largitionibus conciliatur; quin etiam facinorosis impunitas, immunitas civitatibus, vectigalium remissio populis, militibus stipendia magna promittuntur. Clandestini quoque nuncii ad regulos et proceres mittebantur, ut suffragia undique pararentur; multis honores, pontificalus ac munera maxima proponebantur. Quibus quidem artibus tot favores sibi Carolus plane conflavit, ut nemine reluctante regiam occupare posse videretur; quare multorum quotidie litteris ad capessendum regnum invitabatur.

Quecunque hactenus in eas Carolus moliebatur, ne Maria quidem et Elisabetha penitus ignorabant; dissimularant profecto multa, quando femineo sevire imperio non licere intelligebant; ad id viro duce opus esse noverant. Sigismundus, qui vivente adhuc Lodovico puer ex Augustali in regiam aulam translatus erat, ut Ungaricam linguam et mores ibi regnaturus imbiberebat, intellecta novarum rerum mole ac festinante socru nuptias celebravit, ne quo regale connubium impedimento rescindi posset. Cum debitum sibi regnum haud parum invidie sane conflasset, quam Caroli factio suscitarat, ad declinandas Ungarorum insidias, cum suum competitorem adesse novit, deserta coniuge in Bohemiam se recepit. Transactarum fama nuptiarum mens Caroli admodum consternatur, siquidem Cesarem sua causa gnatum Ungarie regno exigi nunquam equo animo toleraratum arbitrabatur, sed pro restituendo filio extrema queque tentaturum; itaque admodum sibi timere ceperat, quoniam imperatoris vires et auctoritatem minime ignorabat.

Mulieres post Sigismundi abitum in regia deserte dissimulata novitate nuncium ad Carolum mittunt percunctantes, an is ut frater patrue lis, an ut hostis venturus esset. Atque hoc haud ab re se facere scribunt, ut, si fratrem excepture sint, obviam, ut par est, prodeant debitisque officiis excolant; sin hostem, quod minime credunt, inermes veniam exorent. At ille dissimulato scelere sororis

gratia, quam regni procella nimium vexari audiverat, se Lodovici plentissimi memoria commotum venisse respondit, ne Mariam tot malis obsitam periclitari pateretur. Ad componendas procerum discordias, ad curandas simultates, ad pacandum denique regnum Pannonias revisere profitetur, proinde metu quoque et suspicione ambas carere iubet. Spem Sigismundi timore collapsam resumit; ¹⁶⁹ nam, dum mulieres, que per nuncium significarat, credere arbitratur, sub caritatis auxiliique pretextu regnum tuto occupare confidit, quare Budam versus iter ocius init; eum et sue et amicorum copie subsequuntur. Regine quoque accepto responso, quanquam ¹⁷¹ sibi intelligerent verba dari, tamen, cum hostis adventum vi repellere non possent, pari hunc arte eludere pergunt, dolis certandum esse censem, quando se quoque dolis peti sentiunt. Se ad excipiendum fratrem non hostem accingunt, ubi Carolum appropinquare rumor est; aurato curru invecte in occursum prodeunt, dolorem metumque dissimulant. At, ubi ad congressum perventum ¹⁷³ est, hilari fronte accipiunt, mutuis se amplexibus confovent, ob sanguinis memoriam lacrimas interfundunt, quamvis utrique pariter ambitio inhereret. Mox Budam una iunctis agminibus iter capiunt. At, ubi civitatem subeunt, Carolus, ut suum eo magis animum celaret, modestiam caritatemque preferret, non arcem ac regiam, sed privatum hospitium subivit et, donec occasio daretur, regalibus tectis abstinentium esse censuit.

Cum inter Mariam et matrem ibi medius consedisset, Elisabetha hec verba fecit: Nemo satis caritatem tuam, Carole, admirabitur gratissimumque animum dignis laudibus prosequetur, qui nostri gratia et Lodovici memoria regno, uxore liberisque relictis calamitates nostras et Ungarica mala miseratus traecto mari superatis Dalmatiae montibus in Pannoniam venisti. Rem profecto non ¹⁷⁵ minus te quam maioribus tuis dignam fecisti et, quanti Lodovici regis beneficia feceris, plane hoc tempore ostendisti, quippe qui re postulante parem gnate vicem referre studes. Lodovici pietatem ¹⁷⁷ emularis, qui et quid pro patre tuo et quid pro te gesserit, salutari hoc adventu tuo probe significasti. Quecunque in nos beneficia contulisti et maiora in dies conferre pergis, quamvis hinc nos tibi perpetuo debituras ingenue fateamur, cumulatas tamen si a nobis gratias, quando femelle sumus, sperare non potes, a deo ¹⁷⁸ cumulatissimas tandem exiges, qui uberrima prestite pietatis officia repedit. Nos tibi deditissimas esse scito, fortunis et auctoritate nostra pro arbitrio tuo utitor, tuum, ut par est, sanguinem tuamque sororem tutator, interea, quando labor itineris ita iubet, in humili, quod optasti, hospitio requiescito. Carolus ad hec, quod grato se ¹⁸⁰ hospitio acceperint, gratias ait, ad solvendum caritatis officium se venisse iterum affirmat asseveratque se magnanimi piique Lodovici beneficia nunquam obliteraturum.

Post hec digresse mulieres in regiam se recipiunt et, quid Carolus in dies moliatur, sagaciter investigant; adeentes et abeentes observant, subornant exploratores multos, qui cuncta diligenter in-

quirant. Nicolaus interea palatinus, cuius invidentia factiones ex-¹⁸²
orte fuerant, a regine latere non discedit, stipatores cum pretoriana
cohorte fidelissimos adhibet, ne quid insidiarum Marie intendatur;¹⁸³
cum hostem in media pene regia intueatur, qua possit, arte pre-
senti hanc periculo liberare huc omnis ingenii nervos intendit.
Dum insidiis utrinque certatur, Carolus occupande arcis tempus¹⁸⁴
observat, concursum ad se procerum in dies augeri, contra muli-
eres ac regiam a paucissimis adiri contemptuique sensim haberi
conspicatur. Imprimis, ut rem tutius agat, gubernatoris ad decli-¹⁸⁵
nandam adversariorum invidiam sibi nomen usurpat, sub gubernationis
pretextu arcem regiam subit. Interea perniciosorum quorundam opera ad declarandum hunc regem et ad deponendam Ma-¹⁸⁶
riam plebs ipsa sollicitatur, quando, feminei sexus imbecillitate sub
Marie imperio quot mala Ungariam incesserint, quisque novit. At¹⁸⁷
illa novitatis avida mulieribus primo clam illudere cepit, mox palam
dicere infelices Ungaros, quibus mulier imperat, prepostorum hu-
manarum rerum esse ordinem, qui viros feminis fecit obnoxios,
inversa iam esse nature iura nec superesse aliud, quam ut viri mu-
lierum loco nent, pensa disponant, contra ille pro his arma su-
mant et virilia passim munia obeant; proinde inversos nature mores¹⁸⁸
non ultra tolerandos, virile revocandum esse imperium, ne effemi-
nati ubique gentium Ungari predicentur. Hec dum ille audiunt per¹⁸⁹
vicos, compita foraque vulgo inclamari, non tam regni iactura quam
vite periculo graviter angebantur rate instare mortem, tumultum et
seditionem imminere, se dudum perfidia procerum ad extrema sup-
plicia raptum iri, quare profusum domi luctum extulerant et Lodo-
vici regis merita tam cito apud Ungaros interiisse vociferabantur.

Carolus vulgi favoribus elatus haud ultra cunctandum ratus¹⁹⁰
frequentissimum conventum sub specie pacande gentis indicit, ut
ibi rex ab omnibus crearetur; ne mulieres quidem ignorabant re-
galia illa fore comitia. In Budensem arcem antistites cum proceri-¹⁹¹
bus convenere, cuius fores Itali observabant; ibi de eligendo rege
agi ceptum est. Maxima pars optimatum cum obscura multitudine¹⁹²
regem Carolum declarat; pauci, qui Marie favebant, pre timore
plebis subticuere. Iussu populi rex pronunciatus cunctorum fere
procerum auctoritate comprobatur. Antequam conventus ille solve-¹⁹³
retur, infaustus confestim nuncius ad Mariam properavit, qui eam
regno abdicatam sceptro cedere iubet, id procerum decreto et po-
pulorum iussu factum esse refert, ne sub miliebri imperio Pan-
nonia ulterius periclitaretur; iam satis omnibus experientia com-¹⁹⁴
pertum esse, quid sexus et ingenium muliebre possit; demum mon-
net, ut, quando respublica ita iubet, regno cedat, sacrum diadema
sceptrumque resignet, ne sola neququam omnibus adversari vide-
atur. Ad primum ille nuncium animo consternate verba vix facere¹⁹⁵
potuere, sed, cum aliquantis per resipiscere occepissent, Maria prior
hec breviter respondit: Paternum diadema mihi iure datum nun-¹⁹⁶
quam resignabo neque hereditario iuri, quo regnum hoc accepi,
renunciabo unquam, vos autem, quam inivistis, viam hanc pergitte,

ego contra torrentem bracchia non ter dam. Mihi sat erit, si vos per ¹⁹⁷ Lodovici patris memoriam exorare potero, ut mihi beneficio vestro in Bohemiam tuto ad virum confugere liceat. Gnate responsum ¹⁹⁸ Elisabetha resarsit. Iniquus, inquit, in eos essem, amice, si tam cito tibi responderi postulares, quando muieris ingenium consilii minime compos extemporalia responsa reddere non potest. Proinde ¹⁹⁹ abi atque his, qui te huc miserunt, ista dico de nostra Caroli que re iuxta agi, nos eadem habitare palatia, ubi coram responsa dare possumus. Sic improbum nuncium in eius invidiam talia significantem Elisabetha dimisit, deinde redintegrato cum filia luctu mutuis sese ambe amplexisibus confovent, materiam flendi certatim suggerunt et lacrimarum sympluvio sege aspergunt; sevit utrinque dolor, quando de vita et dignitate simul agi vident. Ne minus quidem impigre matrone ingenue et ancillarum multitudo planctum adaugent et nil magis omnes quam extincta Lodovici regis merita et immortalium beneficiorum oblivio ad lugendum hortatur; ingratis hec ad luctum irritat omneque solacium longe repellit. Una ²⁰⁰ voce ultorem deum exorant, ingeminant divinam iustitiam et furias proditorum ultrices ac Lodovici manes Carolo et fautoribus imprecantur. Desidente aliquantis per planctu[m] mater filiam hortatur, ut, ²⁰¹ quando Carolus regno iam dudum potius coronam exposcit alique necem interminatur, regia cedat, in privata se tecta referat, ne facto populi rugientis in aulam impetu vita simul et regno utraque spoliatur, plus quam efferatum affirmans esse Ungaricum furorem, quando nulla dignitatis, meritorum et sexus apud hos ratio haberi solet; multo immanius sevire quam feras, cito defervescere, in ²⁰⁴ furore nil pensi habere neque, quid agant, neque, quid futurum sit, cogitare, sed fera tantum libidine trahi, cervices preferre humiles atque, ubi in iras excanduere, racionis omnino fieri expertes. Adiicere ad hec opes, regna, potentatus in fortune manu esse; ²⁰⁵ hanc pro libidine sua rebus humanis moderari; humane quoque condicionis esse calamitates, exilia, miserias, vincula inopiamque pati, quando malis omnibus nos obnoxios esse forluna iubet; nihil ²⁰⁶ homine miserius finxisse naturam neque minus inerme; deum condicionem nostram miseratum intus tantum hominem ratione munivisse, qua nos docuit utranque mediocriter ferre fortunam; eum ²⁰⁷ ab alto humana corda respicere, observare cuncta, innocentes tueri et nullum denique scelus impunitate domare; demum consulere, ut aulam deferat furorique infrendingis populi cedat. Maria proposito ²⁰⁸ adhuc perstat, cui certum erat malle mori quam aula cedere coronamve reddere. Mater his dictis desiccatis parumper oculis Carolum adit. Ungariam, inquit, immitem et asperam, quando muliebri ²⁰⁹ manu gubernari nequit, mi Carole, nunc accipe, progenitorum regno potire, Pannonicis rebus pro arbitrio tu[m] moderare, nos in privata vitam, quando ita fortuna iubet, missas face. Hinc rumor per ²¹⁰ urbem vanus effunditur Mariam regno ac diademati renunciasse. Carolus demum Elisabetham bono animo esse iusserat; hanc pro matre, pro suavissima sorore illam se habiturum pollicebatur, de-

mum, quacunque arte poterat, his verba dbat.

His Carolus elatus et in tanto successu properandum esse ratus 211 coronationis tempus adurget. Albe conventum frequentissimum edicit, coronam subtractam illuc precipit afferri. Ad celebritatem hanc 212 Elisabetham et Mariam invitat et illic ambas, quando communis res agebatur, adesse iubet. Quare ad prestitum diem quadrato 213 agmine Albam contendit, quem omnes antistitum procerumque ordines secuti sunt; armatus non modo urbem cum instructa acie, verum etiam divi Stephani templum insolenter ingreditur; circa basilicam presidia disponit. Affuere ex composito mulieres, que se 214 ad ludibrium exacerbandumque dolorem potius quam ad celebri-
tatem honestandam accitas esse reputabant; dissimulandum tamen 215 esse Elisabetha censebat, veluti ultorem quandoque tante audacie deum fore speraret, quin etiam sub divine humane ultionis spe filiam in parem dissimulationem allexit. Coronationis die, cum ex 216 imperato in basilicam venissent, ad magnam primum divi Stephani aram supplicant, mox, antequam circum sacella lustrent, in Lodo-
vici educulam, que ad dextram est, deflectunt, ut inferias operantur et ad sepulcrum eius manes rite placent. Quo cum venissent, luctum 217 clandestinum ibi instaurant, quamvis adhuc conclamatum nunquam satis esset, sepulcrum lacrimis osculisque aspergunt. Maria supplex 218 tumulum amplexata, Quid me miseram, inquit, pater, reliquisti? quid infelcis gnate deseruisti curam? Postquam inter divos relatus 219 es, prout tua in deos hominesque merita postulabant, nimirum una cum corpore humanarum rerum curam deposuisti, ne quo huiusc sollicitudinis affectu initam beatitudinem inquietares. Filiam, quam 220 regno prefeceras, cur ita periclitari pateris, naufragium nostrum ab alto despicias et siccis hec oculis, dive pater, intueris; beneficia 221 tua facinorosorum audacia et ingratitudine Ungarorum interiere, filia cum misera matre non modo solio deturbata, sed in sum-
mum populi ludibrium adducta, circumventa ab hostibus de pre-
senti morte cogitare cogitur; dignitatis ac vite iacturam nos una subire improbitas fraterna iubet. Tu autem, pater, si qua superest 222 tue gnate memoria, nos e celo respice; si id Pannonice saluti cedit ac numina suffragantur, veluti moriens legasti, dignitatem tue filie tuere; sin autem fata obstant, celerrima morte his malis preriipe, ne apud gentes omnes infelix ludibrio habeatur. Mox caput ibi us- 223 que adeo incutere ceperat, ut, ni a ceteris matronis fuisset inhibita, ad paternum profecto tumulum obfirmata mente animam di-
misisset; occurrit exemplo mater acrius increpitans.

Peractis breviter inferiis instantे coronationis hora siccis oculis 224 et dissimulato dolore suggestum utraque concendit. Inter sollemnia facta, veluti moris est, Carolus solio presidens regalia expectat insignia. Strigoniensis antistes, cuius munus est pronunciatos reges 225 coronare sacrisque regalibus initiare, accepto diademate, quod capiti eius dudum impositurus erat, ex more ter rogat, an populus hunc regem esse iubeat. Preter eos, qui Caroli studiosissimi et 226 qui ab his subducti fuerant, pauci acclamarunt et, quo intentius

ille rogabat, eo remissior erat acclamatio. Ex abdicata Maria, que ²²⁷ cum matre aderat, et ingruente divi Lodovici memoria ex insperato quedam indignitas et commiseratio magna ex parte ita conventum incessit, ut nemo ibi fuerit, qui non admodum refervescentes hominum animos fuerit admiratus. Transacta sollemni coronatione ²²⁸ multo magis Ungarorum studia referbuere, quin etiam, si ibi auctorem habuissent, cum nemo Mariam regno iniuria spoliatam sine lacrimis intueretur, parum abfuisset, quin-tyrannum in templo trucidassent; affectassent id potissimum Marie sectatores, si ducem habuissent. Novitatis huius auctores conscientia perciti substristes ²²⁹ plausus et congratulationes edidere, item ceteros omnes huiusc facti penitentia subiit. Quod stolidae multitudini est ingenitum, ut, ²³⁰ quod inique imprudenterque dudum affectarit, immutatis subinde animis oderit. Ex inauspicato Carolum coronatum affirmant, quod subsecutum prodigium ostendit. Prefertur ex more novo regi divi ²³¹ Stephani vexillum cum assumpitis regiis insignibus procedenteque procerum antistitumque multitudine absoluta coronatione e templo prodit; id, cum arduum et sublime preferretur, ad postes templi ²³² sensim illis in varias partes laceratum concidit, veluti qui malo dolo sceptrum occupatum gravate ferret. Increbrente autumno ²³³ triduo tam seva tempestas celum invasit, ut nimbis et tonitribus omnia quaterentur, deturbarentur fastigiata passim tecta, xylimbrices longe lateque aera penvolarent, conculcarentur domus et valida etiam edificia nutarent; item hinc in homines ac pecora tanta est effusa calamitas, ut non parum ex his occiderit. Supervenit his ²³⁴ innumera corvorum multitudo, que regia tecta circumvolans nulla vi repelliri potuit, turmatim quandoque fenestras impetebant ac veluti strangulati crocitabant, congregiebantur inter se infesti et eque atque instructa acie pugnam conserebant. His tamen auspiciis ²³⁵ Carolus parum credere, dissimulare metum et obfirmata spe ductus omnia bene sperare.

Mulieres omni fere dignitate iam dudum exute velut in privatum hospitium in eandem arcem se redegerant soloque Nicolao palatino consultore utebantur, cui ob exploratam in utraque fortuna fidelitatem tantum tribuebant, ut hunc veluti antea potissimum consiliarium et moderatorem haberent. Cum sepe Maria de precepta ²³⁷ dignitate quereretur rogaretque, anne aliquo modo recuperare posset, palatinus ad id animum intendit neque assiduus harum luctus neque Lodovici regis de ipso optime meriti memoria eum quiescere patitur. Elisabetham percontatur, an Carolum, qui regnum dolo ²³⁸ invaserat, e medio tolli velit; affirmat illa nihil hac re sibi futurum antiquius. Intellecto mulieris animo palatinus fortissimum sibi virum ²³⁹ esse retulit, cuius audacia operaque tyrannus facile perderetur. Ro- ²⁴⁰ gatus nomen Blasium ex cognomento Forgach appellatum esse re- spondit, e cuius genere, qui ad Gymes oppidum dominantur, propagati esse traduntur atque id Blasio pro facinoris huiusc mercede datum esse prohibent. Hominem clam acciri iubent, quecumque fieri volunt, illi ²⁴¹ aperiunt, mercedem pollicentur amplissimam, sempiternam quoque

gratiam offerunt; modum hunc pâtrande rei una comminiscuntur, ut e sententia cuncta proveniant. Palatinus ad gnate nuptias propediem 242 se iturum commentatur, ut domo instructa cohorte prodire impe trandique commeatus gratia in arcem Carolum adire liceret, cui mortem molitus erat. Comimonefacit omnes Marie fautores, quos fidos esse diu noverat; iubet clandestinis armis regiam obambulare, ut, si quid res auxilii postulet, quam nondum aperuerat, presto qâdsint. Elisabetham reginam edocet, ut rosarum die, quarum Februario 244 mense sollemnia celebrantur, facta causa regem ad se advocet, acceptas a Sigismundo litteras commentetur, quarum gratia secreta quedam se cum eo communicaturam significaret, que magni admodum momenti forent. Omnibus coniuratis prestitum diem indicit nec 245 adhuc rem omnem, quo cautius agatur, detegit. At, ubi hic dies advenit, Blasium, qui facinus patraturus erat, secum dicens cum instructa manu veluti ad nate dudum nuptias proditurus ad arcem concessit ac eadem hora admonitus reginam adit, qua accitus ad eam Carolus advenerat, ut omnia ex composito gererentur. Carolus 247 omnis expers suspicionis inter Elisabetham et palatinum medius intersedit. Palatinus regem prior allocutus commeatum exorat proximas filie nuptias causatus, quod haud ab re factum est, ut omni virum suspicione liberaret. Regina Sigismundi litteras adiecit, de quo quidem conciliando nonnihil agi ceptum est. Inter colloquendum e composito palatinus Blasio signum a limo oculo dat, ut regem stricto gladio adoriatur. Blasius imperata peragit, Caroli caput ad oculos usque dividit. Rex letali vulnere confectus exclamat. Itali, qui cum rege venerant et colloquio cesserant, ad clamorem conveniunt; spectato regis vulnere animo consternantur. Blasio per medios cruento gladio fretus ad palatinam cohortem 250 confugit, quam ad regie fores palatinus dudum ipse reliquerat. Elisabetha pre timore in atrio examinata concidit. Rex fatiscente 251 capite pavimentum cruore late respergens in cubiculum, unde paulo ante prodierat, se recepit. Palatinus rei successu admodum confirmatus in regiam milites, quos secum adduxerat, introire iubet; ii facto impetu curiam occupant, Italos eiiciunt, arci foribusque presidium imponunt. Itali tumultus in urbe sumptis armis excitare conantur. Pauci regis amici convenere, qui, cum neminem ad arma 253 excitari cernerent, reformidare ceperunt; ad arcem concurrunt, quam ubi a palatino occupatam intuentur, desperatis Caroli partibus rediere. Qui autem Marie partes sectabantur, intempestiva nocte vi 254 curiam ingressi regem saucium abstrahunt et in alta turri, quando moribundum intuebantur, asservari iubent. Itali desperata salute 255 regis, ne a fera gente trucidarentur, eadem nocte clam versus Italiam iter ineunt sat magnum sibi questum fecisse rati, si incolumes domum se reciperent.

Nondum illucescente die innumera multitudo e proximis pagi oppidisque convenit, que Budam ingressa magno clamore Mariam regem exclamat, Marie regi feliciter ingeminat, divi Lodovici 256 feliciter, Sigismundo viro feliciter; tyranno Carolo eiusque fau-

ribus exitium impetratur, mox ad rapinas conversa in Italorum edes, opes, qui multa in Pannoniis negotia habebant, impetum facit nec etati nec sexui parcit, fortunas diripit. Ex amicis Caroli, qui 258 cuncte occurunt, passim obtruncat, mulierum contumelias gravi-
ter ulciscitur, cedibus per vicos et fora grassatur. Et multo crude- 259 lius omnino seviisset, nisi Ioannes Croate banus, ut aiunt, in tanto furore intercessisset; hic enim cum validissima manu portam Sab-
bati non sine cruentissimo certamine occupavit. Carolus nondum mor-
tuus hinc ad Vicegradus arcem adducitur ibique in carcere admoto 260 plage pharmaco et obstructis faucibus interisse dicitur. Corpus in
Andree ede sine pompa reconditum; paulo post, nescio, quomodo,
effossum multos annos sibi spectatores allexit. Multi ad hoc hu- 261 mane condicionis regalisque miserie spectaculum e remotis parti-
bus convenere, quo facile regnandi quisque cupidissimus, quid 262 audere debeat et quam formidolosa sit humane mentis ambitio, ad-
monetur. Inhumati corporis infelicitatem hinc illi plerique auspi-
cantur, quod pontificio anathemate multatus obierat; anathematis 263 ipse causa fuerat. Cum diro suppicio hic foret obnoxius, cadaver
infamia carere non potuit. Hic igitur fuit Caroli Parvi finis, qui, 264 cum in Lodovici regis heredem se impium et ingratum exhibuerit,
pre nimia regnandi libidine haud immerito has penas exolvit. Ca-
roli cedem anno circiter octogesimo quinto supra terdecies centenum 265 accidisse traditum est. Quo quidem tempore Bernabovem vicecomi-
tem Ioannes Galeatius ex fratre nepos ad Medoacie arcem in vin-
cla coniecit et ad mortem usque custodiri iussit ac magnam do-
minatus eius partem obtinuit. Inter quos hec prius fuit partitio po- 266 tentatus, ut Galeatius Papiam, Vercellas, Novariam, Terdonam ac
cetera in Appenninum Alpesque vergentia, Bernabos Placentiam,
Cremonam, Parmam, Laudem ac Bergamum obtineret.

Verum, antequam res Ungaricas ultra prosequamur, de Caroli 267 filiis nonnulla breviter perstringenda sunt, ne Ungaricorum princi-
pum reliquias ingrato silentio pretereamus. Ceso Carolo Itali, qui eva- 268 serant, uxori ac liberis viri casum, quam illa proficiscenti sepe aug-
rabatur, ex ordine retulere, rem, quoad illa potuit, celari iussit,
donec arces adversus regni factiones prepropere munirentur; atqui 269 id facile celari non poterat, dissimulatus aliquantis per dolor est.
Carolo duo fuere filii, Ladislaus adhuc puer et Ioanna; ii ex 269 amicorum consilio, qui Andegavensium partibus Neapolitanam ur-
bem laborare senserant, in Gaietanam arcem exemplo translati, ut
in fidissima urbe arceque munitissima servarentur. Audita Caroli 270 morte hinc Urbanus pontifex, hinc Galli, hinc Severina domus
ceterique eiusdem factionis reguli populique ad sollicitandum re-
gnum animos intendere. Promulgato regis interitu civitates et oppida, 271 item et plebei capita extulere, detrectavere imperium et libertatem
ii, pontificis alii, alii Gallorum dicionem optare, interea misceri omnia
et obsequia nulla prestari. Urbanus, cum Genue annum exegisset, 272 Lucam venit, ubi cum a Florentinis apostolicum imperium labefac-
tatum iri cerneret, quippe qui Bononienses ceterosque rebelles in

pontificem quotidie irritarent Perusinosque ad novitatem suscitarent, Perusiam per Pisanum et Senensem agum proficiscitur; mox patrie desiderio tractus Ferentinum concessit sperans se Ladislaum puerum et Ioannam paterno regno facile deturbaturum; multi enim nobiles ac reguli, qui Lodovico Andegavensi quondam studuerant, potiundi regni spem ei concitabant. Cum nunciis ac litteris, item largitionibus et promissis omnia sollicitaret regnumque universum in turbas vertisset, Gaietanorum nunquam fidem labefactare potuit, quippe qui servatis miro studio pueris regnum his quoque conservarunt. Pontifex, cum se incassum multa conari intelligeret, Romam rediit, ubi magno honore susceptus est; mox Anderesiorum audacia vexari cepit, quorum quidem insidiis novem et XX cardinalium creatio liberavit. Anno demum quadringentesimo primo supra decies centenum Bonifatius nonus Ladislaum adolescentem Caroli filium in patrium regnum a tyrannis et populis occupatum plane restituit. Caroli abdicationem, quam Urbanus Nucerie sextus olim fecerat, antiquavit. Florentinum cardinalem delegata auctoritate Gaietam misit, qui in urbe, que sola in fide permanserat, Ladislaum rite coronavit. Sed de Carolo liberisque hactenus, quando de Ladislao cetera suo loco referemus.

Illud tamen sat omnibus extare debet post Lodovici regis mortem Pannonie regnum, quod is tantopere amplificarat, ita surreptis hinc et hinc appendicibus fuisse diminutum, ut nullius unquam virtute ac fortuna instaurari potuerit; is enim solus est, qui perpetua in Ungaricis pectoribus monumenta promeretur. Veneti nanque post Lodovici mortem Carrarii principis ferociam, qui ad eum usque diem Taurisium infestare non destiterat, coercere se posse sperabant et pacata Venetia Foroiulianoque agro Dalmatiam quoque recuperare audebant, quam olim usurpatam amiserant. Contra ille maioribus aliquanto, quam antea viribus Taurisium adoritur, Leopoldum Austrie ducem eo desperationis adegit, ut urbem cum suis finibus certis condicionibus relinquere cogeretur. Post hec cum Antonio Scala Veronensi Francisco Carrarie senori grave bellum intercessit. Ioannes Galeatus vicecomes, cuius tunc opes amplissime habebantur, instigante Carrario Scalani bellum indixit, quos cum dextro Marte superasset, his Veronam Vicentiamque abstulit. Mox adaucta regnandi cupiditate Patavium adoritur, socia Venetorum arma ad id bellum sibi iungit, quos illi infestissimos esse noverat. Iacobus Delphinus prefectus classis cum instructis ad bellum quadringentis fere navigiis iussu Venetorum advenit, qui oppida, munitiones ac loca, que in stagnis et fluviorum ostiis ille tenebat, illico occupavit. Galeatus in mediterranea regione universum agrum cum circumiacentibus oppidis accepit et paucorum mensium obsidione Patavium cum tyranno in dicionem suam redegit. Filius, cui Novello cognomen erat, in media trepidatione clam elapsus in Germaniam aufugit. Mox a Galeatio Taurisium subactum. Eversis Carrariorum opibus Galeatus Patavium, Feltrum, Bellunum ex federe sortitus est, Veneti vero Taurisium, Hestensis marchio, qui his faverat, op-

vida, que suorum olim maiorum fuerant, recepit. *Sed istis iis*
 paulo post Roberti Bavarie ducis opibus adiutus cum maximi auxiliis in Italiā rediit vique Patavium recepit, deinde Veronam invasit, cui filium prefecit; neque his diu potiri potuit, quandoquidem Venetus amplificande reipublice semper intentus Vicentiam, Veronam, Coloniam, Feltrum, Bellunum ac demum Patavium occupavit. Hinc haud parva Venetis sollicitande Dalmatiae occasio data, nam electis Carrariis et soluta Lodovici societate Pannonie regnum, qua Italiam attingit, admodum labefactari cepit.

Cum aliquantis per vagati simus, nunc res admonet, ut ad labores Ungaricos redeamus. Neque enim Elisabethē regine fatum et parricidarum casus tacite preterire possumus, ut divina in rebus humanis iudicia, quam equa sint, plane videantur et quam sibi quisque cavere debeat, ne suas regio sanguine manus inficiat, cum sub dei tutela sacri principes esse reputentur. Post Caroli cedem regina una cum Nicolao palatino Blasioque parricida sine pretoriana cohorte inferiores regni partes visere decernunt; quare ingenti letitia elate Idibus Iuliis Syrmium veniunt, ut Savi accolias Mysiosque lustrent. Nihil interfecto Carolo ultra verentur, omnia sibi tuta putant; nullius insidias suspicantur; aulica tantum turba hos sequitur. Cum divi Iacobi festo Diacum versus iter facerent, ecce in medio campo Ioannes Croatie prefectus, qui Caroli regis partes potissimum olim sectabatur, auditio reginarum et parricidarum adventu coacta tumultuaria multitudine cum multis equitibus eas adoritur, ut iniquam Caroli mortem, veluti fas esse putabat, data occasione ulcisceretur. Cum aulici palatinique homines se hostibus impares esse noscerent, in primo congressu dedere terga, ne vano conatu omnes iuxta caderent. Blasius Forgach ingenita fretus aulacia primosque impetus excipiens equo deturbatur; captus in reginarum conspectu, que curru vehebantur, confestim obtruncatur. At ille belli atrocitate perculse veluti stupide attoniteque, quid agerent, nesciebant; exanimatam utranque dixeris. Palatinus extremo se periculo circumventum conspicatus desperata salute forti animo mori statuit, se equo demittens arrepto ense dextrum reginarum latus acerrime protegit. Multos, qui regali carpento nefarias manus iniecerant, impetu facto repellit; quamvis se continuo intelligeret occasurum, incruentam tamen hosti victoriā relinquere recusabat, cui et pulchre mori et ad mortem usque reginis prestare fidem certum erat. Interea loci telis undique petebatur; tot adverso corpore sagittas ferebat, ut sine earum fragore brachia circummoveare non posset; instabat adhuc et a presenti morte resumebat animum; obclamabant ancille et dominas propugnatoremque frustra commiserabant. Subiere plerique currum surreptumque pedibus palatinum humi subvertunt et ante reginarum conspectum, ne cui feritatis parcerent, vociferantibus illis obtruncant. Mox Croati in mulierum currum impetum faciunt, invertunt humi reginasque cum eximiis matronis inde deturbant, conculcato pudore et obliterata dignitate regia crinibus distrahunt, probris ac iniuriis afficiunt et in Ioannis

præsumptio dūspectum trahunt. Ubi, cum Caroli regis necem infren- 302
dens ille sepius obiiceret, Elisabetha supplex ad genua provoluta,
Parce, inquit, parce, mi Ioannes, et beneficia, que olim a Lodo-
vico rege accepisti, nunc, per deos queso, reminiscere, miserere,
te supplex oro, miserere nostri et pro cunctis meritis, quam debes,
cumulatissimam hodie Lodovico tuo gratiam refer. Si in sacrum 303
denique sanguinem sevire tibi certum est, insonti saltem filie nunc
ignosce, quando regie cedis, sic deum hominumque fidem testor,
inscia, mihi crede, illa fuit; me huiusc malo conscientiam fuisse fa-
tor; auctores iam iam sceleris occubuerent et sat tibi penarum ex-
pendere. Me ad hoc facinus ademptum filie regnum induxit; quid 304
pertulimus iniuriarum, non ignoras; ignosce mihi, quam gravissi-
ma causa prestitit nocentem. Tribuendum cense aliquid feminee 305
imbecillitati, que in maximis virile robur iniuriis prestare non
potest. Memento me fuisse reginam Lodovici tui coniugem, a quo 306
tantam dignitatis et fortunarum amplitudinem receperisti. Et, quando
non temere mihi peccandum esse censui, si iustum te mihi iudicem
prebeas, innocentissime imprimis filie, deinde mihi exorabilem te
concede, ut tuo utraque beneficio vitam recuperasse videamur. In- 307
terpellat ad hec gnata Elisabetha preces ipsa supplex per deum,
per maiestatem regiam, per paterna merita, per suam innocentiam,
per spem futuram, ut utriusque pariter misereatur, patiatur aliquam
se pietatis et gratie subire rationem, etatis et sexus eque misere-
atur, pensitet secum aliquantis per peccati causam, ne matrem temere
peccasse arbitretur. Quod, si insolentissime sevire decreverit, eum 308
obsecrat, ut aut utranque pari beneficio servet aut ad perpetuam
ingratitudinis et feritatis infamiam utranque perdat. Quanquam plura 309
ille in summo lacrimarum profluvio subiicere conarentur, augerent
ululatus et veniam exclamarent, amplexarentur supplices Corvati
genua, ille tamen nequaquam collabascit, immo feritati obstinatis-
simi animo instat; ut diram crudelitatem ocius expleret, veluti mu- 310
tus incensus terga vertit, e conspectu se proripit et, quid fieri cu-
piat, satellitibus edicit. Ingruente nocte mater a Maria abducitur, 311
pro Ioannis imperio prima vigilia noctis obstructo ore in Bozutam
amnem regina demergitur. Marie, quia culpe expers esse ferebatur, 312
ab hoste ignoscitur, immo divina potius commiseratione vita re-
donatur, ut superesset, que Corvati immanitatem ulcisceretur. Vir- 313
gines non tam nobilitate quam forma prestantes pro militari libi-
dine incestate, ut aiunt; nullus in tanta crudelitate neque pudori
neque humanitati locus, more plus quam barbaro direpte, promi-
scue contemerata pudicitia. Maria seorsum asservata, quam regie 314
maiestatis numen a morte ac turpitudine vendicarat; parum ab-
fuit, quin cum infelici matre pari fato necaretur. Totam noctem 315
abductam sibi matrem repetit, ingeminat et deplorat, ad cedem
iam dudum eductam rata non modo laceratis crinibus faciem un-
guibus inscripsit, verum etiam et stans parieti et iacens humi sic
caput illisit, ut iam dudum moritura videretur, et omnino fecisset,
nisi admoti eam custodes inhibuissent. Sepe sibi et manus iniicere, 316

consciscere sibi mortem furibunda contendit, si amotis arbitris licuisset. Nihil isto casu miserabilius unquam spectatum est, unde non tam principum miseriam et fortune varietatem quam divini iudicij gravitatem et timorem dei considerare debemus. Suos inimicos per inimicos punit deus et, ne quid sceleris impunitate donetur, crimina criminibus penas exolvunt. Carolus immodica regnandi cupiditate succensus, cum preter fas et equum sorori sceptrum eripuissest, presentaneas facinorose audacie penas expendit; regina, palatinus et Blasius parricida extremum patrati sceleris haud longe supplicium sibi distulere. O miseram humane vite condicionem et eorum imprimis, qui in alto statu versantur, quippe qui, quanto altius a fortuna evecti sunt, tanto graviorem casum reformidare debent vel maxime precavere, ut de se bene sperare posse videantur, ne quo se scelere graviter obstringant. Ad rem igitur redeamus.

In sequenti die, cum regia preda in Croatia iter vertunt, Mariam captivam cum ceteris virginibus, quas infando stupro polluerant, abducunt. Cum furor ille aliquantulum deferbuisset, in Mariam subinde mitius agi ceptum est. Succurrebat Ioanni sepe illud esse satis adhuc superque sevitum; si res aliter, ac sperabant, acciderit, Marie vita multa mala declinari posse, ex morte vero desperata omnia futura. Subibat quandoque patrate penitentia crudelitatis, que injectis furis absterrebatur hominem neque fugiebat in agendis rebus cunctatiis futura cuncta prospicere oportere, quando pro infectis facta haberi nequeunt; malis esse finem imponendum, ne pergendo assiduorum malorum semina seri videantur; conscientia proinde rerum male gestarum corripi cepit. In Croatia castellum erat non tam loci natura quam arte ac presidio munitissimum, cui Crupe nomen erat; hic Mariam asservari iubet, fidelem admonet custodiam servitique obsequentissima in his, que ad curandum eius corpus pertinent, subiicit, quin et ipse sepius invisit ac diligenter interim observat, quid ex patrato facinore novitatis oriatur.

Sigismundus interea, qui celebratis nuptiis in Bohemiam a fugerat, de Caroli morte et de recuperato regno Marie ac Elisabethae litteris certior factus erat, unde non parum animi cum ingenti letitia sibi revocarat; reginarum vero casum, qui paulo post intercesserat, nondum noverat. Oblata fortune sue occasione nil ultra cunctandum ratus, quando ad recipiendum crebris litteris regnum invitabatur, haud mediocrem in Bohemia delectum coactoque exercitu superioris Ungarie fines ingressus multos regni processores admisit, qui in eius auxilium ultro concurrere. Continuatis Budam itineribus pervenit nemineque reluctance in arcem admittitur; ibi de cede socrus et aliorum ac de uxoris repente carcere admonitus non minus dolore quam facinoris indignitate corripitur. Celerem pro liberanda Maria in Croatia expeditionem nondum acceptis per sacramentum obsequiis neque confirmato adhuc regno suscipere poterat.

Interea Ioannes, qui Mariam captivam retinebat, auditio Sigismundi adventu et quod iam regno sine controversia potiretur, pe-

nitentia ductus his eam verbis confestim adit: Quanquam, regina,³³⁰ te pariter ac matrem pro ulciscenda Caroli cede iam e medio tollere sepe cogitaram, Lodovici tamen regis beneficentia remoratus, que mente nunquam excidet, ignovi tibi et nunc me patrate cedis penitet. Quin etiam, si preterita corrigi potius quam damnari pos-³³¹ sent, nil profecto mihi foret antiquius quam aut facta corrigeret aut, si corrigi nequeunt, horum prorsus memoriam antiquare. In-³³² digna Caroli morte provocatus in vos omnes seviendum esse duxi, pepercisti tamen, Maria, tibi et patris tue memoria et innocentie conscientia tue id ultiro faciendum esse iudicavi, ne Lodovici de me optime meriti sanguine meas manus inficerem. Nunc de te li-³³³ beranda cogitare cepi, si qua mihi cautio iuramento prestari potest, qua liberationis huiusc nulla me unquam penitentia subsequatur; sin eam senserim aspernari, materno tu quoque fato cades. His³³⁴ dictis abiit, at illa collacrimans eum ad se revocari iubet supplex que obsecrat, ut se liberet regnoque restituat, quod si eius beneficio assequatur, Ioannem se patris et gubernatoris loco semper habituram pollicetur; non modo id intericto sacramento, sed al-³³⁵ latis divisorum reliquiis id ipsum se asseveratram esse recipit; quod, ut faciat, etiam atque etiam ad genua supplex obtestatur. Exoratus tandem ille magis feritatis et imprudentie quam consilii³³⁶ compos bono hanc animo esse iubet, mitius laetusque tractari precipit. Interea carpenta regia ancillarumque cohortem parat, spolia³³⁷ direpta disquirit; que inveniri nequeunt, ipse rependit, postremo cum honesto procerum nobiliumque comitatū hanc Budam remittit.

Cum reginam carcere eductam esse ac Budam redire rumor³³⁸ effunderetur, quacunque iter facere dicebatur, omnes ex oppidis passim ac pagis spectatum convenere, fauste ubique congratulationes salutationesque facte haud aliter, atque si hec aut Lodovicus pater ex inferis rediisset. Certatim populi collacrimantes ex insperata letitia congratulatum concurrebant. Maria vero obvium quenque ordinem lacrimabunda suscepit. Cum Bude appropinquasset,³⁴⁰ non modo vir cum omnibus et instructis legionibus, verum etiam universa civitas in occursum effunditur. Cum plausu et incredibili letitia Mariam reducem omnes excipiunt, intermiscebant congratulationibus publicis lacrimas et Marie ingeminatione omnia resonabant. At, ubi ad Sigismundi congressum perventum est, Salve,³⁴² inquit, dulcissima coniunx tot et tantis vexata periculis, salve, spes viri ac Ungarorum unica, que periculo tuo in lacrimas omnia convertisti. Iam dudum ad te liberandam et ulciscendum sancte parentis interitum legiones et cetera bello necessaria comparavera-³⁴³ mus; insperata letitia dolorem ademit et immanissimum hostem metus et penitentia ad officii resipiscentiam revocavit. Proinde³⁴⁴ clementissimo deo ceterisque sacrorum regum numinibus, qui Pannonie presunt, immortales gratias agamus, quod te, cuius casum nuperrime scivimus, incolumem mihi et reipublice reddidere. Hinc³⁴⁵ maximam deos nobis fidem fecisse reputare debemus, curare mortalia, hominum facta pensitare et in peculiari cura tutelam princi-

pum habere, ut, quos regendis aliis prefecerint, cum omnis a deo potestas tribuatur, eos potissimum servare videantur. Affuere quoque tibi non minus ac regno pientissimi patris manes, qui neque tuam neque Pannonie salutem deseruere. Quare faustus ac felix sit iste tuus reditus et universe reipublice quam maxime salutaris. Regni habenas resume, quas diu pater tibi iam legavit. Solium, 347 sceptrum regiamque recipe, quam nulla improborum facinora tibi adimere potuere. Fortuna, ut virtutem magnanimitatemque tuam 348 gentibus ostentaret, de te periculum fecit profecto maximum, ut in utroque te semper statu sapientissime geras; ab adolescentia robur animi tui periclitari voluit, ut regina gentium futura gnaviter moderari et misereri scires. Nemo bonus miles unquam futurus est, qui 349 a tirocinii die laboribus et periculis sese obdurare non didicerit. Quare scito, regina suavissima, te non minus de liberatione quam 350 periculo divine benignitati gratiam agere oportere; in altero virtutis meritum, in altero dei clementia plane consistit. Periclitatur deus hominem, non demergit. Veni igitur, salus publica, publica libertas, 351 moderatrix Ungarica et spes mea unica, et post hec meliora spera, quando satis superque tecum fortuna lusit satisque in te periculi fecit, ut iam omnibus Ungaris apertum esse debeat te non minus tue quam publice saluti fuisse servatum et ad imperandum tantum Mariam esse natam. His dictis coniugem amplexatur, mutuis sese 352 ambo lacrimis osculisque respurgunt, lacrimosus circum plausus oboritur. Mox hec prensandam omnibus dextram porrigit et non 353 modo optimatum quenque pientissime amplectitur, sed humilibus ad unum, qui ad officium prodierant, se adiri passa est. Sigismundus 354 singulari pompa, cum socia sibi agmina iunxisset, hanc dextera apprehensam in urbem duxit. Urbs ingenti plausu intonans 355 excipit; letitia et festivitate complentur omnia. Pro liberata domina sacra celebrant, multos dies indicte supplicationes, ut digne diis immortalibus gratie agantur. Soteria mira sollemnitate celebrata; nulla cessavit ara, ubi non fuerit abunde supplicatum. At, ubi diis 354 immortalibus satis quisque factum esse censuit, de coronando Sigismundo mox agi ceptum est, quare frequentissimum Albe conventum Maria tunc edixit diemque Pentecosteni conventui prestituit.

LIBER II.

Cum ad prestitum diem omnes ordines convenissent, habita 1 contione Maria Sigismundum dextra tenens ita profatur: Quartus iam 2 annus agitur post divi patris obitum, fidissimi proceres, quo tempore quot mala perpessi simus et quanta in regno perturbatio discordiaque fuerit, quando hec omnia vos et vidistis et audivistis, de his verba facere supervacaneum foret. Commemoratio enim vulnera refricaret, perturbaret consilia et hunc diem, quem felicem ac faustum esse volumus, malis auspiciis ista calamitatum memoria incestarimus. Duo sunt, que me ad hanc orationem impulerunt; unum 4 fuit gratiarum in eos actio, qui de me ac regno iuxta bene meriti

sunt, alterum providentia futurorum, qua ita nostre reipublice prospicere cogimur, ut nunquam in superiora mala recidamus; hoc itaque gratitudinis, necessitatis vero illud erit. Imprimis 5 igitur vobis omnibus, qui aut otium servastis aut iniurias inhibuistis aut denique regno mihi favistis, immortales ago gratias. Quando Mariam 6 vestram a tot malis circumventam destituendam esse minime censuistis, quod in fide permansistis, quod e medio censuistis tollendos esse tyrannos, nulla profecto laus digna vobis neque gratia evolvi potest. Magni nanque momenti est ipsa fides, cui multum 7 probitatis et constantie inest, nec sola veritas est, qua tota fere iustitia consummatur, quam si e medio tuleris, non solum universus corruet virtutum chorus, verum etiam omnis humana societas dissolvetur. Hec facit, ut non solum amicis, sed hostibus quoque 8 officia persolvamus, superis nos conciliat, a perpetua morte nos vendicat, ita sibi deum obligat ac reddit obnoxium, ut ad edenda miracula cogat ac ab eo illa consequi mereatur, que natura prestatre non posset. Quare nemini mirum esse debet, si in nulla se- 9 verius facinora quam in perfidos deus animadvertere solet, cum in plerisque sepe viderimus conniventem. Proinde non immerito 10 vobis omnibus pacato regno uberrimam me cum viro meo gratiam relaturam esse polliceor et a me vos nihil unquam frustra petituros. Quin et vos officio preveniam et pro meritis et dignitate quenque 11 tractabo perpetuaque mihi, quando feneratoria esse debent, que principibus conferuntur, officia, cunctos beneficentia obligabo; he mee sunt partes, id Lodovici filie est officium, id Marie vestre postulat obligatio. Et, cum hec re potius quam verbo prestari debeant, 12 idcirco de his breviter agendum esse censui. Nunc autem superest, 13 ut futuris rebus prospiciamus, ni fortasse furentium more omnis perditum ire contendamus. In hac re duo necessaria esse censeo, 14 que potius e recentibus malis quam longa rerum experientia didici: prius concordia, deinde moderatore optimo nobis opus est. Nisi intestinam discordiam curetis, proceres, unde omnia hec mala 15 orta sunt, nunquam regnum pacatum habebitis. Deponenda, mihi 16 credite, sunt odia, coercende iniurie, vi occupata reddenda, oblitterande contumelie et eo magis, si lesi prestentur indemnes. Subeat 17 vos religio et iustitiae amor, depositis privatis affectibus capessite, queso, quandoque rempublicam, communem salutem amate. Otium, 18 quod domi retineri debet et privata odia subverterunt, appetite, discite e preteritis malis nil homini concordia domestica antiquius esse oportere. Nam domi pax, bellum foris colendum est. Contra 19 vero nihil reipublice ipsa discordia exitialis inveniri potest. Itaque, 20 si regnum domi forisque salvum esse cupitis, diligite, queso, concordiam, proceres, et veteres simultates odioque deponite. Nullam 21 vim cuiquam inferendam existimate, lites non armis, sed foro dirimite; iudicia vobis equissima prestabimus, quare posthac vim omnem publico edicto et capitali supplicio inhibemus. Quicunque aliena 22 occuparit, nisi spatio mensis legitimo possessori reddiderit, hunc latrociniis pena multandum esse pronunciamus. Que quidem idcirco recte 23

sancimus, quia amotis iniuriis omnis causa discordiarum extinguitur, publica pax et intestina concordia introducitur, qua nil magis hostes formidare videntur. Postremo de optimo rerum moderatore nobis cogitandum, quod quamvis sit in dicendo novissimum, potissimum tamen in considerando esse debet. Quid enim salutis in fluctuantissimo natus pelago sperare potest, si optimo gubernatore caruerit? Non vos preterit Lodovicum patrem de vobis omnibus et imprimis de republica optime meritum, qui hec omnia mala pro sapientia sua plane providerat; Sigismundum Augustali genere natum ex omnibus principum adolescentibus delegisse potissimum ac veluti futurum principem in aula sua educasse, adoptasse demum et, ut scitis, mihi legitimo connubio collocasse, ut alterum Lodovicum haberetis, qui amplificatum regnum haud aliter ac ille servaret tuereturque et Augustali quoque dignitate Pannonicum regnum honestaret. Quid de viro sperare liceat, animi magnitudo, aperta probitas et aspectus eius maiestas ostendit. Vos connubii auspicia ne minore quidem quam pater consensu approbassis. Consalutastis sepe regem post divi patris obitum et non minora huic quam illi obsequia quandoque prestitistis. Eadem igitur, que tunc approbassis, vos nunc rata ac firma habituros esse credo, partim quia nihil reipublice salutarius fieri potest, partim ut, ne ultra femineum toleraretis imperium, quem vobis regem Lodovicus optavit et mihi coniugavit, eum rite legitimum habeatis. Ne feminee quidem potestatis est Pannonia, cui virilis vix dextra moderari potest. Proinde Sigismundo viro clarissimo coniugique sapientissimo sacrum diadema, sceptrum ac ius omne regni ultiro iubentibus nunc vobis ipsa resigno. Regiam potestatem a patre mihi legatam ac auctoritate vestra mihi comprobata huic sponte concedo, hunc faustis, queso, auspiciis Pannoniae regem exclamate, hunc accipite moderatorem rerum, hunc propugnatores Ungarie observe, qui Romano regnum, ut videbitis, decorabit imperio. Pacabit hic regnum, hic otium vobis insolens introducit, hic denique a Turcorum iugo et ab hostiis insidiis Ungariam, mihi credite, vendicabit. Sic Christus optimus maximus, sic patrii dei esse iubeant, sic omnia nobis post-hac fausta et felicia ac etiam reipublice esse velint.

Vix dixerat, cum sacra diadema ac sceptrum, quod ipsa in media contione gestabat, Sigismundi, quem manu semper apprehensum tenuerat, alterum capiti imposuit, dextre iussu populi patrumque consensu tradidit alterum. Hinc tantus favor ac plausus elatus est, ut Sigismundo regi Marieque regine cuncta feliciter ingeminent. Initio deinde in Stephani ede sollemnibus inter sacrificandum ab Strigoniensi metropolita coronatio rite celebrata. Ubi in coronati regis caput omnes principes et optimates cum antistitibus, item nobiles conventuumque legati fidum Sigismundo obsequium se perpetuo prestituros esse iurarunt, quod anno salutis octogesimo sexto supra terdecies centenum factum esse tradunt, anno autem etatis eius vicesimo, quem deinde regalibus rite sacris initiatum Budam reduxere. Ast, ubi in regiam rediere, per

multos dies de pacando regno et componendis optimatum litibus agitatum est.

Maria vero, cui nihil materna vindicta videbantur antiquius,⁴¹ dies ac noctes ad id Sigismundum irritat, inauditas iniurias et illata probra oculis obiicit. Nullum regalis decori simulacrum eum⁴² retinere affirmat, nisi in parricidam, qui sacro manus cruento federa-
rat reginamque innocentem et virginem duro carcere maceravera-
t. Vincitur tandem regine precibus Sigis-⁴³
mundus ac legiones duas cum equitibus expeditissimis comparat.
In Transistrianas partes iter intendit simulans se in Bulgaria ad-
versus Turcos iturum. Interea amicorum litteris admonetur Ioannem⁴⁴
Croatie prefectum Posegan, quod regale foret oppidum, clam tu-
tandi sui gratia occupasse loco quidem et arte munitissimum.
Illuc igitur e sententia cum exercitu divertit iter, arcem obsidet,⁴⁵
admovet varias belli machinas, die noctuque acrius oppugnat. Po-⁴⁶
tiundi quamprimum oppidi spes aberat, quippe quod ars et natura
iuxta muniverat; insidiis aut fame capere confidebat. Ioannes, ne⁴⁷
ad extrema redigeretur, ad artes animum intendit, clam arci se
subtrahere decernit; quanquam stationes cum excubiis circum ab
hoste dispositas intelligeret, ea tamen parte effugiendum esse retur,
ubi amicos forte suos tendere senserat; captabat occasionem, qua
ceca nocte se surriperet. Cum tempus advenisset idoneum, quo⁴⁸
pre tenebris non modo noctu, sed interdiu iter facere nemo potuis-
set, clam ea descendit, qua Stephanus Ladislai vaivode filius et
Stephanus Symonthorna metabatur, qui dissimulata perfidia se in re-⁴⁹
gis amicitiam exercitumque insinuarant; cum in horum excubias de-
scendisset, evadendi facile copiam impetravit. Mox traecto Savo, quod
navigandone an tranando fecerit, incompertum est, Dobor oppidum
subivit, quod in ea Bossene parte situm est, quam Usoran appell-
lant, ubi Zagabriensem antistitem cum plerisque coniuratis esse nove-
rat. Horum arte perfidiaque universi Dalmate, Bosnenenses et Croati-⁵⁰
a regia fide defecerant, Pannonias, quacunque licebat, parte vexa-
bant, incursabant pagos et cuncta igni ferroque vastabant. Quare⁵¹
Sigismundus obsidionem hanc solvere, traiicere Savum adautoque
exercitu Dobor proditorum omnium asylum circumvenire coactus.
Celerem et audacem regis obsidionem hi admodum formidarunt,⁵²
immo usque adeo sunt absterriti, ut Ioannes, ne in angustiis ite-
rum se obcluderet, ante acerrimam se cum nonnullis obsidionem
inde prumperet ratus eadem se fuge fortuna potum, verum multo
aliter, atque speraverat, res accidit. Ex oppido clandestina fuga⁵³
exiit, dum per colles aviaque montium loca iter facit, in regis,
quas circum intenderat, insidias concidit, captivus in Sigismundi
conspicuum adducitur; hunc diligenter custodia is asservari iubet.
Interim Dobor expugnat; Bosnenam post hec, deinde Croatiam Dal-⁵⁴
matiamque omnem in dicionem suam recepit; nam captis rebelli-
onis auctoribus ceteri facile ad obsequium rediere. Pacatis regioni-⁵⁵
bus in Quinqueecclesiarum urbem rex cum universo exercitu se
recepit, secum captivos omnes adduxit. Ibi pro dira Marie libidine⁵⁶

de Ioanne supplicium sumptum est; revinctis enim ad palum manibus per urbes, vicos et compita curru circumvectus cudentibus frustillatim forcipibus passim discerptus est, postremo ad gemitorios usque dissecitus frusta corporis singulis portis ad deterrendam facinorosorum audaciam imposita. Ioannes tandem dignas crudelitatis sue ⁵⁷ penas expendit; ceteri capite multati. Zagabriensis episcopus huiuscemodum novitatis auctor, ob sacrosanctam dignitatem cum capitalis esse non posset, episcopatu publicatis bonis abdicatus est.

Post hec Valachos successit haud infausta expeditio. Nam, cum ⁵⁸ sub mulieris imperio intestino inter se bello fluctuaret Ungaria, Valachi, qui Dacorum Getarumque regionem incolunt, ipsi quoque femineum sceptrum abominati in tanta rerum perturbatione a Pan-nonie regno defecere; rogati prestare obsequia et stipendia solvere recusarunt; quare quarto coronationis anno in hos bellum Sigismundus iure suscepit. Utrique tempestate illa Valachie Stephanus preerat, quem vaivodam dicunt; auditio regis adventu Trans-alpinam regionem expedito milite ac ingenti sagittariorum manu complet, omnes aditus angustiasque montium preoccupari iubet, ut ingressum, veluti multis olim obtigerat, hostem obcluderet gravique cede conficeret; item per iuga montium presidia multa disponit, que hostem undique propulsarent. Sigismundus cum numeroso ⁶⁰ exercitu ac forti animo provinciam adoritur; cum inter Alpes progrederetur, occurrit hostis, sagittariorum multitudine Ungarum circumvenit, pedites simul ac equites confudit, saxis obruit et ad internacionem pro virili parte redigere pergit. Contra illi Sigismundi ⁶¹ voce confirmati longe audacius obstant, imperatoris iussu equo desiliunt pedibusque pugnant. Obstinatissimis Valachum animis ⁶² subeuntes ex alto deturbant et per abrupta loca fugam capere cogunt, fugientibus a tergo instant, inter fugiendum multos intercipiunt obtruncantque, partem e rupibus precipitem agunt, gladiis igitur per montium fauces et anfractus sibi viam faciunt. Ad vai-vode tandem oppidum perventum est, ubi cum presidio se ille tutabatur. Is, postquam audacissimum sibi hostem instare cognovit, non vi, sed precibus vincendum, item salutem sibi non pertinacia, sed humili facilitate comparandam esse censuit. Quare, antequam regem castra metari occepisse noverit, data sibi tuto abeundi redeundique copia ex arce cum multis proceribus obviam prodiit et ad pedes eius prosternatus, Tua, Sigismunde, inquit, ⁶⁵ clementia factum est, ut, quamvis in te arma sumpserimus, victi tamen maiestatis tue benignitate multo magis confidere videamur, quam si tui Victoria potiremur. Magnanimus enim neque armis ⁶⁶ neque officio vinci potest, nihil gravatius ferre solet quam ab hoste pariter et amico superari, quando hunc armis illum sibi officio et utrunque, cum res tulerit, beneficentia sua obstringere nititur. Pec-⁶⁷ cavimus igitur, rex clementissime, et errata nostra ingenue fatemur, luimus haud paululum penarum et dextera tua fugati quam sceptro dignam nunc re ipsa didicimus, ad eius tutelam confugere malum quam pervicacia omnes iri perditum. Ab Ungarica fide id- ⁶⁸

circo defecimus, partim quia femineum imperium ob insolentiam rei perpeti nequivimus, partim quia laborante graviter Ungaria delatum ibi regni simulacrum credebamus. Nunc autem, postquam te potius a deo datum quam a dissidentibus Ungarorum studiis optatum intuemur, iam dudum nos facti penitet et a te veniam supplices petimus. Quodcunque temeritate nostra in maiestatem regiam commissum est, supplicamus, ut id tua mansuetudine expietur. Imitare, quesumus, rex excellentissime, deos immortales, quorum vicem geris in terris, et ab his addisce resipiscentes a penitentia animos non aspernari, non obstare supplicibus, nullam postulantibus veniam abnegare, obstinatos tantum proterere et clementia potius ac officio quam severitate benivolentiam hominum promereret. Bonis hoc tibi bellum auspiciis esse volumus, ubi ex Victoria gloriā et clementia, si uteris, laudem tibi comparasti. Ignosce regni tui sociis, quos neque indecores neque inutiles olim sibi superiores tui habuere. Hodie tibi non mediocre clementie argumentum attulimus, hanc laudis occasionem preterire ne permittas, Sigismunde, ut ab ineunte iuventute tua hec summa immortalitatis fundamenta iacias. Pios et misericordes deus semper excolit et hos potissimum sua gratia dignos facit. Proinde, quando rex et dominus noster es, quem antea non agnoveramus, sociis tuis ignosce, ad vetera nos obsequia fidemque recipe. Vectigalia usitata pendemus et eo reverentius imperata cuncta faciemus, quo prestantiorem nos regem sortitos esse intelligimus. Quod ut facias, per Lodovici manes, per ingenitam pietatem tuam, per sanctum Marie coniugium te iterum atque iterum obsecramus. Secundum orationem hanc supplices ad Sigismundi pedes, quoad responsum habuerunt, iacuere. Ad hec ille pauca reddit. Ne qua, inquit, maiestatem regiam impietatis nota commaculemus, quamvis facinora vestra impunitate donari non deberent, quia necessitate potius quam ex animo veniam postulatis, tamen vobis omnibus ultro veniam impartimur. Suscepti belli audacia vos a perfidia detergere et impetrata facile venia ad fidum obsequium hortari debet. Illud dumtaxat posthac vos admonitos habere velim, date operam, ne mansuetudine nostra abuti videamini. Post hec ad genua iacentes levat; si in fidelitate permanserint, bene de se sperare iubet. Surgentes contra illi paludamenti laciniam osculantur, in manus imperatoris iurant se illius imperia nunquam detrectaturos. Pacata demum provincia rex Budam re prospere gesta reddit, militem unius anni quiete reficit.

Sexto regni anno Transalpinum apud Valachos bellum iterum emersit, quippe qui contempta Sigismundi benignitate ab eius fide iterum defecere. Propriis parum viribus confisi in belli societatem Turcos admittunt, unde illius plage primum religionis libertatisque Christianae emersit exitium. At ii ad propagandum profanum imperialism occasionem optimam nacti lubentissime societatem hanc in-eunt, cum multis equitum turmis et frequentissimo peditatu e Thracia profecti Istrum transmittunt. Rex audita sociorum defectione

habito delectu in provinciam concessit, exercitum cum amplissimo cataphractorum equitatu secum duxit. Post, ubi superatis Alpibus ⁸⁵ in effusos campos descensum est, ubi hostium castra esse noverat, quadrato agmine iter fecit. Cum in hostium conspectum venisset, ⁸⁶ fulgentes cataphractorum acies educit. Collatis dum pugna signis initur, utrique hostes armorum fulgore perterriti terga dedunt et, ut proprie saluti consulant, in fugam se convertunt. Instat a tergo ⁸⁷ Ungarus ac in hostem fugientem seva cede grassatur. Multi in fuga cesi et quam maxime pedites, qui, cum equos anteire non possent, pessumdati fere omnes et attriti sunt; expediti pedites cladem facilius evasere. Quin etiam e procidentium multitudine ⁸⁸ Ungarorum impetus admodum remoratus ingratum fuge spatium dedit, declinabat ad hec dies et Danubii vicinitas occurrebat, quem traicere ii cito non poterant. Ingruente nocte signum receptui datum, ne quid insidiarum moliretur hostis. Cesa magna Turcorum Valachorumque manu rex Nicopolim minorem contendit in altera Istri ripa sitam, hanc gravi obsidione circumventam admotis machinis vehementer oppugnat. Urbs duplici presidio munita pertinaciter se tuetur; arcem Valachi, Turci civitatem protegunt, erumpunt interdiu oppidanis et quandoque noctu sevos tumultus in castris excitant. Rex eo intentius expugnare pergit, tormentis arcem et magnum urbis partem amolitur. Nicopoli tandem potitus, qui ⁹¹ cunque ibi depensi sunt, partim captivitate partim morte cunctos affecit, urbi validum presidium imposuit, mox universam provinciam pacavit. Insigni demum Victoria fructus in Ungariam rebus compositis pedem retulit.

Nondum Budam pervenerat, cum de regine obitu nunciatum ⁹² est; quo quidem nuncio ab re usque adeo consternatus est, ut quicquam tristius nunquam acceperit. Maria repentina quadam gravi- ⁹³ que egritudine correpta perbrevi diem obiit. Hinc regi sollicitudo ingens oborta, quod defuncta sine liberis uxore ad sororem eius Adiugam Polonie reginam regnum iure recidere verebatur. Ne si- ⁹⁴ gismundum quidem suspicio ista feffellit. Ladislaus enim Polonorum rex conscripto magno exercitu Ungariam uxorio iure ac armis repetere sane decreverat. Mariam sine liberis agente in Valachia Si- ⁹⁵ gismundo decessisse noverat nec adhuc Ungarie finibus appropinquaesse audiverat; quare Ladislaum regni cupiditate tractum cum multis legionibus regni fines invasisse rumor erat. Nimirum haud ⁹⁶ parvas in Ungaria turbas Polonus ipse suscitasset, nisi Ioannes Canisa Strigoniensis metropolita vir consilio opibusque potens occurisset, quippe qui absente rege et auditio Sarmatarum adventu cum tumultuario mox exercitu obviam profectus aditum in finibus obclusit Sarmaticoque bello Ungariam liberavit. Rex igitur Marie ⁹⁷ fatum Budam ingressus acerrime deploravit, exequias pro dignitate solennines edidit, corpus Albe in sacellum patris retulit.

At, ubi satis conclamatum est, in otium redactus ad vindictam ⁹⁸ animum revocavit; quotidie nanque sibi succurrebant, quicunque reginarum temporibus sibi illisve insidias intenderant, de utrisque

male meritos mente facile hos eiicere non poterat. Et, quamvis in 99
 consultando diversus quandoque traheretur, alios tamen beneficentia
 sibi conciliare, alios, qui gravius errassent, capite multare decreverat,
 quando nullo hos officio ad fidem revocare sperabat. Contra illi malle 100
 mori quam imperata facere; tanta obfirmari pervicacia, ut neque salu-
 tis neque dignitatis ulla memoria superesset; potissimos horum duos
 et triginta numerant. Principem istorum Stephanum Conthum prodi- 101
 dere opibus et virtute prestantem, qui nobilissimo Hedervarorum ge-
 nere natus erat, quem ad nostram usque etatem per fora, vicos et tri-
 via citharedi concinunt. Hi, cum imperium detreclarent, per varias 102
 regni partes vagabantur et, ne vi parere cogerentur, magna pars
 horum sub divo noctu quiescebant, disquirebant latebras et per
 pagos ac sylvas a rege procul vitam degebant. Sigismundus, ne 103
 quid per occasionem novitatis ii moliri possent, Georgium Vayda-
 fium virum sibi fidum ceterum vafrum et experientia audaciaque
 summa peditum delegit; huic animum suum aperit, dat huiusce
 rei negotium ac iubet, ut, quacunque liceat, arte adverse factionis
 homines capiat ac in regiam redigat potestatem. Demandatum iste 104
 negotium forti animo accipit, tradita fida cohorte ad inferiores re-
 gni patres descendit et, dum ex mandato regionem lustrare simulat,
 audit illos haud procul a Savo in patenti planicie sub divo dor-
 mire; immissis exploratoribus locum eductus proxima nocte his 105
 insidias collocat; antequam illuxerit, circumventos omnes adoritur.
 Unus tandem aberat, quem Ioannem Corpadum dicunt; hic ita sibi 106
 timere solitus erat, ut, necubi somno deprehenderetur, multo ante
 diem surgeret. At illi somno experrecti certatim arma capiunt, ut
 se adversus insidias tueantur. Georgius contra mitissimis hos ver- 107
 bis omni timore carere iubet, quando non ut hostis, sed amicus
 advenerit; se cunctos regi reconciliasse nunciat atque idcirco ve-
 nisse, ut eos ad regem exoratum reduceret ac illi fidum iure iu- 108
 rando regi obsequium sponderent. Cum numero ac viribus inferi-
 ores ii sese intelligerent, pre metu in vanam fidem adducti depo-
 sitis armis ultro sese dedunt, ducuntur spe completi ad oppidum,
 cui Caro est nomen; hic ex composito a Georgio in vincia con-
 iecti, mox manicis pedicisque vinci curribusque inventi cum pre-
 sidio magno Budam deferuntur. In itinere sera penitentia correpti 109
 consilium ineunt, ut in Sigismundi presentiam adducti nullo regem
 salutationis officio honestarent, obfirmato adforent animo nullum-
 que venerationis indicium ederent rati fore satius obire mortem,
 quam infenso parere tyranno. Ex consulto in conspectum regis ad-
 ducti, quem innumera nobilium multitudo circumsteterat, neque ca- 110
 pite neque genu neque verbo neque re ullum reverentie signum
 exhibuere, oculos humi plane defixerant, raro truces immotosque
 vultus obduxere. Obstinate horum pertinacia veluti adempta beni-
 gnitatis occasione rex admodum exasperatus eo vehementius in 111
 horum ultiōem exarsit; paucis post diebus capitali suppicio ante
 divi Georgii edem ad caput fori a lictore ex edicto affecti sunt. Ste- 112
 phanum ante alios invicto animo fuisse memorant, quippe qui mor-

tem usque adeo contempsit, ut, cum alii a tergo a lictore obtruncarentur, is unus fuerit, qui adversum, cum cedem non expaverit, intentis oculis lictorem spectare voluerit, immo, si tyranni libido tulerit, asseverabat ex edita se turri deturbari haudquaquam formidaturum. Cum nullum supplicii genus moriens expavisset, multum ¹¹³ hinc publice commiserationis invictus ille animus sibi comparavit. Spectata domini morte famulus, cui Chioka nomen erat, in profumum conversus fletum commiserabili vociferatione a cunctis spectatoribus lacrimas exigebat. Ab ense hic Stephano serviebat et, cum ¹¹⁴ post abscissum domini caput eandem magnanimitatem et pertinaciam referret, nullius monitu, solacio increpatione a fletu coerceri poterat. Animus ad hec Sigismundus advertit et approbata famuli ¹¹⁵ fide, Iam, inquit, dominus tuus ego sum, qui tibi magis quam truncus ille prodesse possum. Ad hec puer, Nunquam ego, inquit, ¹¹⁶ Bohemico porco sane deserviam, quin etiam in partis mille discerpi malim, quam a domini magnanimitate desciscere, cui Bohe¹¹⁷ mi omnes parem animum prestare non possent. At ille his in-¹¹⁸ census, Fatum, inquit, heri cum immanitate sequere, infelix puer, et, cui vivens in omni feritatis ministerio servivisti, eiusdem mortui latus ipse claudito. Ille vero regis imperium haudquaquam de-¹¹⁹ trectans ultro cervicem ac parti animo lictori supposuit cesorumque numerum non invitum clausit. Extra pomerium in suburbio, ¹²⁰ qua ad veterem Budam exitur, horum corpora sepulta sunt; in ce-¹²¹ miterio edicula est erecta, ubi state inferie fierent. Hinc future coniurationis multo perniciosioris in Sigismundum semina profluxere, nam ob sumptum e tot nobilibus proceribusque supplicium tanta optimatum animos rei indignitas incessit, ut in odia regis clam exarserint et, quod in aliis spectarunt, sibi id ipsum timere ceperunt. At ille, qui prius diligi et observari videbatur, nunc sevi ¹²² more tyranni ab optimatibus reformidari cepit. Intercesserat Marie obitus, quo Ungarorum amor haud parum sane deferbuit; quare ad extremum usque exitum hinc sibi cavere Sigismundus coactus est. Subiiciendum his bellum, quod apud Nicopolim infeliciter ge-¹²³ stum est, rite censuimus, quod altiuscule repetendum est, ut gestarum rerum series evidentius prosequamur.

Imprecarer, ut dii Grecis male facerent, nisi iniquitatis et perfidie sue sat penarum expendissent, quippe quorum memoria prorsus extincta; ii nanque fuere, qui primi Turcos in Europam tracievere. Nam, cum ex Augustali, ut aiunt, Paleologorum familia duo ¹²⁴ de imperio certarent, duas in Grecia factiones excitarunt, quibus universa respublica nimium laboravit. Decertatum utrinque diu, quare ¹²⁵ Grecorum opes admodum attenuate sunt; alter, qui inferior erat, ne facile cederet, ad barbaricas opes plane configugerat ratus plus in profana gente fidei quam in Christiana se inventurum. Turcorum auxilia imploravit, qui late in minori Asia dominabantur. Ad ¹²⁶ Amoratem primum Turcorum imperatorem, quando ita eorum vires excreverant, ut imperium orbi interminarentur, legatum misit, qui eius copias pacta mercede conduceret. Celerrime hic mandata per- ¹²⁷

egit, quando Turco nil erat antiquius quam per occasionem in Europam traiicere, ubi se imperium facile propagaturum, ut obtigit, esse sperabat. Coercebatur mari necdum navigandi artem gens ista noverat, quare sub auxilii pretextu in Europam traiiciendi copiam haudquaquam contempsit. Non modo militem mercendarium, sed socium se daturum pollicetur; conductitur Turcus ea condicione, ut exacto bello in Asiam se reciperet; accepta est utrinque condicio. Et per Hellespontum barbarus accommodata sibi classe in Greciam primo traiecit, hinc primum Europe exitium promanavit, cuius auctorem haud immerito primum dignas penas dedisse vidi mus. Redintegrato Grecorum bello et instauratis factionibus diu Turcorum auxiliis pugnatum est. Cum finem sepe malis utriusque dari cuperent, cum presentem internectionem conspicarentur, novas quotidie causas Turcus ipse nectebat, quibus redintegrato bello usque adeo Grecorum vires enervarentur, ut exactos deinde viribus utrosque facile domitaret. Ne se quidem id consilii frustratum est, nam extenuatis Grecorum opibus in eos arma vertit, occupavit Gallipolim, que ad Hellespontum sita est. Locum nactus ad inferendum bellum nimis idoneuni, ubi ex Asia copias facile traiicere poterat, ceteros mox impetere, vastare agros, per finitimas regiones excursare cepit. Occupata magna Grecie ac Macedonie parte in Thraces deinde arma vertit; nam, cum excursionibus et rapinis omnes longe lateque vexaret, defatigatos ad deditioinem, multos ad mercandam pacem populos impellebat. Pasaythes quoque Turcorum imperator Amorate patre longe audacior et acriore in gerendis rebus ingenio brevi Thraciam, Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Beotiam et Atticam in potestatem suam redegit. In Mysias mox erupit, quos nunc Bulgarios vocamus et sub Ungarorum dictione esse noverat.

Cum e sociorum litteris variisque rumoribus Sigismundus accepisset Turcos Mysias invasisse, in divina humanaque sevire, omnia igni ferroque vastare, ad Pasaythem continuo legatum misit monens, ut et provincia, in qua ius nullum se habere noverit, et alienis rebus manum abstineret; si quid fas, quid equum foret, recte sciret. Distulit ille responsum, donec universam fere provinciam occupavit; deinde, cum domos armis instruxerit, accito legato sat sibi iuris esse respondit, quando parietes etiam sua iura preferrent. Cum hec legatus continuo retulisset, Sigismundus huic ius omne in armis esse sensit; cum diro sibi hoste agendum esse ratus haud parum timere ceperat. Decimo sui regni anno expeditionem in Turcos ipse suscepit; salutis vero anno nonagesimo sexto supra terdecies centenum promulgata belli fama delectus maximus habetur, iubentur omnes dare nomina. Quare tot legiones et auxilia coacta sunt, ut sine formidine cum profano hoste pugnare posset. Advenere Burgundionum Gallorumque auxilia, que orthodoxe fidei caritate commota gratis hec sacra stipendia faciebant. Multi e Belgis ac Celtis eminentioris fortune viri, nonnulli quoque reguli confluxere, quorum insignia Bude in Nicolai ede parietibus affixa expeditionis huiusce prestantiam testantur. Coacto igitur exercitu com-

paratisque rebus omnibus, que bello usui forent, ex Ungaria in Rassiam, que in superiore Mysia continetur, castra movet. Sigismundum in agmine quandoque dixisse ferunt, cum amplissimum ductaret exercitum: Nimirum non solum Turcus nobis nequāquam formidandus est, sed ne celi quidem, si forte ruerent, quorum ruinam stantibus hastis subire possemus. Rassia non sine populatiōne transacta; at, ubi in Bulgariam, que in inferiore Mysia continetur, descensum est, Oristum et Budinum nonnullaque alia castella Turcorum firmata presidiis multo sanguine expugnata. Kalandis Octobris ad Maiores Nicopolium Sigismundus castra movit; ab una Istri ripa Maior, ab altera Minor Nicopolis est sita, hec Traiani, Hadriani illa victorie monumentum, ut quorundam est opinio. Sigismundo hinc nunquam stativa movere certum erat, donec Nicopolim expugnaret. Turcorum Cesar, quem Pasaythem Ungarorum annales nominarunt et Chalapinum plerique dixerunt, auditō ingenti Christianorum apparatu, ne Europa eiiceretur, universam Turcorum rempublicam ad arma suscitavit, cum maximo equitatu ac innumera peditum multitūdine in Nicopolitanum agrum his occurrit. Urbs acri obsidione circumventa et ingenti presidio tuta haud impigre obstabat; erumpabant ex urbe sepe Turci ac varia fortuna potiti redibant. Irritabantur in dies ad pugnam utrinque animi, sed appropinquante Turcorum exercitu eo vires convertere opus erat; relicta legione cum nonnullis turmis equitum, que civitatem eruptione prohiberet, ceteri omnes in Turcos, qui iam dudum in conspectum venerant, sese vertere. Cum collatis dudum signis dimicandum esset, Galli instantissime ab Sigismundo petiere, ut prime pugne partes sibi concederentur; id laudis divine caritatis ardore cuncta Gallorum agmina exposcebant; concessum id in castris Gallo facile. Mox in castrorum conspectu, cum instructa acie Turcus obversatur, nondum instructa Ungarorum acie nec dato signo Galli elato clamore in hostem e castris prodiere. Concitatis equis in certamen descendunt; inauspicato pugna conseritur. At, ubi ad congressum perventum est, ii Gallico more descendunt equo, ut pedibus congregantur. Equi dimissi inito prelio cum ingenti clamore in castra recurrent. Turcis nil antiquius obtingere potuit, quam ut ab equo cum pedite dimicarent. Ab expedito hostium equitatu circumventi obteruntur Galli miserrimeque ceduntur. Dum hasta securive Turcum ferire student, incursu recursuque hostili defatigantur deluduntque. Dum audacie penitet, a lateribus modo adversi aversique telorum imbribus aut falcatis ensibus lanceisque leduntur. Subsidii spe firmati ad necem usque dimicant, spe tandem sua frustrantur, nam equi, quos dimiserant, in castra pre tumultu fragore que relati Ungarorum absterruere animos, quippe qui huiuscem moris ignari sociorum hinc conflictum suspicantur; metu perciti castra reliquunt, ad unum plane omnes in fugam vertuntur; in tanta rerum trepidatione nullum imperatoris edictum, nullum imperium servare. Turcus ceso Gallo a tergo instat, palantes Ungari fugiunt, magna in fuga cedes patrata. Defatigalus cede hostis ad capturam

et questum se converlit; maximus captivorum fit numerus. Quin ¹⁶² etiam Sigismundus quoque, qui celi ruinam paulo ante contempserat, in manum hostium pervenisset, nisi parva cymba Danubium traieceret Xerxis profecto fatum nactus, qui contempto maris imperio parvo navigio in Asiam relatus est. In hoc prelio viginti Christianorum milia cecidere, ex Turcis milia sexaginta desiderantur. Traiecto Danubio reformidato Ungarorum impetu ob rem male gestam in Thraciam Constantinopolim rex effugit, hinc navigavit Rhodum et Egeum Ioniumque pelagus emensus in Dalmatiam lustataque Dalmatiae ora in Croatiam venit. Illum viri auctoritate opibusque prestantes eo tempore sequebantur; horum principes Ioannes Canysa Strigoniensis metropolita et Stephanus frater fuisse dicuntur; hi fidum regi comitatum consiliumque semper prestitere.

Cum optimatibus regni, quecunque pro defensanda regia dignitate fieri opus erat, studiosissime curabant, abominabantur novitatem rerum et nihil his otio et pace erat antiquius, dum optimi viri sungerentur officio. Contra duo Stephani intercessere Caroline ¹⁶³ olim factionis principes, quorum alter Ladislai vaivode filius erat, e Symonthornia alter natus erat. Ii, cum aversos a regis fide ob rem ¹⁶⁴ ad Nicopolim pessime gestam Ungarorum animos intuerentur, ad refovendam factionem pristinam animum advertere, tempus perquam idoneum sibi oblatum esse rati e proceribus multos in hac coniuratione sibi socios asciscunt, populorum sub officii et publice caritatis specie animos invertunt, perniciosum hunc regem reipublice esse suadent et, ni provideantur, multo in dies perniciosorem futurum. Defuncta Maria regnum ad Ladislaum Caroli filium pertinere, qui in Italia late regnaret, diri tyranni crudelitatem, qua duo et triginta nobiles in foro trucidati fuerant, vulgo predictant. His verbis usque adeo cunctorum animos forte sollicitarant, ut maximam in regem invidiam conflarint, inverterant optimatum animos illique infestos plane reddiderant. Proinde nuncios ad Ladislaum ¹⁶⁵ mittunt Apulie regem, quibus eum ad recipiendum Pannonie regnum hortantur hereditario iure ipsi debitum; si in Ungariam ¹⁶⁶ venire voluerit, se regnum sine periculo tradituros pollicentur. Significant omnes procerum antistitiumque animos Sigismundi tyranni crudelitatem habere odio nec ultra eum tolerare posse, cum ad interitum Ungariam redigat, rem domi forisque male gerat, infensam sibi nobilitatem ordinemque patricium habeat; item Caroli regis ¹⁶⁷ probitatem, iustitiam et virtutem ita omnium pectoribus insedisse, ut excidere nequeat; eius fatum ita passim ab omnibus deplorari, ut nihil vehementioribus votis expetant quam filium tanli sceleris ultorem Pannonicarumque rerum legitimum moderatorem; proinde impensis orare, ut delatum sibi patrum regnum accipiat, quo sine controversia potiri poterit. At ille, cum se ad magna cepta vocari ¹⁶⁸ intellexisset, continuo Caroli patris memoria succurrit, obversabatur ante oculos paterna fortuna, fatum miserabile, varia Pannorum ingenia, subornata corda et studia perquam diversa, que omnia cunctatius capere consilium cogebant. Quanquam illi Sigismundum ¹⁶⁹

exigere, tradere pacatum regnum forte spondebant, tamen paterna infelicitas absterrebat. Cum Ladislau in capiendo consilio tardorem conspicantur, eo magis in dies litteris adurgent, incendunt ad id instantissime. Demum per internuncios cum Ladislae interiecto sacramento paciscuntur, quicquid uterque Stephanus ipsius nomine in Pannoniis egerint, quousque regno potiatur, eum ratum ac firmum apud se habiturum. Pacta condicione coniurationis auctores in dies Ladislai partes pro viribus augent; tot enim nobiles hac labe infidelitatis coquinaranter, ut proditorum posteri in hodierum usque diem ad rusticitatem redacti maiorum errata luant.

Li quamvis rem clam agerent, Sigismundum tamen latere non poterant; is enim in Dalmatia moram trahebat, ubi, antequam in Ungariam restitueretur, menses duodeviginti mansisse dicitur. Dissimulabat omnia, ne invidiam sibi ex re ad Nicopolim male gesta conflatam adaugeret. Strigoniensis tandem archiepiscopi et Canysarum ope, item Ioannis Maroti opera, qui Sclavonie prefectram cum imperio gerebat, in regnum restituitur. Stephanos nova quotidie moliri conspicatur et, cum eos presidio valido firmatos intueretur, eorum audaciam ulcisci non audet. Post restitutum regem iam annus quartus agebatur et novitatis auctores ceptis in dies multo impensius instabant; iam gens fere universa ex omni ordine a regia fide defecerat et limis illum oculis omnes intuebantur. Duorum et triginta equitum cedes, Nicopolitana clades, in invidiam Marie obitus et inita post illius mortem intemperantia et precipue feminarum, quibus pre licentia celibatus se fecerat obnoxium, in contemplum hunc adduxerant. Exaggerabantur coniuratorum obloquii hec omnia, que multo minora, quam ferebantur, profecto fuere, quippe qui multa ab eo comiter populariterque facta vitio vertebant et in malam cuncta partem interpretabantur. Tempus tantum idoneum expectabant, quo regem tuto caperent, cetera, que ad patrandum facinus pertinebant, summo studio diligentiaque paraverant. Ad postremum anno salutis quadringentesimo primo supra millesimum festo Vitalis die ex composito regem ingens procerum multitudo sub officii pretextu adiit, frequenti virum corona circumvenit. Convenere etiam duo fortissimi iuvenes Nicolai Gare palatini quondam filii, quem ad Elisabethe regine latus a Ioanne Corvalo cesum esse diximus; horum alter Nicolaus, Ioannes alter dictus est. Ob indignitatem, quam ex paterna nece conceperant, quia illum Sigismundi factione cesum fuisse senserant, haud difficulter in hanc coniurationem descenderunt. At, ubi apud regem convenitum est, de patratis ab eo facinoribus, de republica male gesta primo agi ceptum; oborta censure, quando de rebus gravibus agebatur, ad convicia contumeliasque perventum est. Irritati citro ultiroque iurgiis animi ac nimis exacerbati sunt; mox facto impetu omnes, veluti inter eos dudum conventum erat, regi manus iniiciunt, hostili more confrementes capiunt distrahuntque et iam de trucidando viro cogitassent, ni quorundam amicorum suasu remorati fuissent. Fatum fortasse Iulii Cesaris subivisset, nisi bono-

rum plerique intercessissent. In vincula tandem preter dignitatem miserrime coniectus adhibitaque procerum custodie cohors. Cum de prefectis custodie ageretur, Nicolai Gare filiis committendum esse regem uno consensu decrevere, quos illi infestissimos esse intelligebant; negotium datum ultiro accipiunt, in Soclon oppidum captivum abducunt ibique cum presidio regem asservant.

Sigismundo ad captivitatem miseram redacto omnes, qui ad-versa factione iacuerant, capita extulerunt. Suscitato tumulto processus cum numeroso equitatu urbem discurrunt, Ladislaum regem declarant, hunc verum regem ingeminant. Ladislai signa edunt non modo per fora et compita, verum etiam per omnes regni oras circumferunt. Cuicunque urbi elata signa appropinquant, cum penatibus et magnis diis collegia sacerdotum occurrabant; illa modulato carmine ac hymnis preverenter excipere, inferre templis et magnis aris imponere, plausu et congratulatione excolere, saluti hilaritatique publice passim supplicare. Redacta in Ladislai absensis potestatem Ungaria patrum consulto, dum hec aguntur, ad eum in Italiam continuo legati missi sunt, qui Sigismundi captivitatem et eum regem declaratum nunciarent, demum orarent, quando iam in vado res est, in Ungariam repente trahiiciat. Cum ex his et paulo ante disseminatis rumoribus rem omnem Ladislaus ex ordine accepisset, ad expeditum pacatumque regnum se vocari ratus classem opinione celerius parat, complet milite. In Dalmatiam, quam celerime potest, optimam nactus tempestatem contendit, Iadram classe primo appulit, quam Ungarici iuris esse noverat. Iadrenses Ladislaum audita Sigismundi captivitate et declaratione huius haud inviti honorifice excipiunt, consalutant regem et tanquam verum legitimumque regem excipiunt, quamvis adhuc in Ungaria Budensis arx ceteraque regis presidia cum superioribus Ungarie partibus, que ad Moraviam spectant, in Sigismundi fide permanerent. Aliquot Iadre dies ille subsidet, dum reliquam classem exspectat et ab amicis, quid in Pannoniis agatur, intelligat. Cunctatus patre longeque consultius res suas agebat, ne pari fato rueret ne quave se facti penitentia sequeretur. Utrinque in dies nuncii veniebant, qui, et quid in Italia et Ungaria gereretur, ex explorato referebant. Non tam potiunde Pannonie spe trahebatur, quam Apulie sollicitudine remorabatur. Iadram a Ladislao vi captam Venetorum annales prodidere, quod veritati absonum esse videtur. Nam, si ab Ungaris abdicato Sigismundo is rex pronunciatus erat, ne magnum quidem negotium fuit ab Iadrensisbus spectate fidei sociis excipi.

Interea Sigismundus, qui in Soclo castello angusto carcere coerebatur et Gararum presidio custodiebatur, dies ac noctes lacrimis et singultibus vexabatur deplorans condicionem principum vel maxime fortunam suam, qua nihil videtur esse miserius, quippe cui nec mortis adminicula concederent nec carnifex quisquam adhiberetur, qui eum his malis eriperet, nec pre vigili custodia mortem sibi consciscere liceret. Denegato quodam pulchro genere mortis indignabatur etiam qualecumque negari et, quod longe gravius

videbatur, id assiduo succurrebat nec licere vivere nec posse mori.
 Tanti supplici gestarum rerum conscientia virum haudquaquam al-
 ligabat, quam multo magis recte quam perperam ubique servasse
 sibi videbatur; si quid patrarat immittius, ultiōis gratia se iure
 fecisse iudicabat. Captivi regis gemitus assiduos Nicolai palatini
 coniunx Gararum fratrum mater diu tolerare non potuit, que non
 modo muliebri ingenio, sed etiam suapte natura perquam pia sem-
 per est habita. Infaustam regis condicionem miserata, ne quid in-
 consultis liberis ageret, cum his primo de liberatione verba facere
 constituit, quibus seorsum accitis, Unde id, inquit, suavissimi fi-
 lii, vobis accidit, ut infandi carceris prefecturam sortiti eternam
 pre ceteris infamiam despiciatam habueritis. Quid plus vobis iniuri-
 arum quam ceteris illatum est? quid plus oneris et periculi in ma-
 cerando Augustali et sacro sanguine accepistis? Nicolaus pater
 vester, qui palatinus erat, a Maria et Sigismundo pii parentis loco
 semper habitus; is a Ioanne Corvato cesus est, qui acerrimus do-
 mus Gare fuerat inimicus. Vos cum paternis inimicis miseri coniura-
 stis, in sacrosanctum regem iniecistis manus, coniecistis in vincla
 et nefarii carceris prefecturam obivistis. Recordor equidem patrem
 vestrum sepe hec dicere solitum coronatum sacro diademeate regem,
 etiamsi bestiis comparari posset, nunquam tamen sine magno sce-
 lere ledi posse; si in vestra manu is diem obierit, nonne perpetuam
 vobis vestreque posteritati notam inuretis? Alii, qui novum regem
 inducere pergunt, habent, quid sperent, vos, qui sacrum principem
 carcere maceratis, conficitis multiplici morte, etiam pro nefariis
 parricidis haberetis potestis. Quidnam miseri speratis? Quod in hunc
 patratris, id ipsum in se futurus rex, mihi credite, formidabit. Lau-
 dant tyranni proditionem, ut aiunt, proditorem tamen abominantur
 et timent. Si regie cedis auctores fueritis, preter infamie eternitatem
 quid a diis hominibusque vobis sperare fas erit? nempe preter inau-
 dicta supplicia, extremum exitium aut perpetuum exilium fortunarum-
 que iacturam quid aliud sperari possit, non invenio. Hic tot an-
 nos iure coronatus regnoque potitus est, ille, qui aditus est, non
 modo rex non est, sed nondum regnare didicit. Levitatis profecto
 magne summique periculi et sceleris inauditi est incerta pro certis
 querere, tentare extrema, infandum patrare parricidium et deorum
 una mortaliumque iram sibi provocare. Proinde, dulcissima pi-
 gnora, ab inito facinore desinite, detestabilia deponite consilia, a
 nefanda coniuratione deficite, hanc notam vobis posterisque perpe-
 tuam futuram, dum tempus est, diluite. Dimittite, queso per ma-
 ternam pietatem, per salutem vestram, Ladislai regis factiones, qui,
 cum patrem Carolum regem a parente vestro cесum noverit, nun-
 quam vos equis oculis poterit intueri. Sigismundus est, qui de pa-
 tre ac domo vestra semper fuit optime meritus, huius uxor et so-
 crus ipsum ita opibus et auctoritate extulerant, ut alter apud Pan-
 nonios rex esse videretur. Quare, si mihi auscultaveritis, si inae-
 statem regiam, quam in captivitate preter equum et fas retinetis,
 beneficio vestro liberaveritis, omnia profecto summa ab eo vobis

sperare licebit, pro quo pater vester animam effudit.

Maternis dictis iuvenes collabascunt, perterriti restitere et inter spem et metum nutantes in gravissimas curas incidere. Postero die pia mater in carcerem descendit. Nihil, inquit, rex optime, tui nunc impensis curant inimici, quam ut te quoquo scelere perdant im- merentem, contra vero me femellam assidui gemitus lacrimeque tue semper excruciant et dignitatis et etatis tue me commiseratio subit. Non hec tua maiestas de republica semper optime merita, non hec tua fausta florensque iuventus, non hec divi Lodovici heres meruit. Te ab omnibus destitutum nec deus, in cuius tutela sunt reges, nec viri manes, qui pro te olim occubuit, a me deserit patiuntur. Incumbo saluti tue nihilque succurrit antiquius quam, quibus te captivum sicarii commisere, eorum in libertatem manibus vendicari. Vérum unum est, quod me a proposito sanctissimo remoratur, filiorum, inquam, meorum ratio, qui ne a te deinde deserantur, vehementer addubito; proinde, si neque me neque liberos meos, mea, inquam, duo lumina recuperato regno deserturum unquam esse receperis, profecto te continuo liberatum in pristinam que salute ac dignitatem restitutum dabo.

Ad hec Sigismundus oblata spe salutis, quam antea desperarat, dispansis bracchiis ad pedes provolutus, Salutaris, inquit, dei internuncia solaque infandos Sigismundi regis labores miserata, quamvis te palatini mei, quem parentis loco semper colui, pudicissimam coniugem esse reputem, miserere tamen, queso, quecumque sis, calamitatis nostre. Et nostri miseria pristinaque benivolentia in vos omnes ac lese maiestatis numen et inaudita fortune nostre condicio te quandoque ad commiserationem excitet. Quan- quam ad definiendas erumnas lacrimasque meas nihil morte magis presentaneum succurrit, tamen, ut ab huius fati turpitudine me redimam, spem, quam detulisti, lubenter accipio. Si ea, que me sperare iussisti, exitu prestabis, omnia in me ingratitudinis exempla et suppicia consummentur, si qua in me unquam minima tanti beneficii oblivio deprehendetur. In omnes, que excogitari possint, incidam infelicitates omniumque sim exemplar infelictum, si me tibi tuisque in pristinam dignitatem restitutum pro arbitratu tuo semper, uti par est, gratissimum non inveneris. Proinde hoc inter utrumque teste deum hominumque fide iam fedus percutio; Sigismundus liberos tuos in fratres nunc adoptat, adoptat te quoque in matrem pientissimam, testes deos adesse iubet, iureiurando fedus obfirmsat. Quicunque initum fedus violarit, non modo libertate careat veluti omnium compos miseriaram, sed ut feda porca disseetur in frusta. Dextra demum utrinque data fedus ictum est.

Mater mox cum liberis de liberando rege transegit; ad emit- tendum regem Moravie dominatum liberis pollicetur; commentum id vafre a muliere inventum, ut Sigismundus a filiis studiosius et cautius educeretur. E sententia omnia facta sunt; emissus in Moraviam Sigismundus, deinde in Bohemiam pervenit. Coniuratorum igitur perfidia, que multis artibus regem circumvenerat, unius

pietate mulieris eluditur. Hec igitur Sigismundi liberatio, qui, ubi 240 vinculis emissus est, pervenit ad Celie comitem, cuius viribus adiutus, quia sororem eius Barbaram desponsavit, in Bohemiam rediit et deinde Ungariam recuperavit. Cum rex in Bohemiam evasisset, 241 liberationis huiusc rumores dicto celerius in Pannonias, Gallias Germaniamque disseminati sunt; ad hanc inimici famam animo consternantur, nesciunt, quid ultra moliantur, neque, quo fugiant, neque, quid sperent, plane succurrit. Contra vero, qui regis captivitate iacuerant, veluti se ab inita servitute vindicaturi revocandum cito Sigismundum exclamat, quicunque intercedant contrave sentiant, pro reipublice hostibus haberi oportere, in auctores tanti mali publice animadvertisendum. Sumunt quoque in eos arma, qui regem 243 ceperant. In Pannonias omnia miscentur, sub pretextu regie vindicte in adverse factionis nobiles vim inferunt, populantur agros, agricultas cum pecoribus abigunt, seviant quandoque ferro ignique ac nullum crudelitatis et sevitie genus omittunt. Inter hos seviebat imprimis Ioannes ille Marot Sclavonie prefectus, vir quidem, ut aiunt, iniurius et ab omni humanitate destitutus. E contrario, quicunque has iniurias accipiebant, pari feritate certabant. In tanta rerum omnium perturbatione Sigismundus comparato ingenti Bohemorum exercitu et adiectis Ungarorum auxiliis, qui superiores regni partes incolebant, cum maximis viribus Ungariam ingreditur. Diffugere 246 inimici obversari minime ausi, quando Budensem arcem ceteraque presidiaria loca adhuc in fide regia persistere noverant. Recta Budam rex venit, arcem recepit ceteraque munitissima in Pannonias castella regia recuperavit.

Hec in Dalmatiam Venetiamque omnem fama diffuderat. Ladislaus hoc nuncio consternatus in Italiam irritis ceptis elusus repte redire contendit. Cunctionem, quam in Dalmatis fecerat, 249 approbavit, ne turpiore reditu notaretur; aliqui autem, quod minus probe scriptum est, quando nimis est absonum veritati, suorum litteris ab hac expeditione fuisse revocatum prodidere, quippe qui non modo Neapolitanos, verum etiam plerosque regni principes iam formidolosam expeditionem moliri significassent. Adiecer quoque Ladislauum ea tempestate ladram vi captam cum universo agro adiacentibusque insulis ac mari centum milibus Veneto vendidisse, ad recipiendam eam transigendamque venditionem cum presidio valido legatos venisse quattuor Franciscum Cornarium, Leonardum Mocenicum, Antonium Contarenum et Fantinum Michaelem. Sunt, 251 qui multo absurdius tradidere Venetos a Ladislao totius Dalmatiae iura cum ladra redemisse, senatum populumque Venetum empta Dalmatia ita publica letitia fuisse exhilaratum, ut supplications ac unius diei ferias indixerit. Ex his utriusque futilia ac vana scripsere. 252 Ii, qui captam a Ladislao ladram tradidere, ut rem belli iure sibi vendicatam haud iniuria vendere potuisse videretur, iniquum profecto scribendo profitentur affectum. Nam ladrenses, qui tot Venetorum Pannorumque bellis haudquaquam facile capi potuere, nunquam a parva Ladislai classe ac primo congressu capi potuissent.

Admisere illi virum tanquam amicum ac regio sanguine oriundum, 251
 quod eo fecere libentius, quia in regni spem vocari intelligebant.
 Cum ibi moram traheret, a Venetis fuit pecuniis ac navibus adiutus; 255
 ut aliqua ex parte satisfaceret, id, quod ladre habebat, que
 alieni, hoc est Ungarici iuris erat, abiens ultro Venetis concessit.
 Qui autem Venetos ceteram Dalmatiā ab eo mercatos tradidere,
 multo gravius errarunt. Quonam pacto Veneti in gerendis rebus 256
 prudentissimi centies mille aureum pro emenda a Ladislao, quam
 vendere non poterat, Dalmatia erogassent, quia Ungarici iuris erat
 atque Sigismundi et non Ladislai tunc auspiciis regebatur? Nun- 257
 quam profecto in re vana ac futili tantam pecuniarum iacturam
 Veneti fecissent. Ladislaus igitur spe sua frustratus in Apuliam 258
 regressus est. Antequam e Dalmatia solveret, ad Sigismundum hec
 scripsit: Ingenue fateor, Sigismunde rex, me a proceribus Ungar-
 ris diu ac impensis sollicitatum, invitum tandem ad promissum 259
 mihi regnum in Dalmatiā usque venisse, subseditse ibi diu, do-
 nec rei exitum conspicarer, ut, quid ipsa fortuna ac varia Unga-
 rorum studia sibi vellent, veluti e specula prospectarem. Inconstan-
 tiā dolosque istius gentis plane novisti; utinam in patre id ip-
 sum non fuisse expertus. Nihil ii regum novitate ducunt antiquius 260
 et tunc maxime gestiunt, quando in certamen reges ex arte com-
 mittunt; ex hac re questum faciunt. Excusatum igitur me habebis,
 quia expeditionem hanc ultro non accepi acceptamque idcirco cunct-
 atius gessi, ut divinam quoquo modo voluntatem elicerem, unde 261
 mortalīs potestas cuique tribuitur. Proinde tibi, quem e tot erum-
 nis ipse deus asseruit, sponte cedo, posthac me officiosum ami-
 cum, immo affinem lui studiosissimum in ceteris rebus agnosces.
 Mihi autem nil gratius unquam facere poteris, quam si ab his, 262
 qui regum novitate letantur, eas penas exegeris, quas de te sumere
 conati sunt. Sigismundus pro fratre imposterum se habiturum et 263
 cumulatas a parricidis penas exacturum esse respondit.

Reversus Ladislaus in regnum Albrici Cunii opera Neapolita- 264
 num regnum bene pacavit, quo pacato, cum incredibili prudentia
 et magnanimitate polleret, omnibus Italie potentatibus imprimis-
 que pontifici formidolosus esse cepit. Albricum hic magnum, ut 265
 aiunt, commestabilem creavit. Ne amplius per prefectos et legatos
 foris rem ageret, sed ipse rebus suis adisset, Perusiam ac multas
 Latii civitates in dicione suam rededit. Vicesimo regni anno per 266
 speciem amicitie Romam ingressus Romanos in Bonifatium ponti-
 ficem irritavit. In hac urbis perturbatione undecim e patriciis a Lo- 267
 dovico nepote pontificis capti sunt et a lictore cesi. Pontifex pa- 268
 triciorum cede consternatus cum aulica turba Viterbiū effugit. Se-
 dente deinde Gregorio pontifice maximo, cum is abesset, urbem 269
 Romam occupavit. Pontifex indignitate rei percitus Ladislauum regni
 titulo privavit Lodovicoque titulum addixit Lodovici Andegavensis
 filio, que regis Gallie fratrem fuisse perhibent. Succedente deinde 270
 Ioanne ac redintegrato bello ita a pontificis ducibus profligatus est,
 ut ingenue sepe fateretur, quod, si hostis prudentia et victoria uli

scivisset, iam dudum de se ac regno fuisse actum. Post hec inter 271 utrumque varia fortuna fuit; modo bello modo induitiis tempus transactum. Cortonam Florentinis vendidit. Dum Florentiam ceterasque 272 liberas Italie civitates in servitutem vendicare pergit, Perusie morbo correptus Neapolim contendit. Paucis post diebus, cum ibi convalescisset, Florentinorum arte, qui ab hoc sue libertati admodum timebant, medicato puelle concubitu, que sui medici filia fuerat, enecatus est. Hic fuit Ladislai finis, qui Caroli Parvi, ut aiunt, filius 274 erat, a quo Ioannam reginam et victimam et cesam fuisse tradiderunt.

His temporibus anno nonagesimo nono ultra terdecies centenum mirabilis Dealbatorum peregrinatio ex ulteriore in Cisalpinam Galliam erupit tribusque mensibus ad extremas usque Italie oras progressa universos tunc populos ad sumendum candidatorum habitum et ad continuanda supplicantium agmina concitavit. In illis 275 supplicationibus divinam misericordiam passim conclamabant, ingeminabant publicam pacem fideliumque otium et quietem, quam per tot annos amiserant, elatis vocibus implorabant. Tantam ea tempestate religionem populos incessisse aiunt, ut, qui candidatus non prodiret, ab humanitate simul et divino cultu destitutus esse videretur. Venceslaus Caroli imperatoris filius et Sigismundi frater, 278 qui cum patre olim imperare ceperat, in sequenti anno ob ignaviam inauditamque lasciviam ab electoribus est imperio abdicatus; Robertus Bavarus huic substitutus, sed non eque ab omnibus approbatus. Conductus a Florentinis ingenti pecunia adversus Galeatium 279 vicecomitem cum maximo Italiam exercitu ingressus est nullaque re gesta memorabili in Vindelicos se recepit. Cometes in celo 280 visus; hinc Galeatii mors secuta, quem in agro Mediolanensi ad Malignanum diem obiisse ferunt. Eodem quoque anno Tamburlanus 281 vita defunctus est; inauditis opibus imperator natus apud Tartaros gente humili mox eousque evectus, ut duodecies centena milia hominum haberet in castris. Qua quidem multitudine attritis bello 282 Turcis eorum imperatorem aureis catenis vincatum currui, quo vhebatur, quasi triumphans alligaverat. Protrivit Armenos, Persas 283 evertit, destruxit Egyptios, Damascum pene delevit. Tanto Asiam et Europam terrore compleverat, ut humanorum ulti scelerum appellaretur. Occuparunt eodem quoque tempore Galli Genuam lateque in Liguria dominari occuperunt. Quinto post anno Pise bello fameque confecte in Florentinorum potestatem devenere. Iam tempus admonet, ut ad Sigismundi gesta revertamur et, quid post reditum in Ungaria gesserit, rite prosequamur.

Post, ubi Sigismundus in Pannoniam redit, quamvis accepte 286 iniurie animo altius insederant, nequaquam tamen in vindictam continuo erumpendum esse censuit; dissimulato dolore clementiam pretulit, ne extrema inimici desperatione correpti aliquid obstinatus molirentur. Predia solum a fidelibus postulata, ne his ingratus videretur, ultro rescripsit, multos villis, muniis alios pro dignitate donavit. Ere bonisque potius quam capite multandos esse 287 rebatur, contra vero illis neque spem obcludebat neque occurrentes 288

limis oculis intuebatur. Ne gratiam quidem petentibus se difficilem ²⁸⁹ inhumanumque prestabat, exorabilem preter omnium opinionem se his prebere, ostendere se iniuriarum immemorem, insperatam pre se ferre mansuetudinem, ut, qui gravius in eum peccarant, fiduciam suscitaret ac metu simul et omni suspicione liberaret. Postquam ²⁹⁰ satis securitatis iniecerat, in Sclavonia conventum indicit oppidum- que huic presituit, quod barbarice Keureusduarhel nominant. Ad ²⁹¹ conventum Stephanus vaivoda Ladislai filius cum magna equitum manu advenit partim suorum viribus partim regis clementia fre-
tus, sed spe sua falsus longe aliter, ac putabat, sibi accidisse co-
gnovit. Cum in concilium venisset frequentissimum, dato signo ex ²⁹² composito a nobilitate captus ibique a lictore indicta continuo causa obtruncatus est. Diffuso necis huiuscrum rumore equites, ut sui ducis ²⁹³ mortem ulciserentur, sumpsere arma, domum, ubi concilium eo die habebatur, circumvenere et iam fuisse cruenta pugna certatum, nisi e fenestris continuo corpus eius in forum deturbasset, quo quidem spectaculo ita suorum animi consternati sunt, ut domini sui vindices esse formidarent. In medio tumultu adversus hos unus ²⁹⁴ obclamat: Qui ruitis, miseri, quo ruitis? En, cuius gratia sumpsistis arma, iam extinctus est; incassum furitis. State, viri, et adversus regie maiestatis imperium dimicare desinite. Deferbuit hac voce ²⁹⁵ furor equitum, nam timore exemplo perculti diffugere. Stephanum vaivodam preter alia gravissima scelera, que patratarat, id potissimum ausum fuisse memorant. Post Nicopolitanam cladem, cum in mari- ²⁹⁶ timis oris Sigismundus moram traheret, hunc ad Pasaythem Tur- corum regem tabellarios misisse ferunt clamque cum eo de filie nuptiis cum Ladislao rege egisse et ea quidem condicione, ut ge- nerum ad eiendum Pannonie regno Sigismundum copiis auxiliari- bus et opibus adiuvaret; rem per internuncios eo adduxisse, ut sub ²⁹⁷ hac spe affinitatis oblate, quam tantopere profanus barbarus appe- tebat, nonnullas Turcorum legiones ad labefactandas Sigismundi vires inter Savum Dravumque induxerit, unde magna Ungarie ap- pendicibus calamitas vastatioque illata; hunc igitur primum Turcorum ingressum in inferiorem Pannonię fuisse perhibent. Quare tunc ²⁹⁸ Syrmensis ager, qui tot urbibus oppidisque florebat, ita populatus et eversus est, ut vix nunc tot civitatum perpaucā vestigia super- sint. Sumpto de Stephano tot malorum auctore iam supplicio ce- ²⁹⁹ teri quoque suas dedere penas; alii nanque ere, exilio complures multati sunt ac postremum nemo e potioribus impunitate donatus. Res interea Ungaricas aliquantis per dimittamus et de Venceslao ³⁰⁰ et Sigismundo fratribus et quid huic cum altero intercesserit, haud ab re iam referendum esse duximus.

Venceslaus enim patris admودum absimilis improbis volup- ³⁰¹ tatis obnoxius, item desidiosus, iners et ignavus, parum appetens laboris ac vino potius quam imperio deditus ita principum a se animos abalienavit, ut ab omnibus odio et contemptui habere- tur; quare captus a proceribus menses tris carcere affectus, sed a Ioanne Lusacie duce et a Procopio Moravie tyranno non sine magno

reipublice malo liberatus est. In pristinam paulo post intemperantiam effusus iterum a Sigismundo fratre captus Albertique custodie commissus, qui ducatum Austrie ea tempestate gerebat. Cum in magnificis edibus Vienne asservaretur, custodum incuria fugam rapuit, iterum regno potitus in mores pristinos plane recidit; agebat perpetuos in vino crapulaque dies. Cum imperio indecorum omnes arbitrarentur, ab electoribus haud invito pontifice Augustali dignitate abdicatus est; reliquum etatis pari infamia transactum.

Quinquagesimo huius anno profana Husitarum emersit insania, que totam Bohemiam ac magnam Germanie partem prorsus infecerat. Pragense gymnasium ad ea usque tempora Teutones plane gubernarant, quod Bohemi, quibus ferox et indomitum est ingenium, gravate pertulerant. Ex his quidam nobili genere natus apud Oxonium Britannie civitatem eruditus, cum in Ioannis Vicleffii libros incidisset, qui de Rerum universalibus inscribuntur, his haud parum monumentis oblectatus hec in patriam retulit; in his de civili dominio, de ecclesia, de clero agebatur. Vicleffistarum veneno iam imbutus mox in alios perniciem suam effudit, librum concubis accommodavit, qui Teutonum odio trahebantur, imprimisque Ioanni humili loco nato, cui a villa cognomen Hus inditum, quod Bohemice anserem significat. Maxima ingenii prepollebat is acri- monia et eloquentia licet peregrina non mediocri; accedebant dialectice argutie, ingenium depravatarum avidissimum opinionum, quibus Teutonicos preceptores admodum sollicitavit ratus callidis confusos eos entymematis possessa diu gymnasia deserturos. Mox cum res e sententia non succederet, a Venceslao imprudentissimo principe impetratum, ut gymnasium Parisiorum ritu gereretur, quare professoribus externis locus ademptus est, qui rei indignitate commoti inito iureirando omnes cum discipulis abidere. Duo milia ex composito uno die recesserunt, paulo post tria circiter milia subsecuta, ad Lypsicam Misne urbem trium dierum itinere a Praga remotam convenere, occipere ibi cuncta liberalium artium studia profiteri. Exhaustum Pragense gymnasium ad Bohemorum potestatem redactum est. Hus partim vite subornate continentia partim copiosa dicendi facultate fretus gymnasi facili principatum sibi vendicavit. In ede divi Mathie, quam Betleem nominant, sacram declamationem sortitus festis profestisque diebus de divinis humannisque rebus vulgo predicare cepit. Et, cum eloquentia improbum hominem nacta haud aliter sese habeat atque gladius, qui in manus incidit furiosi, quodcumque e beneficis quondam libris virus ille conceperat, in populum tunc id universum evomuit. Publice Vicleffum extollere, commendare viri dogma, dicta divina et e celo sumpta dicere, inter divos hunc demum relatum esse impensius asseverare. Virosum repente dogma primum imbibere, qui sacris initiati, gravati alieno ere, insigni quoque scelere pollentes hac depravate opinionis novitate supplicium evadere sperabant. Concessere quoque in hanc sententiam plerique doctrina prestantes, qui, cum in ecclesia dei suam dignitatem assequi non possent nonnullos-

que nec cognitione rerum nec vite probitate, sed fortune tantum temeritate ad magna sacerdotia electos intuerentur, perquam iniquo animo tolerabant. Hinc primum in sacerdotes opulentos oblatratum, ³¹⁸ adiecte blasphemie et excogitata crimina. Summum deinde pontificem graviter incusare, deficere a catholica ecclesia. In eum hec dogmata commenti sunt Romanum pontificem reliquis episcopis esse parem; nullum inter sacerdotes esse discriminem; presbyterum non sacrosancta dignitate, sed vite meritis effici potiorem; animos ³¹⁹ corporibus exutos extemplo aut superis aut inferis in eternum adduci, inter hec nullum esse medium; purgatorium ignem haudquam inveniri; pro mortuis frustra inferias celebrari ac preces effundi irritas et sacerdotalis avaricie id esse commentum; item imagines divorum e medio tollendas; irritandam aque sancte asper- ³²⁰ sionem; mendicantium religionem a demonibus inventam; sacerdotes omnis paupertatem colere oportere eleemosynisque tantum pasci; liberam cuique divini verbi esse predicationem; nullum capitale peccatum quantumvis maioris mali evitandi gratia esse committendum; mortalis culpe reum neque seculari neque ecclesiastica dignitate potiri neque ei parendum; chrisma et novissimam ³²¹ unctionem inter sacramenta haudquaquam contineri; confessionem deo tanquam factam cuique satis esse; baptisma e fluviatili sat aqua constare; cemiteriorum usum questus gratia adinventum; templum dei terrarum esse orbem; templis et sacellis divinam coartari maiestatem; sacerdotii vestes altariumque apparatus ac cetera tale genus incassum veluti nullius momenti fuisse comperta; eucharistiā ³²² quoque loco ac tempore postulantibus dari posse; sacerdotique conficiende eucharistie ubique ac semper liberam esse potestatem, divinis ad id tantum verbis opus esse; frustra etiam eorum suffragia impetrari, qui inter divos relati sunt, quando nihil adiuvare possunt; in canonicis horis tempus frustra teri; nullum diem ³²³ preter dominicum festum haberi; ferias divis indictas reiici opore; nil ieunia sibi promereret.

Sbincolepus Pragensis antistes Ioannis Vicliffi volumina ad se ³²⁴ deferi coactoque doctorum concilio in foro concremari iussit. Ioanni predicatio interdicta et adiecte mine. In vicum ille rediit, unde ³²⁵ olim cognonem acceperat; suffragantem sibi loci dominum nactus hec eadem coacte plebi predicare occipit. Multa in Romanum ceterosque pontifices in dies maledicta evomere, ad conciliandos populorum animos decimas dicere haud secus ac eleemosynas habendas esse, possessorum cuique esse liberum eas pro voluntate dare, ad solvendum nullo iure cogi posse. Nondum eucharistie ³²⁶ profanus error emerserat; hanc novam pestem Petrus Tarsensis induxerat, quod quidem oppidum ad Albim fluvium situm est. Hic ³²⁷ a Teutonibus electus, cum pravis opinionibus laboraret, primus sub utraque specie dominicum corpus ministrandum esse profitebatur ecclesiam inscitie non mediocris insimulans, que sub una tantum specie sumendum edixerat; id salvatoris ore prolatum: Ni- ³²⁸ si manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem,

non habebitis vitam in vobis. Ceteri sensim hac contagione coinqnari occepere. Venceslaus rex, quamvis iniquo id animo audiebat, correptus tamen ignavia pestem hanc impune grassari patiebatur. Sbinco presul, cum nullam ad coercendam hanc labem in rege opem inveniret, ad Sigismundum sane confugit obsecrans simul et exclamans, ut labanti dudum orthodoxe fidei succurrat. Perniciosam populi mentes heresim obrepssisse significat, sacras ceremonias et mystica cuncta incestari; ni brevi provideatur, catholicam ecclesiam ire perditum. Se in Bohemiam propediem redditum Sigismundus affirmat et diligentissime mysteriis prospecturum. Dum negotiorum mole tempus differtur, Pisonii Sbinco diem obiit, cui Albericus suffectus est Bohemica gente natus inaudite avaricie detitus, quandoquidem rogatus, quem sonum molestius audiret, māxillarum inquit ossa frangentium.

Ladislaus ea tempestate Romanam ecclesiam infestabat, aduersus Ioannem pontificem maximum gravissimum bellum gerebat. Pontifex defensande ecclesie gratia integrum peccatorum remissionem publico omnibus edicto passim indulserat, qui in pontificum hostem arma sumerent. Cum edictum hoc in Pragensi basilica recitaretur, tris e plebe homines continuo inclamarunt Ioannem papam Antichristum esse, quippe qui crucem in Christianos indixerit. Ii senatus imperio subinde capti in vinculaque coniecli sunt. Facta seditione populus occurrit, dimitti homines exposcit, mox senatus oratione placatus arma deposituit, desidit tumultus. Proxima nocte de his capitale supplicium sumplum est. Cum e prelorii foribus crux effluxisset, patrate necis fecit indicium, quod ubi populo significatum est, tumultus redintegratur, resumuntur arma, ad pretorium undique concursum est. Erepta cesorum corpora aurea purpura involvunt, circa omnia templa hec per urbem efferunt, profane secte sacerdotes cum his pariter exclamant hos pro sanctissimis martyribus habendos, quando pro dei testamento sua corpora exposuerunt. Corpora ad Betleem in sacrario non sine aro matibus recondita sunt. Postquam satis superque conclamatum est, soluta multitudine res pacatur.

Paulo post ad Constantiam Suevorum urbem conventus indicitur; convenere frequentissimi Christiane reipublice proceres; ibi de rebus Bohemicis agi ceplum est. Sanande tandem provincie gratia Sigismundo, qui, ut infra referetur, ad Romani imperii dignitatem eveclus erat, Ioannem Hus et Hieronymum ad synodum placuit accersi. Acciti veniunt Ioannes etate et auctoritate maior, doctrina et facundia superior Hieronymus. Lecti ex omni natione patres eruditissimi, qui cum his studiosissime disputarent. Ostenderunt horum dogmata a divina lege ac bonis moribus nimis esse aliena, demum hos orant, ne plus ecclesia sapere contendant, monentes ad salutem non ad perniciem sapere oportere. Ad hec illi pertinacius instare, dicere se veros esse Christi discipulos, Romanam ecclesiam ab apostolorum sententiis admodum dissentire, opibus et deliciis oblectari, amplissimos affectare dominatus; proven-

tus ecclesie non, ut fas est, pauperibus impartiri, sed in luxum et intemperantiam erogari; nullum maledicendi genus pretermittere. Ad postremum, cum rogati neque mutare sententiam neque resi-³⁵¹ piscere vellent, sanctorum patrum decreto incendii damnati sunt. De³⁵² Ioanne prius supplicium sumptum est, paulo post de Hieronymo actum; uterque inaudita animi forlitudine rogum obiit, nulla miserabilis vox audita. Ambo in ignis ingressu hymnum cantavere,³⁵³ quod vix flamma et fragor incendii intercipere potuit. Cineres, ne raperentur a Bohemis, in lacum proximum dispersi. Rogi solum³⁵⁴ a discipulis erasum in patriam relatum et pro sacro habitum. Uterque a Bohemis inter divos relatus sollemnisque utriusque dies publice constitutus. Sectatores exin amicorum opera quedam a rege³⁵⁵ templa extorquent, ubi sue plebi predicare ceperant. Ad Glatoniā³⁵⁶ nobile predicatorum collegium evertunt idque primum in Bohemia cenobium Husitarum impietate ruinam dedit, quod edificiis et prestanti sacrarum rerum apparatu iuxta pollebat. Deinde oppida-³⁵⁷ tim vicatimque in magnifica templa sevitum. Item celeberrimum aule regie monasterium, quod ad Moldavie ripam situm est, qua Mysa fluvius eum influit, ubi regum corpora condebantur, pari sacrilegio absumptum est. Preterea ad castellum quoddam triginta ho-³⁵⁸ minum milia convenere, quibus in patentibus campis, cum trecentas mensas erexissent, sub utraque specie data est eucharistia.

Venceslaus hac re vehementer absterritus, ne eorum in se arma³⁵⁹ verterentur regnumque sibi abrogaretur, Corande tamen presbyteri contione liberatus est; in Vicegradensem arcem se recepit parvotantum fluvio a Praga disiunctam. Ad castellum deinde novum,³⁶⁰ cui Cunragie nomen inditum, quod ad quintum ab urbe lapidem ipse construxerat, cum paucis abiit, ad Sigismundum repente fratre oratores misit, qui auxilium implorarent. Mox consulibus Nove³⁶¹ Civitatis Pragensis edixit, ne ulterius dominicum per urbem corpus cum pompa ab hereticis circumferri paterentur. Contra illi pridie³⁶² Kalendas Iulii, cum ad Carmelitarum basilicam convenissent, eucharistiam contempto consulum imperio per urbem circumtulere, diripiuerū domum sacerdotis, qui a profanis deliramentis plane dissenserat. Mox facto tumultu circumvenere pretorium. Consules unde-³⁶³ cim metu perculti fuga sibi salutem compararunt, ceteri septem, qui remanserant, raptim intercepti ex altissimis in forum fenestrī deturbati pilisque multitudinis excepti pariler et dilaniati sunt. Venceslaus interea paralysi correptus gravius laborare cepit. Exin duodecimo die signatis hæreticorum nominibus, quos morti destinarat, dum fratrem assidue vocitat et amicorum auxilia anxius expectat, prius humanis excessit, quam Sigismundus et vocati principes adesserent.

Post Venceslai mortem Ioannes Zyska quidam emersit haud³⁶⁵ ignobili genere Trosnovie ortus vir tenui censu in aula a pueritia educatus, bello impiger ac strenuus, altero captus oculo, quem per certamen amiserat, item cui ferox ingenium et indomita rapinarum libido inerat. Husitarum contagione infectus coacta sacrilegorum³⁶⁶ manu in celera, que superstiterant, templa fecit impelum, comminuit

divorum simulacra, Christi optimi maximi fregit imagines, Carthusiensium cenobium vetustum quidem et mirabili opere constructum diripuit succeditque. E montana turba circiter quadringenti viri cum 367 mulieribus descenderunt Husitica labe coinquinati, quibus a consublibus pre timore plebis cibaria publico sumptu decreta; ii a Zyska inter suas copias asciti. Zyskam ad locum profectum, quem Cruces 368 appellant, magnus hereticorum numerus est secutus. Ad eum profecto locum quadraginta circiter milia convenere, quare audientiorem impii ad maximum quodque facinus animum concepere. In eo con369 ventu multa adversus Sigismundum Cesarem, quem regni heredem suisque conatibus infestissimum esse noverat, excogitata et decreta sunt. Post hec Zyska Coranda duce Pelezinam contendit, ubi complures eiusdem factionis esse senserat, urbem confestim in potestatem suam redegit validoque presidio confirmavit. Qui ad Cruces 371 remanserant, arcem Vicegradensem invasere, quam negligentius asservari intelligebant. Regina interim anxia, cui Sophie nomen erat, diversa trahebatur; quo se modo tueretur, haud facile succurrebat. Sigismundum crebris nunciis opem orabat nec non et vicinorum 372 auxilia petere, in partis omnes versare mentem et deum hominumque fidem implorare. Nimirum haudquaquam probo Sigismundum 373 consilio usum tunc omnes affirmant, quippe quem in Turcos, qui iam pridem se castris exuerant, arma prius movere quam laborantem Bohemiam petere libido incesserit. Quod, si Pragam confestim 374 exercitum duxisset, antequam hereticorum vires coaluissent, nunquam Germania tot incendia subiisset. Ille vero, dum bello Turcum 375 lacescere pergit, Bohemiam amisit et Ungariam non defendit, cum serum eius foret auxilium.

Regina cum Cenchone Vratembergensi regni gubernationem 376 obivit. Comparatis regio sumptu copiis arcem Pragensem et minorem, que arci subiacet, civitatem presidio munivit, ad pontem Moldavie turres erexit, ut hereticis transitum inhiberet. Contra illi 377 per regnum passim conventus habere, sollicitare populos, hos minis trahere, illos blanditiis allicere, suis urbem hominibus complere, demum dies noctesque impensius decernere, quibus rerum summam artibus occuparent. Cum his Petrus Sterembergius ad 378 Benedicti insulam conflixit; prelium equo Marte diremptum. In Praga adacta impiorum multitudine pro ponte pugnatum; cum multi utrinque cecidissent, pons tandem in Husitarum potestatem redactus est. Mox, cum fideles in altiorem sese partem recepissent, 379 coniunctis animis una certamen instaurarunt; quinis diebus assiduo pugnatum est, multi utrinque cesi, multe magnifice domus igni absunte, pretorium infimo loco situm quoque incensum est.

In hac summa rerum perturbatione intestinoque bello legati 380 Sigismundi regis intervenere, regni Prageque gubernationem iuxta suscepserunt, fecere industrias, ut Vicegradensi arce redditia civibus ad Sigismundum oratores mittere, cum eo rem suam transigere liceret. Zyska Pelezinam, Piestam et alia, quecumque loca ceperat, 381 ultro restituit. Pacta condicione externi heretici deseruere urbem,

gubernatio et prefectura urbis a consulibus recepta. Quamvis ali- 382
 quanto pacatior exin urbs facta, catholici tamen, qui excesserant,
 redire non ausi Sigismundi regis adventum expectabant, cuius pre-
 sentia se tuto in urbe permansuros sperabant. At spes omnis per- 383
 lectis eius litteris intercepta, quippe quibus ille haud aliter se re-
 gnum ac pater Carolus provinciam gubernaturum esse significavit.
 Hinc sectam suam electum iri heretici intelligere, que regnante Carolo 384
 nondum emerserat; quare magis ac magis exacerbabantur. Salvatoris 385
 nostri natalibus Brunnam, quod est Moravie oppidum, Sigismundus
 advenit, accurrere illico Pragenses veniamque supplices exoravere.
 Venia ea condicione data, ut catenas et repagula tota ex urbe de- 386
 ponerent, suos acciperent magistratus eisque rite parerent; acce-
 perunt illi pre metu condicione. Audito novi regis adventu ingenti 387
 primores regni letitia correpti nuncupatissimis eum votis expecta-
 bant, admittebant urbes prefectos a rege missos et ad eius obse-
 quium iam dudum sese omnes accommodabant. Quod, si Brunna 388
 tunc recta Pragam ipse venisset, nemo prefecto dubitasset, quin Hu-
 sitarum pestis tota penitus Bohemia excessisset. Sed in Schlesiam 389
 Sigismundus iter forte divertit Wratislaviamque pervenit, que caput
 gentis est. Itineris causa fuerat, quia consulatum, quem nuper illic
 instituerat, populus facta seditione trucidarat. Urbem ingressus re 390
 cognita a sceleris auctoribus supplicium continuo sumpsit. Quod
 cum Pragenses audivissent, veriti Wratislaviensium exemplum a
 Sigismundo palam defecere. Cenchonem prefectum arcis largitione 391
 corruptum in factionem ascivere; huius litteris cunctis populis edi-
 citur, ne quem Sigismundo aditum prebeant, quando Sclavonice
 lingue hostis factus est, exitium regno molitur, marchiam antiquam
 Prutenorum ordinibus iure pignoris obligarit, alienarit Brandenburgensem,
 Ioannem et Hieronymum viros plane sanctissimos synodi
 auctoritate cremarit, antiquarit sacra illorum dogmata. Zyska facta 392
 defectione adversus catholicos irruens eos fudit fugavitque. Mox
 Austam oppidum, quod ad Lusmicum amnem situm est, petiit, unde
 Procopium Ulricumque fratres orthodoxe fidei caritate preditos,
 ne mediocrem quidem populi partem Husitarum labe coquinatam
 eiecisse noverat; brevi hanc obsidionem expugnavit, diripuit et in-
 cendit. Litium castellum mille passibus inde remotum, quo se Ul- 393
 ricus cum familia tota receperat, vi cepit. Ulricus cum universa
 domo cesus; uni data venia, qui ceteros trucidavit. In hoc vesanie 394
 magne successu, cum civitatem muro turribusque munitam non ha-
 beret, in eiusdem fluvii ripa locum octo stadiis ab Austa semotum
 elegit, quem menibus munitionibusque non parvis obfirmari iussit;
 ut tentoria quisque fixerat, ita domos edificare precepit. Civitati 395
 Tabor a castris nomen inditum, quando tabor Ungarice castra di-
 cunt; hec inter duo flumina sita veluti in peninsula sic arte loci-
 que natura munitur, ut vix unquam capi posset; tutissimum id
 hereticorum asylum Zyska esse voluit. Nicolaus monete magister 396
 et Sigismundi procurator in Bohemiam cum equitatu a rege missus
 Taboritarum vires auxit, quippe qui, cum in regnum venisset, ut

Zyske motibus occurreret, ex improviso ab hoste petitus armis et equis exulus est; vicus incensus, Nicolaus in arce servalus.

Cum vero uti Africa semper aliquid novi apportet Bohemia,³⁹⁷ longe superiore absurdior heresis emersit, que Adamitarum dicta est. Piccardus quidam e Belgis traecto Rheno in Bohemiam penetravit, qui prestigiis quibusdam et mira calliditate fidem sibi concilians magnam in suum dogma multitudinem coegit. Et occupata³⁹⁸ insula Lusmicio amne obducta se dei filium esse profitebatur, sectatores nudos incedere iubebat, appellare se Adam, promiscua con-nubia indulgere; item pro libidine quisque mulierem apprehendere et in Ade conspectum adducta dicere: In hanc spiritus meus incaluit; contra ille respondere antistes: Crescite, multiplicamini et replete terram. Hic ceteros homines servos vocare, se tantum et⁴⁰⁰ hoc modo natos liberos dicere. Hinc quadraginta in proximas villas homines prodire strictisque gladiis plane grassati ducentos circiter agricolas interfecerunt, quos diaboli filios asserebant. Verum, cum hec ad Zyske aures pervenissent, Adamite reservatis duobus, unde superstatio nosceretur, ab eo ad unum omnes imperfecti sunt.⁴⁰² Mulieres, que superfuere, palamasseverabant, quicunque vestibus et⁴⁰³ precipue subligaribus uterentur, neququam esse liberos; ab Ulrico Rosensi coniectas in carcerem et pre obstinatione ac pertinacia in-audita incendio expositas cum risu et cantu ferunt subiisse supplicium.

Sigismundus tandem profanis factionibus et populi perfidia⁴⁰⁴ irritatus coactis Schlesie ducibus cum exercitu Bohemiam ingreditur. Grecium, deinde Cuthnam hostili animo petit. Cenchonem⁴⁰⁵ ad reddendam arcem Pragensem multis promissis impellit, quattuor milia equitum, qui urbem infestent, in arce collocat. Cencho bina proditione insignis domum revertitur. Pragenses in angustias redacti Zyskam accersi iubent, qui, cum una cum Taboritis presto affuisset, urbem continuo in potestatem accepit, arcem repente, quia non alio modo quam inedia capi poterat, acerrima obsidione circumvenit, obcludit omnes aditus, ne quid commeatum inferatur. Sigismundus autem, ne presidiarios equites, quos arci imposuerat, fame laborare pateretur, ferro viam aperuit, cibaria et quecumque usui fuere, intulit. Mox accersitis e Germania auxiliis urbem obsidere decernit; acciti ii primum affuere principes Saxonum Brandenburgensiumque reguli et gener eius Albertus Austrie dux. Coactis auxiliaribus copiis urbs oppugnari cepta et diebus circiter duobus et quadraginta vexatur assiduo. Interea Sigismundus, ut regalibus⁴⁰⁹ sacrisque Bohemie insignibus rite initiandus esset, e metropolitana ede regni coronam accipit et a Corrado metropolita, qui Vesphala gente natus in heresim postea concidit, sacris sollemnibus rite perfectis coronatur. Mox regalibus potitus insignibus, ut summis viribus urbem oppugnaret, animum advertit. Interea Rosenses reguli et Crageri Taborite castra tenentes a Nicolao Hus, quem Zyska cum aliquot cohortibus eo miserat, et victi et castris exuti sunt.⁴¹¹ Grecium regine ab hostibus expugnatum. Mons Vidichonis, qui⁴¹² urbi imminebat, ne a fidelibus occuparetur, a Zyska anticipatus est

et imposito presidio munitus, quem cum Misnensis regulus expugnare contenderet, id non sine magna suorum iactura tunc ausum fuisse fecunt. Nam, cum Misnenses iam cacumen occupassent, in 413 partem coacti, que prerupta erat, dum hereticos inde deiciere summis viribus conantur, ipsi partim cesi partim capti a monteve turbati. Quare Sigismundus desperata victoria Cuthnam revertitur.

Zyska cedente rege urbanam potestatem adeptus hereticorum 414 sacerdotum decreto ad basilicas amoliendas animum adiecit, quando illi deorum nulli preterquam uni deo templum dicare fas esse dicebant. Quare cenobia multaque sacra collegia sacerdotum uno 415 impetu in urbe eversa, quod cum cives egre ferrent, quia decorum urbis hinc admodum fedatum esse videbatur, sedatio sensim in urbe oboritur. Zyska intestinum sue secte bellum formidans cum 416 suis ad Taboritas reversus, ut per immanitatem hereticum amplificaret imperium, ad multa fidelium oppida arma vertit. Pracatum 417 expugnat, ubi, ne sexui parceret et etati, universam oppidanorum multitudinem, que in templum sane confugerat, iniecto igni combussit. Dum hec omnia ita geruntur, arx Pragensis aliquamdiu ab 418 hereticis obsessa oppugnatur. Tanta rerum inopia presidium incessit, ut diebus aliquot equina carne vesceretur; itaque de facienda ditione necessitas decerni iubet. Ad extrellum equites, ni Sigismundus ad prestitutum diem affuerit, ditionem pollicentur. Item 419 hec adiecta condicio, ut veniente Vicegradenses rege quiescerent. Ad prestitutum diem Sigismundus affuit, conditionis haudquaquam 420 admonitus per augustum sub arce locum ingreditur, unde a suis facile defendi poterat; oborto a Pragensibus impetu magnam suorum cedem perpessus re infecta abire coactus est. Ibi e Moravis 421 proceres XIII cecidere, ex Ungaris ceterisque nationibus haud pauca multitudo. Arcem ex compacto Pragensibus equites dedidere. Zyska Booslaum interea regulum, cui Cygneo cognomen fuit, qui 422 gravibus sepe cladibus hereticos olim affecerat, in munitissimo eius oppido vi ceperat, pellegerat in heresim et pro hereticis exercitum ductare coegerat, sed, cum is paulo post tempore ad Retium Austriae oppidum copias duceret, letali vulnere confossus interiit. Deinde, ut rapinis et presidie simul ipse consuleret, Zyska in Pelezinensi agro quina cenobia opibus edificisque preclara combussit. In Cladronensi, cenobio, quod arte et natura munitissimum erat, presidium imposuit. Sigismundus hoc prefectos aliquot cum cohortibus et turmis equitum repente misit, qui, ubi in hostium conspectum venere, a Zyska turpiter fusi et fugati sunt. Mox universa a Sigismundo Bohemia deserta est. Zyska Pelezinam deinde prefectus obsedit, verum desperata victoria Comitivam venit ne ignobile quidem oppidum, quod cum paucorum dierum obsidione vi cepisset, universum populum cum sacerdotibus, qui ad tempora confugerant, petita incassum venia iniecto igni absumpsit, sed mox impie temeritatis sue penas dare cepit. Zyska luscus erat; cum Rabe 425 um oppidum accitis Taboritarum Orobitalrumque auxillis, quos fratres appellare mos erat, obsedisset, dum summa vi capere con-

tendit, alterum, qui supererat, oculum sagitta confossus amisit, Pragam extemplo translatus curato vulnere lumine caruit. Ne ex hac 426 quidem oculi iactura nefarie militie curam intermisit, quin et eo magis cecus ceco populo ductor placuit. Brunnam, ubi magnum Si- 427 gismundus presidium imposuerat, Pragenses expugnarunt, in utrunque, ut aiunt, etatem ad internectionem usque sevitum; perquam pauci vita donati. Post hec ab iisdem Broda Teutonica ceso pre- 428 sidio in potestatem recepta, qui paulo post Cuthnam complures- que alias urbes in ditionem accepere. Cum ad Pontum oppidum 429 a Misnensibus possessum perventum esset, occurrentibus Saxonibus, quorum vires admodum formidabant, illico rediere.

Sigismundus perinqua hucusque fortuna usus nondum animo 430 suo exciderat, cui cum nihil heretica strage foret antiquius, omnes imperii Romani electores admonuit, ut ad festum divi Bartholomei diem eam Bohemie partem, que spectat ad Oceanum ex composito adorirentur, se vero cum Ungaris, que ad exortum Solis pertinet, invasurum esse significat. Ad prestitutum omnes diem affuere, im- 431 primis Maguntinus metropolita, palatinus comes, Saxonie Brandenburgensiumque reguli et quamplurimi ex Alemania pontifices tetrarchique militem misere. Primo Soczium obsedere locum profecto 432 munitissimum, quod cum vi capere nequivissent, agrum longe late- que vastarunt. Cum ad statum diem Sigismundus non adesset, obsidionem repente solvere. At ille, cum ex Ungaris, Moravis et Au- 433 stralibus exercitum coegisset, ad salvatoris natalia Bohemiam inva- sit, nonnulla vi oppida cepit, Cuthnam per ditionem in potesta- tem suam redegit. Sed irruente mox Zyska infeliciter dimicavit, 434 quando reformidato ceci agmine in primo fere congressu terga vertit et in fugam effusus magnam partem nobilitatis cum impedimentis amisit. Cuthnam incendio absumpsit, quam Taborite propter argenti 435 fodinas Antichristi crumenam appellabant. Zyskam, cum unius diei 436 itinere imperatorem Sigismundum a tergo insequeretur, magna fu- gientium preda ditatum ferunt. Brodam Teutonicorum exin a Zyska 437 expugnatam et incensam tradunt, Imperator Iglaviam amnem ponte 438 traiecit; Pipo Florentinus, qui quindecim milia equitum ex Ungaria 439 duxerat, cum per glaciem iter faceret, ea pre multitudinis pondere dis- soluta in amne quamplurimos amisit. Hac Zyska victoria insolenter elatus, qua Romanum imperatorem fuderat fugaraque, multo quam antea furiosius in sacra templa deseuiit. Cui dudum certum erat nus- 440 quam divas statuas picturasve perpeti neque permittere sacerdotes in sacro habitu rem divinam facere, unde ne mediocres quidem inter Zy- skam et regni proceres inimicitie intercessere. Consules Prage Ioannis apostate Premonstratensis insolentiam gravate ferentes eum cum ce- 441 teris scelerum auctoribus, qui forte novem fuerant, iussere in pretorium accersi significantes se aliquid cum his de republica agere oportere; cum acciti venissent, intus extemplo clam a lictore obruncafi sunt. Consules re patrata soluto collegio abidere, apparitores incauti, dum locum cedis aqua proluunt, cesorum cruorem per aque ductum forte in forum demisere, unde patrate cedis oborta suspicio ac indicium

facinus occultum aperuit. Hinc tumultus exortus urbem in arma ⁴⁴² convertit, pretorio vi expugnato cives undecim huiusc cedis auctores habiti repente trucidati sunt. Ioannis caput, qui sanctissimi viri ⁴⁴³ loco habebatur, a mulieribus cum ululatibus diebus aliquot per tempa præreverenter circumlatum est et inter divisorum monumenta reconditum. Eodem quoque tempore Purgelinum, ubi parvum Sigismundus presidium imposuerat et quo multi orthodoxe fidei cultores cum uxoribus et liberis sese coegerant, oppidanorum incuria incendio correptum est; quicunque ex incendio superfuere, Pelezinam se contulerunt. Quam iniqua ob hereticorum immanitatem ⁴⁴⁵ fortuna Sigismundus in Bohemia usus fuerit, satis ex his, que diximus, extare potuit. Nunc cetera, que successere, bella in tertium ⁴⁴⁶ librum, ne hic nimis excrescat, haud incommode transferemus.

LIBER III.

Nescio equidem, unde illud accidere soleat, ut principes, quos ¹ singularibus animi dotibus natura coluit et industria exornavit, fortunam parum prosperam nactos esse videamus, immo ita virtuti in his infestam eam fuisse cernamus, ut huic tantum invidisse et bellum indixisse iudicemus. Id potissimum in Bruto, Catone ceterisque aliis legimus, qui honestatis et patrie caritate ducti iniquissimo fato concidere. Si cui latentiori cause fortunam obnoxiam esse ³ dixerimus, inexplicabilia divina iudicia esse asseremus et a contemplatione nostra prorsus aliena, sin autem aperte, quid aliud in hac re potissimum occurret quam clarissimum indomite virtutis exercitamentum esse fortunam. In Bohemico bello et Nicopolitano ⁴ infelicem retulimus esse Sigismundum et, quamvis magnanimitate, clementia, liberalitate et religione polleret, successu tamen belli haud-quaquam gloriari potuit.

Cum igitur heretici e bellorum eventu magnos animos conceperint, plerique Bohemorum reguli consulatusque Pragensis ad Vitoldum Litvanie ducem oratores misere, qui eum regem asciscerent et ad capessendum regnum hortarentur. Zyske factio his admodum adversabatur, quippe que liberos populos in servitutem regiam asserere nec iustum nec fas esse asseverabat et in eius precipue, qui ethnico ritu vitam duceret. Vitoldus Coributum patruelem ⁷ cum duobus milibus equitum in Bohemiam transmisit; qui a Pragensibus honorifice exceptus rempublicam in meliorem statum sane rededit. Nam, cum nobilibus otioque studiosis se facilem et benignum, facinoris contra et insidiosis difficilem scelerumque vindicem preberet, multum sibi gratie hac arte comparavit. Secundum ⁹ eius adventum consulibus senatusque placuit castellum in monte situm oppugnare, quem Caroli Lapidem appellant, ubi Sigismundum quattuor militum centurias presidio reliquise noverant. Trinis castris id circumveniunt, in sextum usque mensem obsidio producta, die noctuque oppugnatio continuata, quinque balistis, quibus gravia saxa iactabantur, sine intermissione colliditur, vasorum

circiter duo milia tabidis cadaveribus humanisque excrementis completa in hostem emissa, ut eum perniciose fetore conficerent, ex quo factum est, ut pre teterrimo odore omnibus fere dentes caderent nutarentve. Obsessi tamen omnia tolerarunt et bellum in hiemem usque produxere, obsidionem tandem ita solutam fuisse ferunt Fredericum Brandenburgensem regulum cum ingenti Bohemiam exercitu invasisse, predam, incendia, cedes latius egisse, quare coactos Pragenses extemplo stativa solvisse; ad hec Vitoldum Vratislai Polonie regis precibus adactum, qui cum Sigismundo imperatore ad Ungarie fines fedus iniverat, Coributum e Bohemia revocasse.

Soluta his artibus obsidione, cum Bohemos externis auxiliis privasset, Sigismundus, qui eos ita destitutos facile posthac sua imperata facturos arbitrabatur, spe sua falsus est; nam eo magis illi pre desperatione furentes insanivere. Imprimis, quicunque intra Bohemie fines de catholica fide recte sentiebant, domitarunt, deinde regni finibus egressi tinitimos omnes gravi bello vexarunt, modo in hos modo in illos eruptione facta longe lateque cuncta vastabant. Quin et Zyskam in Austriam usque igni ferroque grassatum fuisse ferunt. Quam callidus in abigenda preda Zyska fuerit, hinc intelligi potest. Cum ad ripam usque Danubii excursasset, omnes acole in proximam insulam coactum pecus transmisere, ut profani populatoris vim evitarent; non defuit rapine ingenium; vitulos suesque nonnullos, qui per negligentiam superfuerant, ad oppositam ripam adduci iussit et subinde usque adeo diverberari, donec pecus auditio mugitu grunnilique sobolis excitatum pre nimio desiderio trahavit et a collatis circumventum insidiis in Bohemiam abactum est.

Sigismundum aiunt, cum eam facile tueri non posset, Moraviam eadem tempestate Alberto genero suo duci Austrie dedisse dono, cuius gratia plerique proceres ad Husitarum insaniam declinarunt. Quanquam a remotissimis regionibus ad Sigismundum auxilia convenienter, nequaquam tamen illi profuere, contra vero Zyska ab omni religione ac humanitate destitutus eo felicius quotidie in imperatorem bella gerebat. Ericus rex Dacie Germanice et Petrus Lusitanie regis germanus, quam Hispanie partem Portu-galliam nunc vocant, ambo domi militieque prestantes cum optimo equitatu nonnullisque cohortibus ad imperatorem venere, ut tot bellis circumventum adiuvarent; excitabantur hereticorum sevitia, quam perpeti sumnum nefas esse censebant. Cum auxiliaribus copiis Sigismundi exercitum adauxissent, ad Lucemburgum Moravie oppidum castra movere, mentes tris id pertinacius oppugnant. Procopius Husitarum labe infectus et Zyske socius pari crudelitate ac perfidia peditus, cui Moravie prefecturam heretici sane commiserant, invitisi hostibus Lucemburgum ingressus milite et non modica commeatuum copia oppidum complevit, quare spe sua frustratus Sigismundus obsidionem solvere coactus est. Preterea, cum Misnensis regulis Pontem et Austam, que civitates ad Albim amnem site sunt, haud multo ante dederat, ut has imposito presidio ab hereticorum iniuriis tuerentur, Austam Zyska una cum Pragensibus

obsedit. Fredericus Misnensium princeps landgraphiusque frater,²⁴ ut obsesse urbi opem afferrent, e Saxonia, Turingia, Misnia et ultraque Lusatia militem evocarunt moxque laborantibus Austanis presto affuere. Certamen pro menibus initum diu pari impetu di-²⁵ micatum et variante utrinque fortuna e fortissimis quam plurimi occubuerent; superiores tandem heretici fuere. Hic e nobilitate bur-²⁶ graphii Misnenses, Chirporgenses Glicensesque comites cum multis aliis cecidere, ex his nonnulli dimissis armis ad hostis genua pro-²⁷ voluti irritam veniam petierunt. Eo bello novem fidelium milia de- siderata sunt. Austa demum potitus hostis funditus evertit.

Zyska tot victoriarum successu elatus in omnes insolentie ac feritatis partes effunditur. Religiosa, que superfuerant, templa delet, sacerdotes crudeliter insectatur, qui more legitimo rem divinam facerent. Nobilitatem usquequaque persequitur, ex urbibus insana vectigalia exigit. Mox in Pragenses, quia imperata non fecerant, iram effundit, diripit agrum, villas incendit, nullo detrimenti genere se abstinet. Pragenses contra imploratis magnatum auxiliis in hunc arma vertere, quibus cum se bello haudquam parem esse inteligeret, prelum detrectavit. Intendit ad Albim amnem fugam ac parum abfuisse, quin in hostium manus pervenisset, nisi Georgii pater, qui deinde regno potitus est, per Poiebracium oppidum transitum illi prebuisset. Nec ista tamen ope magnam cladem evasit, quando Pragenses ad alios pontes diffusi traecto Albi ultimum Zyske agmen cohibuere, quocum inita pugna terga dare coegerunt et graviter insectati quamplurimos Taboritas interfecere. Sed, cum ad montium angustias perventum esset, Zyska sistit agmen, fauces montium, que ab hostibus circumveniri non poterant, occupari iubet; ibi prelum redintegratur. Cum in angustiis illi aciem explicare non possent, iniquo Marte pugnarunt; tria Pragensium milia ibi cesa sunt, ceteri a Zyska fusi fugatique. Mox Cuthnam festinat Pragensium presidio remunitam; iterum vi capit incenditque. Pragenses ibi deprehensi eodem, quo urbes, incendio omnes absumenti. Zyska e fortune dexteritate animum eo insolentius adauxit; Pragam versus castra movens ad secundum stadium metatus est. Cum inter se intestinum bellum exortum esse omnes intuerentur, non solum in castris, verum etiam in urbe cuncti dissidium tale detestari, hi Zyskam Pragenses illi incusare. Plerique Pragam dicere caput gentis sine maximo scelere oppugnari non posse, e gentili discordia Bohemorum vires ad breve tempus interituras ceteri mussitare. Dum a Zyska urbs acerrime infestatur, Ioannes quidam, cui Rochezane cognomen erat, in urbe dei verbum publice profitebatur; is haud iniussu consulum urbe egressus cum Zyska ita rem egit, ut urbi virum continuo reconciliarit.

Sigismundus autem, qui hoc intestino bello hereticorum vires brevi labefactatum iri sperabat, audita reconciliatione ita animo consternatus est, ut preter Augustalem dignitatem non vi et armis, sed muniberibus, largitionibus et prefecturis Zyskam expugnare studuerit. Huc res imperatoris redacta fuerat, ut Cesar Augustus, quem non

modo Italia, Gallia et Germania, sed tota Europa veneratur, homini ignobili, seni ceco, profano, sacrilego heresiarcheque et omnium scelerum auctori, si Bohemie titulo potiri velit, supplicare cogeretur. Hunc pecunia honoribusque superandum esse censem, ⁴² perpetuam Bohemie gubernationem, magistratum quoque equitum ac ingens quotannis stipendum offert, si regem Sigismundum nominet eiusque partes ubique tueatur. Accepit condicionem avarus ⁴³ Zyska et, cum ad imperatorem iter faceret, ad Prisconiam oppidum pestilentia correptus obiit; id divino beneficio accidisse creditum, ne tanta Augusto nota inureretur. Monstrum feritatis, quod humana manus confidere nequivit, dei digitus e medio sustulit. Rogatus ⁴⁴ paulo ante mortem, ubinam sepeliri mallet, respondit se iubere cute corpus exui, exutum volucribus ac feris exponi, curata cute tympanum obtendi eoque duce bella geri, quod ubi hostes audiverint, fugam rapturos illico hariolabatur. Taborite Zyske imaginem angeli- ⁴⁵ que calicem tenentis effigiem supra portam urbis inscripsere, stata quotannis huic sacra decrevere. Eius mortem universus populus ⁴⁶ misere deploravit, cum nullum Zyske parem imperatorem inveniri posse dicerent. Pre nimio doloris affectu in partis duas milites divisi, pars una Veterum, Orphanorum altera dicta est. Veteres ⁴⁷ Procopium ex cognomento Magnum sibi optavere, Orphani selectos quosdam habuere, qui communis consilio bellum gererent; selectorum princeps quidam alias Procopius erat ex cognomento Minor ⁴⁸ appellatus. Etsi pars utraque inter se quandoque dissentiret, ingruente tamen extrema vi iunctis castris bella gerebant. Cum liberis ⁴⁹ etiam et uxoribus omnes in castris vitam agere, abominari civitates, otium et ignaviam detestari, sub divo vivere, carrorum copiam habere, quibus pro vallo uterentur. Ii duo exercitus egressi alter ⁵⁰ Sclesiam, Moraviam alter populatur, finitimos excursionibus et rapinis infestant. Bohemiam Promissionis terram dicunt; Teutones ⁵¹ partim Philisteos partim Idumeos Moabitasve nominant. Erat et tertius Orobitarum exercitus, cui Bedricus presbyter Strasmicensis, qui diu Sclesiam oppugnavit, dux erat. Taborite simul et Orphani in ⁵² Austriam erumpentes Sueciam obsedere; tribus fere diebus sine intermissione oppugnant. Oppidum Alberti ducis adventu obsidione ⁵³ liberatum, qui cum hereticis inito certamine quattuor horis ita variante fortuna dimicavit, ut primis utrinque bellatoribus amissis ad extremum is castris exutus et hostes amissis curribus abirent. Paucis post diebus Procopius, cui Raso cognomen erat, Retium ob- ⁵⁴ sedit. Booslaus Cygneus sagitte vulnere saucus interiit. Retium ⁵⁵ expugnatum, quod a Retis olim fuerat edificatum, rapinis et incendiis absumitur, oppidanorum magna cedes editur. Burgraphius ⁵⁶ Madeburgensis, qui oppido dominabatur, Pragam in captivitatem abductus in carcere diem obiit.

Cum hec ita gererentur, Sigismundus imperator, qui abrogatum sibi Bohemie regnum, quod paternum avitumque fuerat, iniquissimo animo ferebat, indicto conventu, quod in Ungarie Austriaeque finibus fere situm est, Bohemie principes Pisonium accivit.

Cum illi convenissent, ante urbem tetendere, ne intro ingredierentur. ⁵⁹ Sigismundus ad eos egressus habita contione multa de iure suo locutus est, iniquo se bello impetum esse dixit. Si que cause forent, que populorum animos a regia fide abalienarent, se abrogaturum et benignum tranquillumque regem omnibus futurum pollicetur. Contra illi rebellionis causam a Romana ecclesia exortam dicere, ⁶⁰ cuius decreto se hereseos iniuste damnatos esse asserebant; superiora bella idcirco intercessisse, ut honori suo Bohemi consulerent. Benigne ad hec a Sigismundo responsum, se generalem his offere ⁶² synodum, ubi suam innocentiam et dogma tuerentur. At illi, qui ⁶³ armis et non argumentis talia disserere consueverant, ad disputationis angustias cum se redigi recusarent, re infecta discessere.

Postquam hanc heresim Martinus pontifex maximus in dies ⁶⁴ obrepere intellexit, extemplo Christiane fidei succurrendum esse censuit. Cardinalem Vintonensem regia Britannie stirpe natum in Germaniam cum auctoritate summa legat, finitimas undique gentes in Bohemos concitare iubet, mandat, ut Sigismundo, quacunque potest, auctoritate opituletur, ut e medio heresis illa tollatur. Tres ⁶⁶ coguntur exercitus; in primo Saxonie duces urbesque, quas Stagnales vocant, in altero Francones cum Brandenburgensi principe, in tertio Rhenenses cum Othono metropolita Treverensi fecere stipendia. Item Bavari et Suevi penetrata sylva ad Misam castra posuere, quam superiore nocte Pricicho Clevonensis hereticorum princeps e fidelium manibus eripuerat; hanc mox reformidato hostis ⁶⁸ adventu deseruere, Taconiam subinde venere ibique machinas bellicas cum presidio dimiserunt. Mox oboto rumore Bohemorum ⁶⁹ adventus in fugam conversi omnes neque a pudore neque a cardinali remorari potuere; instantibus a tergo hereticis impedimenta cuncta reliquerunt. Hostes adactis e victorie successu animis in ⁷⁰ Misnam erumpunt passim omnia populantes. Cum per Franconiam pedem referrent, ab his Bambergenses Norimbergensesque multa integritatem agrorum pecunia mercati sunt.

Sigismundus, cum rem male gestam accepisset, nec fortune ⁷¹ adhuc cederet iniquitati, Norimbergam propere concessit, nova principum auxilia comparat. Iulianus cardinalis omnia sapientia ac vite ⁷² probitate precellens a Martino in Germaniam legatus mittitur, ut loco pontificis Basiliensi synodo presideat et in Bohemos arma cogat. Hic Norimberge imperatorem convenit, ubi cum Sigismundo ⁷³ expeditio magna decernitur; ad octavum Kalendas Iulias statulus est dies. Belli summa Frederico principi Brandenburgensi demandatur, ut, qua ad Teplam est iter, Bohemiam adoriretur. Albertus ⁷⁵ Austrie princeps Christophorusque Bavarus et Fredericus Saxonie dux una cum apostolico legato per Moraviam in Bohemiam iter facere iubentur. Preterea Herbipolensis, Bambergensis Estetensis- ⁷⁶ que episcopi, item societas Suevorum, quam divi Georgii nominant, Augustalium urbium et Maguntini, Treverensis Coloniensisque antistitis auxiliares copie convenere. Ad piam expeditionem, ⁷⁷ que hereticis fuerat indicta, e provinciis multi quoque confluxerant.

Equilum quadraginta milia, peditum paulo minus fuisse prodiderunt. Prorogata ad Augustas usque Kalendas expeditione in Bohemiam tandem ex composito omnes irrumunt. Incendunt innumeros hereticorum vicos, oppida multa diripiunt, in utriusque sexus plane cedem grassantur; non tam avaritie quam crudelitatis passim vestigia relinquunt. Deseviunt in appendices regni, Bohemiam tandem penetrare non audent. Contra Bohemi, qui dudum hostem validissimum affore cognoverant, fidelium villas ac oppida destruunt, ex his neminem superstitem faciunt. Sciltiberdum ab Orphanis vi captum; oppidani ad unum cesi omnes. Interea auditio Bohemorum adventu, sive proditio sive timor inanis ille fuerit, tantus Germanos pavor incessit, ut nec pudore ullo nec metu turpitudinis nec apostolici legati verbis a fuga remorari potuerint. Cum hostem appropinquare senserunt (nondum ille in conspectu fuit), se in fugam convertere, depositure arma et ea profecto haud secus, ac si a tergo instaret hostis, in sylvis prepropera festinatione, quibus obsita est Bohemia, impedimenta deserunt. Cum heretici Germanos terga vertisse inteligerent, ingentes ex hac fuga animos concepere, totis hos viribus insequuntur, deprehensis ditantur impedimentis et incruenta facilique victoria potiuntur. Albertus, cum cardinalem ac ceteros Bohemiam socios invasisse sensisset, ipse quoque a Moravia hanc adoritur. Prezeroniam civitatem obsidet, sed audita sociorum fuga in Moraviam reversus est a Sigismundo sibi traditam, que, cum nondum illi parere vellet, ne mediocrem quidem suarum rerum iacturam fecit. Infestis nanque signis Albertus per eam divagatus quingentos circiter pagos igni feroque vastavit, oppida multa diripuit diruitque et pre ingenti cede provincialium ipsam eo redegit, ut imperio suo pareret et de orthodoxa id fide sentiret, quod iam futura synodus decrevisset. Post hec frequentissimus Basilee convenitus presidente Iuliano pontifice cogit.

Sigismundus, qui per id temporis Norimberge manserat, quo duce legato pontificio Germani Bohemiam invasere, de ineundo in Italiam itinere cogitare cepit. Bohemicis optimatibus magistrisque scripsit se Augustalis corone gratia Romam profecturum, ut, cum anno salutis millesimo quadragesimo decimo imperator fuerit legitime declaratus, Romani imperatoris insignia sumat. Quod ne Bohemis quidem ignotum esse debet, si pro rege Cesarem Augustum accipient et eum suarum rerum moderatorem habent, qui Bohemice glorie semper incubuerit. Eos hortatur, initam dudum synodum adeant nec plus sapere contendant, quam ecclesia Romana iubeat; sua cum concilio sacrosancto dogmata communicent disserantque et ab orthodoxa fide non desciscant; sibi demum ex Italia redeunt regnum, quod fraternum, quod paternum, quod avitum fuit, sine dissensione reservent. Quin et ipsa syndicus ad Bohemos scripsit exorans, ut legatos militant. Dissidentibus tandem Orphanis, Taboritis et plebe honestissima legatio ad synodum destinata; trecentorum comitatus equitum huic addictus. Legati fuere Guilielmus Cosca, Procopius ex cognomento Rasus,

Ioannes Rochezana, Nicolaus Galètus Taboritarum sacerdotes et Petrus Anglicus elenchorum argutiis instructus. Cum Basileam venissent, in conventum sacrum admissi benigna apostolici legati oratione sunt excepti, multis ab eo verbis ad resipiscendum hortati sunt. Quattuor igitur articuli ab his ad synodum relati, de eucharistia sub panis vinique specie sumenda, de civili domino, quod clericis interdictum esse asseverabant, de libera verbi dei predicatione, de publicis denique delictis nulla ratione tolerandis. Selecti e Bohemis doctores quatuor, ex patrum ordine totidem; diebus quinquaginta de his disputatum. Cum Husite victi pre obstinata pertinacia haudquaquam cederent, mitius de his agendum esse visum est patribus. Oratores in Bohemiam a concilio missi viri profecto doctissimi et Bohemicarum artium perquam gnari multa cum Bohemis agere cepere, quare modo pacis spes modo belli metus obortus est.

Inter agendum inter Taboritas Orphanosque et nobilitatem, cui Maynardus preerat, orta dissensio ac odium non mediocre. Proceres enim et nobiles resipiscendo se dicere miseros, quippe qui, cum regis imperium abrogarint, in Procopii Rasi servitutem inciderint; illum imperiosissime dominari, pro libidine provinciam gerere, tributa imponere, exigere vectigalia, habere delectum, bellum pro arbitrio indicere, iudicare, ere capiteve multare, neminem pati in decernendo adversarium, furiosas sententias ac verba sua pro lege, pro decretis haberi, nobilitatem iuxta alque plebem illi servire et imperata facere; demum nil Bohemica gente miserius esse. Quare de instauranda reipublice forma frequentissimam contionem haberi oportere censebant; in ea Maynardus censuit e media nobilitate ducem diligendum, ne imperium a proceribus usurpetur, viros huic consultissimos cum senatu adhibendos, ut consulto omnia faceret. In eius sententiam omnes pedibus ivere; Alscio Rosemburgensis dux declaratur; huic maiestatis insignia fuere, Maynardo auctoritas remansit. Cum hec Procopius accepisset, Orphanos et Taboritas ad intestinum bellum continuo suscitavit; ad Pelezinam urbem castra movit, quam fideles incolebant; gravi mox eam obsidione circumvenit. Interea intestinum Prage bellum inter nobiles et Taboritas Orphanosque suscitatur. Maynardus et Alscio Victoria potitus hereticorum perfidiam contudit. Procopius audita sociorum clade soluta obsidione Pragam contendit, ubi, cum nullam iuste pacis condicionem accipere voluisse, instructa acie infeliciter decravat. Ceso Taboritarum Orphanorumque exercitu ipse cum Minore Procopio pari fato occubuit. A Cosca perniciosissimum hunc hereticum cesum esse aliqui tradidere, auctorem victorie Maynardum ferunt. Cum multa captivorum milia e perfida multitudine capta superfuissent, Maynardi consilio in horrea redacta et ab armatis cohortibus circumventa immisso igni absumpta sunt. Sicque profana illa multitudo, que, cum in castris semper vitam degerit, tetro horribilique aspecu, aquilinis oculis, impexo crine, demissa barba, insano corpore, hirsutis membris, dura cute, nigro ferrugineoque

colore fuerat, cumulatissimas depravate religionis penas expendit.
 Interea Sigismundus imperator Philippi vicecomitis ope ac
 viribus adiutus in Italiam concessit parumque prospere deinde suc-
 cedentibus rebus diuturnis cunctationibus affectus Romam tandem
 pervenit, ubi ab Eugenio pontifice maximo Augusta cum diademate
 ornamenta suscepit. Nec multo post, cum Philippo, qui Germania
 ipsum evocarat, infensus esse occipisset, Italia abscessit, quod
 anno salutis XXX. secundo supra quaterdecies centenum accidisse
 legimus. Nam primam Aquisgrani, secundam Mediolani coronam
 acceperat. Italia egressus Basileam iter intendit, ubi adhuc con-
 cilium haberi senserat. Cum illuc venisset, dissidium inter pa-
 tres offendit, quod Eugenii gratia fuerat obortum; id Cesaris Au-
 gusti presentia et auctoritate sedatum. Mox in Bohemie fines pro-
 perat, ut quid de rebus Bohemicis agi possit, intelligat. Cum Ulmam
 venisset Suevie civitatem et in ulteriore Danubii ripa sitam, ubi
 Litius amnis, qui Suevos a Bavaris disternat, Danubio immixtus
 nomen amittit, Taboritarum Orphanorumque cladem audivit. Fausto
 admodum nuncio letatus oratores extemplo in Bohemiam misit,
 qui suo nomine sapientiam, virtutem magnanimitatemque princi-
 pum commendarent, recentem gloriosamque victoriam congratula-
 rentur, quod profanos, sacrilegos immanesque homines e medio
 tulerint, maximam a Christo optimo maximo gratiam iniverint, quia
 vere religionis inimicos extirparint; proinde hortarentur, ut pro vi-
 rili quisque sua publicam quietem in regno curarent, si qua superes-
 sent bellorum fomenta, extinguerent; initam iam pacem servarent,
 qua nil deo gratius et reipublice salutarius facere possent, seque
 demum regem excipient, quem fratri successorem et paterni aviti-
 que regni heredem ius gentium esse iubet, et illi quoque suo
 beneficio ipsum regem esse patientur. Bohemi grato legatos animo
 acceperunt honoreque magno honestarunt. Cum se postulata factu-
 ros asseverarent, coacto mox ingenti nobilium numero ad Ratispon-
 nam eum convenere, Romanum imperatorem ac suum regem con-
 salutarunt. Cum autem ab his seorsum Ciapoco et Rochezana le-
 gatiique Basilienses, qui Prage fuerant et sibi cum Bohemis certo
 modo convenerat, ad eum quoque venissent, Sigismundus, cum
 initam de religione concordiam recitassent, approbavit et ex con-
 vento cuncta servari edixit. Mox Ungarorum efflagitationibus repe-
 titus secundo amne Danubio devectus primo Pisonium, deinde Bud-
 dam venit, ubi ad reformatum rerum statum animum advertit.
 Edicta multa legesque varias edidit, varias nobilium lites discordias-
 que diremit, inimicitias quoque nonnullas extinxit, otium in regno
 instauravit. Sed, antequam ultra progrediamur et, quo se modo
 cum Bohemis gesserit, enarreremus, nonnullarum rerum, quas omisi-
 mus, est repetenda narratio. Bohemica nanque bella et hereticorum
 secte ita nos a rebus Ungaricis divertere, ut, ne inaudita illorum
 facinora interciperemus, nunquam ad institutam Ungaricorum ge-
 storum historiam redire valuerimus. Quare de Bossenorum bello,
 quod paulo ante indictum Constantiense consilium gestum est, rite

dicendum esse censuimus.

Cum salutis annus quintusdecimus supra millesimum et quadringentesimum ageretur, Hervoia Spalethii dux, qui omne hucusque fidelitatis officium Sigismundo prestiterat, nescio, qua temeritate correptus a regia fide defecit. Ut perfidiam suam tutius expleret confirmaretque, se in Turcorum societatem asseruit, multas ex his equitum turmas centuriasque peditum introduxit, quo facilius discursare, latrocinia latius agere, pagos oppidaque diripere posset. Augebat latronis audaciam regis absentia, qui ad indicandum Constantiense concilium profectus erat, ut obortam in Bohemis heresim coerceret ac de capessenda Romani imperii corona tunc ageret reliquaque in ecclesia dei suscitata dissidia factionesque componeret. Proceres, quibus Ungarie cura auctoritate regia credita fuerat, Bossenorum novitate commoti reipublice sociorumque saluti consulere coguntur. Prefecti Pannoniarum continuo delectum habent, copias et auxilia cogunt, turmis equitum Ioannem Garam et Ioannem Maroth, item Paulum Chuporem provincie presulem rite preficiunt; cohortium prefecturam ceteri nobiles obiere. In Bossenorum provinciam exercitum satis amplum deducunt. Contra hostis Turcorum auxiliis obfirmatus in occursum castra movet. In certamen utrique forti animo descendere, suis quisque viribus freti collatis signis manum conserunt. Diu equo utrinque Marte pugnatum et, dum pari pertinacia dimicant, magnus utrinque numerus ceditur. Bosseni, quia, ne forte Ungarorum viribus impares essent, admodum verebanlur, ut ex arte sibi consulerent, multos per circumstantium iuga montium homines disposuerant, qui in ferventissimo prelio Ungaros in fugam iam versos, esse proclamarent, e montibus in hostes ruerent et sic pugna instaurata infelici nuncio hostium animos consternarent. E sententia successere dol; cum suos ii laborantes despectarent, ex composito clamoribus horrantur, ut obstent pertinacius, quando hostes terga dedisse significant. Id temere Ungari credidere et, cum suorum fuga animo consternarentur, remissius pugnare occuperunt. Confunduntur interim ordines et, dum instant alii, alii contra terga vertunt; res Pannonica inclinatur. Multo ad hec impensius Bosseni dimicant, nuntiantem iam hostium aciem repellunt, instauratis ex astu animis et redintegratis viribus eorum decursu, qui e monte descenderant, Ungarum passim fundunt fugantque. Miserrima interim strages exoritur, deseruntur in tanta trepidatione castra et ea cum impedimentis fere omnibus in manus hostium pervenere; multi e principibus Ungarie occubuerent, plerique etiam capti. Ioannes Gara et Ioannes Maroth in captivitatem incidere, quippe qui, dum turpiter cedere nolunt, nonnullis ex hoste cesis demum circumventi sese tandem dedidere. Sed Gara post multos dies, cum e duro se carcere vendicasset, durissimas compedes, quibus inde prosilierat, ad religiosissimum Bathe fanum, quod eucharistie numini dicatum est, retulit ibique, ut debita vota persolveret, postibus affixit; ad nostram usque tempestatem inter cetera dei miracula ille spectan-

tur. Marothus abnegata fuge copia multa se ab hoste pecunia redemit. Paulus vero Chupor, qui pari fortuna captius erat, immanniorem naclus hostem bovino tergo insutus in profluentem ab Hervoia cum his verbis demersus est: Qui sub humana specie bovina quondam voce utebaris, bovinam quoque nunc cum voce formam indue. Nam, cum os moresque bovis dux ille preferret, in regia quandoque a Paulo ludibrii loco per mugitum salutatus est, unde conceptum grave odium facta vindicte copia hoc immane supplicii genus invenit.

In Transalpinis partibus, cum Valachi sepe rebellassent, in eos quoque sepe his temporibus est suscepta expeditio, de qua post Bossenensem cladem haud immerito referendum est. Cum Sigismundus huiusc provincie prefecturam Stephano Losoncio credidisset, ob regis absentiam in ea est oborta seditio. In causa Valachorum duo fuere principes; Daan alter, alter Merches dictus est uterque eodem genere natus. Dominandi gratia est nata discordia; Daan, cum se viribus inferiorem esse cerneret, precipiti consilio tractus ad Turcorum opem confugit, a quibus auxilia, que petierat, facile impetravit, cum occupande illi Dacie potissimum hanc esse ducerent occasionem. Quare, ut cognatum sibi infensum regno exigeret, profanas legiones induxit. Merches, ne Turcos Daciam inundare pateretur neve fede gentis opibus regno eiiceretur, ad Sigismundi opem confugit. Losoncius a rege missus est, qui provinciam cum imperio sortitus erat. Cum legionibus supplementum addidisset, hostibus occurrit. At, ubi in conspectum hostium castra movit, se Turcis Valachisque numero imparem esse cognovit, viribus tamen sui militis fretus pugnam detrectare haudquaquam est ausus. Postero cum hoste die prelium init, cum diu cruento Marte dimicasset paremque utrisque spem victoria ostendisset, in medio ecce ardore pugne Losoncius letali vulnera confossus oppetiit. Cadeiente duce legionibus quoque cecidere animi; extemplo acies inclinari cepta, mox in fugam effusa, ceteri quoque palantes castris iuxta atque impedimentis exuti partim inter fugiendum cesi partim capti sunt; pauci e tanta clade evaserunt.

At illud incredibile, quod paulo post accidit, miraculum silentio preteriri non potest. Secundo nanque tertiove anno, cum plerique in eum campum descendissent, ubi patratam stragem fuisse memorant, editissimumque cadaverum accervum spectarent, emissam inter ossa subinde vocem exaudire faustissima Iesu Christi salvatoris et dive Marie virginis nomina resonantem. Admiratio simul et pavor hos incessit; cum ad verba subticuissent, eadem paulo post quasi difficulter expressa accepere. Dum vocis locum inter ossa disquirerent, portenti desiderio succensi loquax inter cadavera caput inveniunt. Quod ubi homines sibi adesse novit, Quid tam, inquit, stupidi, hic statis, viri? Christianus ego sum et magne matri dive Marie semper addictus inexpiatus inconfessusque in hoc bello occubui. Magna dea, in cuius tutela vitam degi, me eterni supplicii reum esse non patitur; hic me adhuc lingue compotem servavit,

ut et delicta fateri et animum sacris rite apostolicis Iustrare queam, proinde sacerdolem, qui confessionem exaudiat et me expiatum reddat, accersite, queso. Rogatus, quid tantum a dea beneficii promeruissest, respondit peculiare sibi id in vita fuisse numen, septena quotannis in vita sua festa reverendissime celebrasse religiosissimisque jejuniis ex pane dumtaxat et aqua decorasse, ¹⁵⁷ sacris fuisse quam studiosissime operatum, illi tantum numini cunctas animi vires dedicasse. Accersito e pago proximo sacerdote confessionem rite transegit et impetrata erratorum omnium remissione acceptaque novissima Iustratione id defuncti caput repente conticuit perpetuoque quievit.

Varia quoque bella in Transalpinis dexteriore exin fortuna gesta sunt, sed hoc illustris clades fecit insigne. Cum Turci ex perfidia ¹⁵⁹ et societate regulorum Istrianas in Mysia partes et ad Temeschezum precipue incursarent, prede cupiditate ac soli feracitate tracti se ab infestanda provincia continere non poterant. Quod, nisi temporibus illis Nicolaus Petri Macedonis filius intercessisset, nimirum de Mysiis perbrevi fuissest actum. Is enim bello impiger ac strenuus, corporis iuxta atque animi viribus pollens ac tempestivus strategematon artifex bella cum Turcis olim infeliciter gesta bene resarsit, bis hic insigni strage Turcum afflixit ac impedimentis et castris exuit. Cum ea tempestate Maumelhes primus quintus Turcorum imperator appellatus subreptis e medio fratribus rerum potitus esset et amplificato opinione magis imperio, quando iustitia, calliditate et rei bellice disciplina parem etas nostra non viderat, eam Mysie partem occupasset, quam nos Bossenam superiorem dicimus, regulum quandam provincie nove prefecit humili genere natum, qui Ichach dictus est. Hic regie dignitatis accessione tumescens finitimos circum rapinis ac bello non parvo infestare cepit; latius cum ingenti equitatu excursans multum pecorum hominumque abigebat et, prout immanis libido tulerat, cuncta igni ferroque vastabat. Magna pars hominum relictis pagis oppidulisque non sati obfirmatis emigrare coacta. Feri hostis audaciam et sevitiam usquequaque grassantem is diu ferre non potuit; quanquam hosti longe se intelligeret imparem, feritatis tamen indignitate correptus tumultuarium cogit exercitum. Miles sibi nullus preter gregarium ¹⁶⁰ aut e rustica plebe evocatum erat; auxilia, undecunque potest, educit, paucas a rege Sigismundo cohortes cum modico equitatu, que in provincia hibernarant, accersi iubet, quin et agrestem congerit multitudinem, quando eadem omnibus erat pro aris ac focis pugnandi causa. At, ubi, qualiscunque foret, tantum sibi exercitus esse ¹⁶¹ sensit, quantum ad arcendum hostem sat esse videretur, palantibus Turcis occurrit. Ichach, ubi hostem adesse conspicatur, instructa acie collatisque signis in eum contendit. Ne pugnam quidem ille detrectat, quando longe maior audacia et ulciscendi libido ad dominandum irritarat. Quare magno impetu pari quoque furore manus conserunt, prelium cruentum reddunt. Ichach prospecto Nicolao, quem ducem hostium, veluti fuerat, esse rebatur, recta in eum ci-

tato equo cucurrit. Nicolaus hostem non declinat, immo, cum nil sibi hac re antiquius accidere posset, singulare certamen init. In primo congressu infesta Turcum hasta gravi vulnere confossum equo excutit, ipse quoque desiliens, impacto gutturi pede reiectis precibus humi iacentem iugulat. Spectata nece regis Turcorum acies in fugam convertitur, a tergo contra instant Ungari, multos in fuga cedunt, multos defatigati cede capiunt. Nicolaus insigni victoria potitus opima ad Sigismundum spolia retulit. Vexilla Turcorum et impedimenta capta ad imperatoremque Romanum relata sunt; eius exercitus ac pagana multitudo spoliis hostilibus et ingenti preda ditatus. Haud multo post tempore, cum in Mysiam iterum Turci erupissent, ne inferiorem quidem inde cladem et iacturam a Nicolao duce retulere. Nam, cum adventantibus Turcis iam se viribus imparem esse intellegiret, hoc virum astu victoriam sibi comparasse memorant. Imprimis, quem potuit, militem congregat; cum hosti ob inopiam militum se obversari non posse cognosceret, ab arte pariter ac tempore auxilium accepit. Cum per vicos et oppida magnum armentorum numerum esse nosceret, agrestes omnis iumentis considere iubet, precipit etiam cum armis tympana buccinasque capi et aggressuros dudum hostes ingentis clamores in pugne congressu edere. Mox in sequenti nocte tertia vigilia Turcos adoritur; a fronte is cum paucō exercitu, a lateribus rusticana turba iumentis insidens hostem invadit, ex composito clamor ingens editur, tympana circum obsonant. Turci se ab in numero Pannorum exercitu circumventos esse rati, cum, quid potissimum agerent, haud facile succurreret, confunduntur omnes, aliqui fortius agentes in hostem versi trucidantur, nonnulli in fugam versi palantesque diffugiunt; ducis imperium in tanta confusione a nullo exauditur. Inter confusos hostes Nicolaus cum agmine quadrato se ingerit, multum ex hostili sanguine haurit; ut sui ab hostibus intempesta nocte dignoscerentur, Christi sanctique Michaelis iam symbolum edixerat. Turci castris pariter ac impedimentis exuti magna clade affecti sunt. Nicolaus cum agresti multitudine ovans ac spoliis onustus domum rediit.

Sigismundus ad hec quattuor et triginta annos in Ungaria late regnarat, abrogato fratre Bohemie regnum sub gubernatoris nomine gesserat. Post Venceslai obitum anno dominice incarnationis quadringentesimo ac vigesimo ultra millesimum Bohemicu diadematate coronatus est. Hunc ingenita probitate ac profusa beneficentia fuisse memorant; non de nobilitate solum, verum etiam de plebe is bene mereri voluit. Nobiles ac ignobiles iuxta extulit ac preter fortune condicionem et opinionem omnium evexit. Plerosque in Ungaria civitatibus, oppidis magnisque dominatibus donavit. Eximios magistratus temere quandoque compluribus impartivit. Palociorum ac Rosgonorum domum multis beneficiis ornavit. Quin et Michaelis Orzagi palatini quandam haud ignobilis familiam multis honoribus excoluit. Pipo Ozora ab eo mirifice dilectus ac liberis orbatus obiit. Philippus Florentinus et sua et illius virtute nimis adiunctus. Item cunctis honoribus excultus sub ductu auspiciisque Sigismundi vi-

ginti Turcum cladibus afflixit. Quos ex obscuro et agresti genere olim extulit, ingrati foret otii enarrare. Illustrem Sigismundi aulam ¹⁸⁹ nemo satis admirari potuisset, quandoquidem prestanti principum frequentia refulgebat, quo tanquam ad procerum vivaria ex omnibus Europe partibus viri clari confluebant. E remotissimis Hispanie ¹⁹⁰ finibus multos in Pannonias imperatoris huius fama contraxit. Lusitanie regis filius auditio Sigismundi nomine in Ungariam peregre prefectus est. Qui ab Augusto remoratus et illic hibernare coactus, ¹⁹¹ cum stantem glacie Danubium et oneratos currus pedestremque transitum equissime toleraret, haud secus ac rem miraculo dignam ad patrem multosque Hispanie regulos id scripsisse dicitur. Ingruente mox primo tempore impetrata missione ab imperatore magnifice donatus ac multis excultus honoribus dimissus est. Frequentavit quoque illius aulam Georgius superioris Mysie princeps, quem despotem nominant. Hic Sigismundi beneficentia victus Albam Regiam ibi ad Danubii ac Savi confluenta sitam, ubi Taurinum olim fuerat, in perpetue fidelitatis pignus veluti tuti obsidis loco imperatori sponte dono dedit, quod quidem in Mysia ac ea, que ad Turcos nunc spectat, Ungaria unicum est propugnaculum. Contra ¹⁹⁴ ille, ne bene merendo cederet, hec illi castella in regno rependit, Zalanciem, Bechium, Cheulpem, Vylagos, Thoium, Muchacum, Taliam, Regegum, oppida vero Sathmar, Bezermen, Debreczyn, Thur, Varsan et pleraque alia, Bude autem magnificas edes, que regie loco haberi possunt.

Dum extirpando schismati, quod iam diu in Christiana republika fuerat suscitatum, et castigandis hereticorum dogmatis, pacande Bohemie et capessende corone incumberet operosus ille princeps, res nove ob regis absentiam nonnullorum scelere oborte sunt, quas haud facile prefecti regni sedare potuerunt. Blasium quandam referunt humili genere ac in tenui re natum ex imperatoris peregrinatione tantum sibi audacie comparasse, ut coacto facinorosorum exercitu, quem ex gregario milite plane conflaverat, Ternaviam noctu clam intraverit et Ungarici Bohemicique militis viribus fretus cesa haud parva civium multitudine in potestatem suam urbem redigerit, mox Ternavia potitus locumque nactus ad inferendum vicinis bellum quam accommodatissimum superiores omnis Ungarie partes, que ad Austriam Moraviamque pertinet, longe lateque cedibus, rapinis, incendiis tumultuque perculerit, ad Danubium usque regionem, quam a Mathia denominant, magnis calamitalibus et terrore compleverit atque, nisi magna nobilium multitudo congregata comparato tumultuario exercitu occurrisset, multo latius pestis illa debacchata fuisset. Cum is accepisset, quod ad coercendam eius ¹⁹⁷ audaciam nobiles molirentur, cautius rem egit; de pace agi ceptum est; ea condicione res pacata, ut, quecunque sevus latro occupasset, nobilium permissu tuto potiretur.

Non multo ante tempore in Ungaria bellum quoque rusticorum ¹⁹⁸ emersit servili socialique bello haudquam inferius; diversis hec temporibus gesta sunt. Antonius in Transylvanis nova molitus et ¹⁹⁹

coacta ingenti agrestium manu sub pretextu exuende servitutis a regia fide defecit, mox in oppida castra movere cepit, que rebellionem istam detrectarent; obversantem his nobilitatem collatis signis proterit, multos cedit; pagos et oppida, que parere nollent, primo diripere, ferro ignique vastare. Nonnulli e proceribus, qui Antonianas partes tunc sequi recusarent, repente a pagana turba trucidari, in vincula coniici, coacta viritim spolia dividi. Quare sub libertatis nove specie Antonius tyrannidem sibi comparavit. Id ipsum Martinus vir agrestis in regione, quam Nyrim et Zamoscenum dicunt, ausus est, quippe facta seditione cum quadrato rusticorum agmine longe lateque grassatus maximam per vicos et oppida nobilitati calamitatem intulit. Cui quidem pesti nisi cum tumultuaris copiis prefecti provinciarum occurrisserint, parum abfuisset, quin regnum ad publicam defectionem perpulisset. Singulis utrique preliis profligati sunt cesisque seditionis auctoribus ex agresti multitudo ali oculis, pars magna naso, auriculis labiisque aliqui mullati sunt, nonnulli precisis manibus penas luere, ut omnes illi, que nefario scelere patrassent, feda cicatrice vulgo referrent. Ex his igitur, que dicta sunt, quantis periculis ac malis imperator ille laborarit, facile intelligi potest.

Iam tempus exposcit, ut, quo pacto res Dalmatiae decrescere ceperint in Venetorumque potestatem devenerint Sigismundi temporibus, breviter aperiamus. Cum a Ladislao Apulie rege Iadram Veneti accepissent, quam cum agro et appendicibus centum milibus aureum se mercatos esse profitentur, ad recuperandam reliquam Dalmatiae oram animum adiecere. Sollicitare sensim populos ad defectionem, discordie semina passim serere, vexare factiones et magnis nobiles plerosque promissis allicere, variis artibus hominum animos infirmare, nutantes ad se trahere. Quare Sicenses paulo post tempore intestina dissensione laborare occeperunt; due in urbe factiones oborte, nobilitatis una, altera plebis fuit. Ad Venetos secessere nobiles, Pannorum fidem retinebant reliqui. Cum a Pannonibus nobilitatem defecisse multitudo vidisset, extemplo facto tumultu in eam arma capit et plerisque cesis urbe eiicit reique publice gubernationem capessit. Optimates exacti ad Venetorum opes configiunt, a senatu facta deditione auxilium implorant; ob imperandi cupiditatem senatus id ultro pollicetur, primo tempore triremes quatuor cum parvis quinquaginta navigiis in Dalmatiam mittit. Contra Sicenses per totam hiemem Pannonica auxilia sollicitarunt, validissimo Ungarorum presidio urbem muniverant. Cum Sicum Veneti oppugnare cepissent, prosilientes ex urbe cives cum Ungaris ita Venetos inclinarunt, ut, nisi illi se in classem continuo recepissent, eo de his die actum foret; cecidere tamen multi, qui in litus egressi subire menia tentavere. Cum tenui Sicum apparatu expugnari haudquam posse intuerentur, senatui repente significarunt maioribus id virtutibus adoriri oportere neque sine terrestribus copiis capi posse. Lodovicum Bucecharinum misere patres, cui copie cum supplemento date et mandatum, ut summo studio ac vi

terra iuxta atque mari civitatem oppugnaret. Postquam Sicum per-²¹⁵ ventum est, Lodovicus urbem obsidet, omnis aditus dispositis cir-
cum militum stationibus obcludit, quin et turres erigit presidiaque imponit, ne arma, subsidia commeatusque importari possent. Dum ²¹⁶ pertinaci urbs obsidione vexatur, legati a senatu in Ungariam mit-
tuntur, ut hanc cum Sigismundo causam componerent. Ioannes ²¹⁷ Barbus et Thomas Mocenigus legati fuere; cum in Pannoniam ve-
nissent, quia de re molesta agebatur, multos in contentione dies contrivere. Ad extremum, dum se per omnia versant, cum nihil ²¹⁸ inter eos convenire posset, utriusque ex composito Sicensem causam Ioanni summo pontifici delegarunt.

Dum hec ita geruntur, non multo post Pipus Florentinus Sco-²¹⁹
lariorum familia natus, quem Philippum dicimus, cum decem mi-
libus equitum a Sigismundo missus in Italiam Venetos fines in-
vasit. Belli huius causam Foro Iuliensium Carnorumque discordias ²²⁰
plerique suspicantur, cum ex his alii Venetis, Pannoni Aquileien-
sive antistiti alii parere studerent. Nimirum Dalmatia motus huiusc ²²¹
causa fuit, quippe que non modo Pipum prefectum legionis, verum
etiam et Sigismundum ipsum in hanc expeditionem adegit. Is enim, ²²²
quod Lodovicus quondam sacer eius tanto sudore ac impendio
compararat, facile amittere non poterat. Adauxerat indignitatem ²²³
Iadra a Ladislao vendita et Sici obsidio. Irritabat quoque ad id
bellum Brunorius Scala, qui patrium dominatum Sigismundi ope ²²⁴
recuperare sperabat. Quin etiam et Mariam Sigismundi coniugem ²²⁴
in Dalmatiam venisse et hac Sicum obsidione liberasse accepimus;
oppidani quoque tempestate nostra testantur haud a Sico procul
cenobium quoddam diversorumve ab illa fuisse edificatum. Cum ²²⁵
Pipus igitur in Italiam Sigismundi iussu primum erupisset, Frede-
ricus Savorgnanus cum universa factione sua transivit ad Venetos.
Utinenses Pannoni se dediderunt. Ille recepto Utino in Taurisi-²²⁶
norum fines castra movit, Venetis Serevallum, Bellunum, Feltrum
ac Metam abstulit. Demum, cum multa preclare hic facinora ges-²²⁷
sisset, auro demum a Veneto corruptus dimissa provincia in Un-
gariam reversus est. Quem detecta viri avaritia Sigismundus infuso ²²⁸
in os auro, ut aiunt, enecari iussit. Sed, cum prefecti sui cupiditate
victorie successum interceptum esse intellexisset, instauratis ²²⁹
exercitibus in Italiam venit; ex quadraginta hominum milibus exer-
citum conflasse plerique tradidere, multo minus alii referunt. In ²²⁹
Carnos primum is erupit. Veneti Carolum Malatestam conduxere
virum longa rerum experientia et bellica disciplina valde pollentem.
In agro sepe Feltrensi Taurisinoque manu conseruum est et cruen-²³⁰
tissima quandoque pugna dimicatum. Ungarorum sevitiam hic pleri-²³¹
que commemorant, quia, quicunque bello superfuissent, oculis or-
bassent aut mutilatis manibus dimisissent. In tanta belli crudeli-²³²
tate legati tres iterum ad Sigismundum a senatu missi; Franciscus
Foscarus, Thomas Mocenicus et Antonius Cornarius fuere oratores,
qui cum rege Pannonie quinquennales industias confecerunt.

Ne diu quidem id otium permanxit, in Carnis iterum bellum ²³³

suscitatur; Utinensium factiones in causa fuere. Lodovicus Thechius, qui eo tempore Aquileiensis ecclesie antistes erat, totam Carnorum regionem, que Lquentia Timavoque, item Alpibus Adriaticoque mari continetur, sub dictione sua regebat. Cum inter Lodicum et Utinenses discordia propter exules oboriretur, quia hi Savorgnane factionis homines, qui ad Venetos superiore bello defecerant ac idcirco patria carebant, in eam restituere nitebantur, contra ille nimium obversari ac dicere se nullo id pacto permisurum; hinc ingens est orta seditio. Interea Sacilium a Venetis occupatur. Lodovicus cum gravissimo sibi hoste rem fore ratus ad Sigismundi opes confugit. Veneti, cum occasionem invadende regionis perquam idoneam oblatam esse conspicarentur, quibus possunt, artibus discordias fovent, Cividatenses ad se deficientes gestiente animo in fidem accipiunt. Paulo post Lodovicus cum Ungarorum auxiliis advenit, cum quattuor hominum milia e Pannibus eduxisset, e Carnis multas cohortes et sat validum equitatum coegit, imprimis in Cividatenses castra movit. Oppidum imposito Venetorum presidio munitissimum obsidet, circumiacentem longe lateque agrum populatur et incendit, sed brume mox vesania ob-sidionem solvere coactus est solutoque exercitu, cum per oppida cuncta presidia disposuisset, ipse cum auxiliaribus copiis in Ungariam concessit. Eadem hieme Veneti oppida, que proximo bello amiserant, recepero imprimisque Feltrum et Bellunum recuperant, mox Carnorum fines ingressi, quos magna ex parte Foroiulianos appellant, Pratum imprimis adoruntur evertuntque. Philippus Arcius vir bello impiger Venetorum tunc ductabat exercitum; in tanto belli successu haud cunctandum esse ratus Utinum obsedit, quod idcirco factum est, quia Utinenses plerique cives, qui Savorgnane factionis erant, portam, que ad Cividatum pertinet, se proxima nocte patefacturos esse pollicebantur. Patefacta ex composito porta ingressi oborto tumultu detectaque coniuratione oppidanorum occursu reiecti sunt. Exules, quos temeraria invexit audacia, partim cesi, partim repulsi. Utinenses annos aliquot bello vexati. Veneti pleraque interim oppida proceresque Carnorum in dicionem suam redigere. Utinenses, cum Lodovicum Aquileensem in Pannoniis agenter aliquamdiu expectassent, desperato subsidio ac Venete artis instinctu ad Venetos misere oratores, qui bonis deditio-rem condicionibus curarent. E sententia cum Venetis est composita deditio, id unum adiectum, ut initio federe Fredericum eiusdemque factionis homines in patriam restituerent omniaque bona redderent. Percussum ex compacto utrinque fedus. Audita Utinensium deditio eandem pleraque Carnorum oppida condicionem subivere. Lodovicus Aquileiensis Utinensium defectione irritatus e Pannoniis per Nericos confestim in Carnos cum validissimo equitatu Pannorum erupit. Primo Clusinam arcem impetu in montium angustiis editam vi cepit, Mutianum oppressit, nonnulla circum oppida expugnavit. Sed Veneti interventu intercepta victoria. Sigismundus enim, qui variis expeditionibus distinebatur et modo cum Turcis modo cum

Bohemis variisque gentibus bellum gerebat, Italici belli spiritus remittere cogebatur. Non multo post tempore Lodovicus Sigismundi opibus adiutus haud inferiore quam antea apparatu in Foroiulianum agrum revertitur. Mansanum primo, deinde Rosacium et pleraque castella capit. Instaurato in Carnis bello Veneti occurrere, exegere Lodovicum, qui pre commeatuum inopia bellum ibi diu alere non poterat. Ad Sigismundum tandem reversus, dum in Noricis et Pannonibus nova molitur, vita decessit. Audito Aquileiensis presulis obitu Foroiulianus ager, cum variis Sigismundus bellis vexaretur, a Venetis occupatur. Hec habui, que Sigismundum cum Venetis gessisse legi, quin etiam et a plerisque Ungaris audivi, qui, dum in Italiam per Foroiulianum agrum iter facerent, nonnullos precipitis adhuc manibus hospites ibi se spectasse testantur. Cum de rebus Ungaricis, Dalmaticis et Venetis nonnulla dixerimus, nunc de Sigismundo reliqua prosequamur.

Postquam igitur Augustali corona potitus in Ungariam, quem admodum supra dictum est, rediit, Pannonias pacavit novasque leges edidit. Ut Bohemorum animos sibi apprime conciliaret, eorum ad se principes in Ungariam evocavit; sexaginta his aureorum milia in Alba Regali distribuisse fertur. Immensum pecorum numerum adiecit. Qua die Bohemiam aditus erat, admonuit. Deinde in Bohemiam iter intendit, venit Iglaviam, ubi conventum frequentissimum Bohemorum habuit. Ibi omnia cum synodo Basiliensi de vera religione transacta iterum comprobavit. Bohemis et Moravis hec synodus indulxit, ut sub panis ac vini specie eucharistiam sumere fas esset, in ceteris omnibus cum Romana ecclesia sentirent. Id an ex precepto dei fieri fas sit, Basiliensis ipsa synodus plane definiet. Quin et eam condicionem adiecit, ut his eucharistiam impartirent, qui rationis forent compotes et eam reverentissime postularent; item inter communicandum publice sacerdotes plebem admonerent, ut non sub specie panis tantum Christi carnem nec sub specie vini tantum sanguinem, sed sub altero utrunque contineri catholice credat. Intercessere quoque alie inter Sigismundum et Bohemos condiciones pacis; ecclesiarum predia loco pignoris occupatoribus relicta sunt, donec certa pecunia rependeretur. Religiosis utriusque sexus, quibus collegia sacra adempta fuerant, item exilibus spes redditus interdicta, promissus Rochezane Pragensis basilice presulatus. Bohemicarum ecclesiarum potestas Romano pontifici prorsus ablata. Cum hec ita ex composito constituta fuisserant, presidente in Augustali suggestu Sigismundo, quem in foro erexerant, et adstante Alberto genero in frequentissima procerum corona Rochezana cum presbyteris quattuor, quibus ceterorum protestas delegata fuerat, omne religiosi obsequii officium Romane se ecclesie prestitum plane professus est. In sequenti die in eadem contione ac sollemnitate pari anathemate ceterisque censuris pontificiis heretici absoluti, introducti per concilii legatos in ecclesiam, ubi, cum res divina fieret, Rochezana perfidie sue haud immemor uni ex plebe, quem adesse iusserat, sacramentum ex calice dedit.

Ioannes ad hec Palomar alter e concilii legatis cum in aliena eccllesia haudquaquam id fas esse clamaret inhiberetque, perstitit in proposito ille et contempto eius imperio eucharistiam homini communicavit. Quare parum abfuit, quin conventa omnia pro irritis 266 haberentur. Ex eo conventionis capite res pacata, quo sancitum erat paucis licet pacta violantibus initam tamen concordiam nequaquam intercipi.

Compositis rebus omnibus nono Kalendas Septembres anno 267 dominice salutis sexto et tricesimo supra millesimum et quadragesimum Pragam incredibili pompa honorificissime invectus est, ubi, qui paulo ante Bohemorum hostis spurius Antichristi filius habitus et profanus cunctisque hominum votis perdendus esse censebatur, inauditis honoribus exceptus est. Iuraverunt in eius manus proceres 268 cuncti urbiumque legati se illius imperium nunquam detrectaluros. Constitutos ab eo magistratus ultro accepere. Certavere mox omnes 269 obsequiorum officiis atque ea tempestate Bohernum et perseundo et obsequendo immoderatissimum iudicasses. E Basiliensi deinde 270 synodo legati Pragam missi, quorum Philiberius Constantiensis episcopus princeps erat. Ii ecclesiasticos ritus introducere, restituere 271 sacerdotes, corrigere sacra et emendare, quibus plebis cantilenas olim adiecerant, item revocare divisorum imagines, sacras aquas referre, dicare fontes baptismatis, altaria ornare ac demum spurcitas omnis 272 abolere ceperunt. Quamplurimi sane mentis paruere, obstitere Rochezane sectatores, item passim obloqui, maledictis non abstinere, publicis Romanam ecclesiam apostolicumque senatum sermonibus laniare, quin etiam legatis plerunque synodalibus insidias tendere. Sigismundus pollutis se templis abstinuit. Iacobi edem, que Mino- 273 rum ordinis collegium olim fuerat et quam in erarium illi redegerant, sibi restitui poposcit; annuit civitas. E Mendicantibus etiam 274 plerique rediere, ut puta Celestini, Sclavi, Servi dive virginis, Hierosolymitani et plerique sacrorum ordines, item abbates nonnulli et divi Georgii antistites nec non et Urbane basilice canonicorum ordo; altaribus ornamenta redditia, divini quoque ritus instaurati; ademptis olim basilice proventibus, quibus templorum ministri alebantur, impense hebdomadatim collegio huic ex fisco date; quare cathedrali ecclesie sex aureum milia quotannis hinc erogata. Multa ceteris 275 templis donativa ab imperatore distributa. Ad extremum vi potius necessitatis quam voluntatis imperio fedus cum hereticis ictum est. Pacata Bohemia multum sibi nominis imperator comparavit. Maximus ac spectatissimus in Christiana republica habebatur. Congratulatum undique oratores ad eum veniebant et hunc verum omnes Augustum ac Cesarem predicabant. Eugenius quoque pontifex maximus auream rosam in gratulationis et letitie speciem ab urbe misit. Quicunque autem superfuerant Taborite, in oppido conservati et hac in gratiam condicione recepti sunt, ut quinquennio tantum suis moribus uterentur, tributi nomine quotannis sexagenas argenti libras penderent, ius civitatis haberent, rubra cera litteras obsignarent. Verum in re divina facienda, cum in nefandas ceremonias 276

277
278
279

recidissent, castigaturum se eos propediem Sigismundus interminari. Contra vero profanam eorum insaniam Rochezana assiduo hortatu²⁸¹ confirmare, in dies se pertinacius agere, monachos redeuntes demones appellare, demum imperatoris minarum admonitus clandestina se fuga preripuit. Eius ecclesia Rapusconi viro probitate vite et doctrina prestanti commissa, qui perturbatis iterum rebus in exilium exactus est.

Antequam Sigismundus Bohemiam ingrederetur, Ioannes quidam Robacius vir optimo genere ac pessimo ingenio non longe a Cuthnis montibus in edito colle castellum erexit, quem montem Sion appellavit, auguratus ex eo quandoque loco promanaturam esse veritatem, que Bohemicam gentem aliquando in libertatem vendicaret. Cum ceteri proceres auditio imperatoris adventu Iglaviam cum universa nobilitate proficiserentur, ut eum pro dignitate exciperent, hic domi remanens predas exercebat. Infestat finitimos et regem demum lassessere non veretur. Boves ac vina, que ex Ungaria ad imperatorem vehebantur, intercipit, formidolosa reddit itinera. Ad hunc latronem expugnandum Henricus Prascon a Sigismundo missus, qui, cum menses quattuor castellum natura et arte munitissimum oppugnasset, capto tandem Robacio ceterisque latronibus expugnavit. Cum his etiam Husitarum antistes captus est, qui sacris apud eos operabatur. Pragam perducti furcisque devoti omnes laqueo enecti sunt; duo et nonaginta hos fuisse perhibent.

Sigismundus interea iam etate gravis variis tunc senectutis in-commodis laborare ceperat. Hinc Barbaram imperatricem non mediocris imperii sollicitudo incessit. Henricum Prasconem, Alscionem Sterembergium, Georgium Proiebracium et plerosque regulos ad se acciri iubet, quos magnam apud Bohemos auctoritatem habere senserat. In abditas aule partes inducit, ubi, cum consedissent, imperatorem propediem moriturum enunciat, cum tot morbis obsito et his quam difficillimis longam proferre diem sperare non liceat. Cum multe sint undique turbe oborture, haud ab re ait fore, si ante tempus de retinendo imperio provideretur; illud unum consilium optimum futurum, si, cum vidua fuerit, Polonie regi legitimate coniugetur. Opulentissimi hunc coniugii condicionem haudquaquam abnegaturum affirmat, quando duo pro dote regna capesset; item Celie comites, alterum fratrem, nepotem alterum magna sibi auxilia prebituros; quin et multos sibi in Ungaria esse proceres, qui suas partis tuebuntur. Imperatricis consilium Bohemi approbant et pro illius arbitratu fedus ineunt. Imprudens profecto mulier et proprie libidini nimis obnoxia, quippe que iam annis effeta Elisabetham filiam, que Alberto Austrie duci nupserat et iam in spem regni fuerat educata, mente deiicit, novum coniugium molitur eoque vesanie illa processit, ut omnes ingenii nervos geniali toro prorsus intenderet, cuius iam se impotem fore senserat. Ne latuere quidem imperatorem uxor artes et consilia, cuius ingenium et pudicitiam quandoque suspectam habuerat, quando hanc ab Ernesto Austrie principe adamatam esse intellexerat. Cum interea medici omnem

Sigismundo spem valitudinis ademissa commonefacerentque, ut animi imperique sui salutem curaret, e Bohemia, quam perfidia semper laborasse noverat, depexa coma et viridante serto comptus in bone valitudinis pretextum egreditur, in Moraviam concessit, ut, antequam de vita decederet, filiam generumque videret. At illa cum ²⁹⁷ Alberto audita gravissima patris egritudine ex Austria repente profecta Znoymam venit ibique imperatorem offendit. Barbara imperatrix una cum Ulrico Celie comite ac fratre suo virum secuta imperatoris iussu custodie tradita. Ulricus inita factionis conscius capta sorore mox aufugit.

Sigismundus, cum se in dies gravius laborare inteligeret et ²⁹⁸ mortem instare proprius, potiores Ungarie Bohemieque proceres in cubiculum accersi iubet, qui ubi presto affuere, Cum novissimum, ²⁹⁹ inquit, diem imminere sentiam, nil me magis angit, amici suavissimi, quam vestra salus et utriusque regni sollicitudo. Idcirco, cum ³⁰⁰ Prage me iste languor incesserit, exemplo dissimulandi morbi gratia, ut mihi comam barbamque depexam et caput sertis bene comptum redderetis, admonui, ut vos tutius e perfida hereticorum gente educerem. Non enim nescius eram, si Prage mihi mori obtigisset, vos ³⁰¹ frementi sacrilegorum rabie obsitos hinc nunquam tuto egressuros. At, postquam pericula hec evasimus, antequam mihi vita tot bellis, ³⁰² laboribus discriminibusque vexata claudatur, agendum est, socii, quo pacto hec duo regna gubernentur institutamque pacem ac otia servent. Nam superiora mala, ut futuris prospiciamus, eo ma- ³⁰³ gis hortantur, quo maiora illa fuere, imminentia vero quam gravia futura sint, Barbare vos conatus admonuit; itaque, nisi in tempore provideatur, multo graviora supersunt. Multi nanque morbi ³⁰⁴ quamprimum, ubi adveneret, curantur et ante eorum adventum multo facilius ipsa prudentia declinari potuissent, qui, postquam altius insedere, aut mortem inferunt aut perquam difficulter curari queunt. Imprimis rege ac moderatore optimo vobis opus est, quem ³⁰⁵ delectum amare et observare, debitam prestare fidem ac equa illius imperia facere debetis. Quem autem vobis regem meliorem optare ³⁰⁶ possim, preterquam eum, quem mihi generum filiumque delegi, haud facile dixerim. Albertus nobis est virtute, sapientia et longa ³⁰⁷ rerum experientia prepollens, nobilitate quoque generis ac morum excellentia usque adeo prestans, ut, etsi infensus nobis esset, res tamen nostras ipsi in tanta bonorum principum orbitate committere cogeremur. Non me magis, si vera loqui liceat, quam vos omnis probitate sua promeruit. Superest filia, supersunt quoque ali- ³⁰⁸ que Sigismundi reliquie, quas in amoris mei monumentum et collere et diligere debeatis. Ad hoc nos Alberti iustitia ac integritas ³⁰⁹ impellit et ingens in vos omnes amor et beneficentia, quem apud me patronum unicum, immo patrem semper habuistis. Beatum ³¹⁰ mihi credite id futurum imperium, quod Alberti ductu auspiciisque geretur. Princeps enim, cui religio, pietas, magnificentia, equitas et prudentia singularis est insita, omnes de se optima queque sperare ac iubere potest. In eo spem omnem collocavi, hunc mihi adop- ³¹¹

tavi, hunc unum pacis et iustitie ac otii fundamenta, que ieci, in utroque regno adiutorum esse speravi. Vos autem, socii, aliud sentire aut optare non crediderim, quando hunc iuxta atque me ipsum semper amastis et, ut, quod nunc nuncio, facerem, sepe mihi persuasistis. Si pro arbitratu meo vitam prorogare fas esset, recusarem profecto sponte tot malis et laboribus absemptus; sed vestri caritas me remoratur in terris. Nunc, postquam paralytici sevitia morbi iam collabante corpore propediem obeundum est, per meam in vos pietatem, per vestram in me fidem queso, item per utriusque regni salutem, per incolumitatem vestram, pro qua maxima queque pericula pertuli, ut Albertum, quem vobis nunc declaro regem et cui coniugavi filiam, cui potestatem ac omnis fortunas meas iure legavi, hunc vos eundem cunctis suffragiis et habere et declarare velitis idque, antequam vita decedam, omni studio faciat. Elisabetham, qua debetis, fide colatis et tueamini ne aliter quidem, atque nostra in vos officia postularunt.

His dictis conversus in lacrimas haud plura loqui potuit; annuere proceres ad unum omnis et in manus eius id ipsum represtituros semper esse iuraverunt. Declararunt ibi regem et cuncti ante sacerdotum Albertum regem et imperatorem consalutarunt. In Alberti deinde manus rite iuratum. Introducta quoque gnata ac faustis salutationibus admissa. Cum a lacrimis aliquantis per ille respirasset, ut inita dudum consilia e sententia evenirent, legatos quoque declarare placuit, qui post eius obitum in Bohemiam contenterent et testamentum in contione recitarent. Legatorum princeps Gaspar Slichius mira ingenii dexteritate et dicendi copia preditus trium Cesarum secretarius et de Pio pontifice maximo, dum in Noricis ageret, optime meritus. Quam versatile huic fuerit ingenium, hinc intelligi potest. Apud imperatores tris, qui diversis admodum fuere moribus, cum summa semper laude ac dignitate versatus inter ceteros secretarios obtinuit principatum. A Sigismundo Egra et Cubito in Germania, ab altero Calesio et Alba Ecclesia in Hungaria, a Frederico Grecio in Austria donatus est. Postero die quo dive virginis conceptio celebrabatur, Sigismundus compositis humane vite rebus ac omni sacri viatici instructus apparatu, qui ad vite alterius iter pertinet, Znoyme cum summo omnium desiderio excessit humanis dominice nativitatis anno quadragesimo trigesimo septimo supra millesimum, etatis vero sue septagesimo, regnorum autem ac imprimis Ungarie quinquagesimo primo, Romanorum septimo et vicesimo, Bohemie decimo septimo, imperii denique Romani quinto. Post mortem ita ab omnibus deploratus, ut adhuc Germani gemant, Ungari defleant, Bohemi lacriment, catholica ecclesia predictet atque universa denique Christiana respublica cum omni posteritate summis laudibus efferat ac commemoret. Vir fuit probitate ingenita, Augustali genere, fausto aspectu, statura magna, pulchro corpore, quod Auguste multum referebat maiestatis, crines aurei crispique a iuventute, serenus erat obtutus, glauci quidem oculi, item promissa barba multum sibi adiiciens

gravitatis, quam ad promerendam Ungarorum gratiam, qui prolixa barba utebantur, in deliciis nutritissime et gestasse dicitur; cum nimum popularis esset, ad corporis decorum nihil adiicere amplius natura potuisset. Animo fuit perquam grandi et excelso, item profuse liberalitatis et magnificentie princeps, amicis prodigebat omnia et ita sepe proventus omnis erogabat, ut nil etiam in his, que vite sunt usui, sibi superesse pateretur. Sepe, cum in regia nihil esset, quod suo prandio prepararetur opipare, amicos invitatus adivit; sepe etiam ab his symbola corrogavit. Item comitate, clementia et affabilitate tanta, ut ceteros ea tempestate principes anteiret. Ad crudelitatem nunquam nisi gravissimis iniuriis irritatus est. Christianam rempublicam ecclesiamque Romanam plus omnium opinione dilexit. Quod ex his vel maxime constare potest; nam, cum gravi diuturnoque schismate, quod unum de quadraginta annos perduraverat, divi Petri naviculam fluctuare cognosceret, Constantiensem synodus indixit, ubi Ioanne, Gregorio Benedictoque pontificibus abrogatis Martinum quintum summum pontificem creavit, universam rempublicam industria laboreque suo componere studuit. Ioannes concilii decreto ad Aldebergam Germanie castellum perpetuo relegatus; Gregorius, qui a Pisano concilio damnatus fuerat, per Carolum Malatestam oratorem suum se ultiro pontificatu abdicavit; Benedictus cognomento Boltrinus, cum se Paniscole, quod Taracensis Hispanie munitissimum est castellum, tueretur seque Christi vicarium pertinaciter assereret, eiusdem synodi auctoritate iterum abrogatus est. Hic etiam heresiarcharum gravissime exacte sunt pene, promulgatae sanctiones nove et optima Romane ecclesie forma introducta est. Cuncta quoque pro viribus pacare curavit, orthodoxe fidei amore succensus tot in Bohemia bella gessit, coercuit hereticorum rabiem et, quantum in se fuit, Husitarum sectas repressit. Turcas propriis sedibus quiescere adegit, quos per Pipum Florentinum magistrum equitum viginti preliis superavit. Bis in Italiam contendit; semel, cum Cesar declaratus est, ante Constantiense concilium, quo quidem tempore universam ferme Cisalpinam Galliam sedandi belli causa lustravit. Philippum Mariam ducatus Mediolanensis titulo sua auctoritate fecit insignem. Iterum evocatus est a Philippo, dum Venetorum bello durissime premeretur, cui, si auxilio foret, Augustalem coronam ille promiserat; profectus Mediolanum affectato nimium ducis colloquio, cum in arce Iovis ille se obclusisset, virum nunquam videre potuit. Ob contemptam Cesaris impotentiam id factum plerique iudicarunt. Verum exacta Parma hieme in Etruriam non sine magna indignatione concessit. A Senensibus honorifice exceptus aliquot ibi menses subsedit et formosissimarum sepe spectaculo matronarum exhilaratus est. Hic memorabile illud duorum amantium exemplum intercessit. Euryalus enim iuvenis equestris ordinis et comes Augustalis mira pulchritudine spectatissimus primo obtutu in Lucretie Senensis amorem exarsit; pari quoque ardore correpta virgo, quam tanta venustate formeque prestantia ea tempestate prepolluisse memorant, ut alteram multi Venerem

cognominarent. Amoris estus perbrevi utrumque voti compotem fecit. Sed abeunte Romam imperatore, cum Euryalus amicam desere cogeretur, secundum digressum altera sexus imbecillitate parum constans pre amantis inopia expiravit, alter amicorum consilio et solacio aliquantis per instauratus, quamvis vitam distulit, nunquam tamen amplius ridere visus est. Cum Romam imperator venisset, ab Eugenio coronatur. Hinc prefectus per Flaminiam Ariminum, mox Ferrariam Mantuamque revisit, ubi, cum a Ioanne Francisco Gonzaga honorificentissime exciperetur, non modo ius dominatus imperatoria auctoritate illi confirmavit, sed Barbaram Brandenburgensis principis filiam ac sibi arta affinitate coniunctam Lodovico eius filio coniugavit; quibus quidem nuptiis haud parum domum illam honestavit. Demum icto cum Venetis federe Philippo infensus in Germaniam rediit secundumque redditum vix annos tris quattuorve vixit.

Referunt preterea principis magnificentiam superbissima eius edificia atque illa imprimis, que Bude statuit. Ante arcem sacellum erexit, quod divo Sigismundo dicavit, cuius quippe numini se peculiari religione fecerat obnoxium, idque amplissimo sacerdotum collegio donavit. Item edificavit in arce palatium multum Romane referens antiquitatis, muro arcem obduxit ambulacrisque amenissimis exornavit in specularie porticus speciem. In media fere arce turrim amplissimam fundavit ex quadrato veluti cetera omnia lapide, que ad duo subdialia pertinet, sed morte preventus initum opus non absolvit. Ex altera Danubii ripa in Pestana civitate, que e conspectu est, molem posuit in arcis obiecte speciem, ut hinc supra Danubium perpetuo ponte arcem utranque coniungeret. Verum mors invida tam superbi operis initium intercepit; quod si perficere potuisset, Traiani pontem, quem in superioris Mysie ripa quondam ille fecerat, procul dubio superasset. Nunquam opera spectabis, ut non ex illis animi magnitudinem plane metiri videare. Quid plura? Quanquam satis superque domi forisque is clarus est habitus, tamen, si equiorem sibi fortunam nactus esset, complura tam principem secula non vidissent.

Post fatum igitur Sigismundi legati, qui dudum destinati fuerant, in Bohemiam cum testamenti tabulis properant, ne quid ob eius obitum novitalis oriatur. Albertus et Elisabetha coniunx in Ungariam corpus deferunt unaque cum regio corpore imperatricem captivam abducunt miserabile humane miserie spectaculum. Cum Pisonium primo descenderent, e pagis et oppidis undique lugubres Ungari occurrabant, ulti miserabuntur et comploratu filie generique lacrimas augebant, quin et ingentem regine vincula commiserationem excitabant. Unicum omnibus solacium occurrebat novi regis electio, quem optimum futurum omnes augurabantur. Comitia regia sine ulla controversia et contentione futura sperabant, quando sat omnibus Alberti virtus explorata fuerat, sed, cum de Sigismundi pientissimi regis et de omnibus optime meriti funere cogitabant, in fletum decidebant. Nullum mestissimum exequiarum honorem

huic pro dignitate persolvi posse predicabant. Pisoniani corpus honorifice excepere, persolvere postero die iusta et patrem Ungarice gentis pientissimum publico funere complorarunt. Corpus deinde ³⁵⁷ Budam devectum atque, veluti vivens ipse legarat, Varadinum detulere, quando divi se Ladislai numini semper addixerat. Cum in- ³⁵⁸ genti populorum procerumque frequentia elatum funus et in Ladislai basilica ex testamento conditum. Mox, postquam conclamatum ³⁵⁹ est, Albertus cum uxore ceteraque nobilium turba ad regalia comitia festinarunt. De his hactenus.

Sigismundi temporibus multis Italia bellis estuavit imprimis- ³⁶⁰ que Cisalpina Gallia Philippi ducis Venetorumque discordiis, que ob imperandi cupiditatem redintegrare videbantur; in dies diurno bello laboravit aique multo longiore Neapolitanum regnum, cuius gratia Aragones Gallique tot annos acerrime decertarunt. Ioanna ³⁶¹ nanque Ladislai regis soror, postquam secundum fratris obitum liberis orbati hereditario iure regnum accepit, unum et viginti regnavit annos, in femineo sexu virilem illis temporibus animum pretulit, in tot bellis et calamitatibus patientiam magnam ostendit. Cum multi eam reges captare studerent, Alphonsus Taraconensis ³⁶² rex primus in eius se gratiam insinuavit, quod eo facilius imperavit, quando suum atavum adversus Carolum primum id sibi vendicasse audiverat. Hunc Ioanna filium adoptavit, at is mulieris ve- ³⁶³ ritus inconstantiam ex nonnullorum exemplo Neapolitanas arces mari expositas presidiis munivit, Serianum magnum, ut aiunt, senescalcum in vincla coniecit. Quod idcirco ab eo factum, ut varia ³⁶⁴ regine studia coercret. Ad extreum multo milite in Neapolitana arce circumvenit; multa ingratitudinis indicia hinc edidisse visus ³⁶⁵ est. Ioanna ingentem hominis ingratitudinem causata adiecta Martini summi pontificis auctoritate ius adoptionis abrogavit Alphonso Lodovicumque Andegavensem Sforcie suasu e Galliis accitum redoptavit. Quare Bractius Montanus cum Alphonso fedus init, Sfor- ³⁶⁶ cia Ioanne ductu auspiciisque Neapoli Aragones exegit. Post Lo- ³⁶⁷ dovici fatum Renatus Narbonensis Gallie princeps in eandem adoptionem assumptus est, qui variante diu fortuna cum Alphonso dimicavit, demum vi regno exactus illi cedere cogitur.

Sub eiusdem imperio Eugenius a populo Romano electus Ti- ³⁶⁸ berique delapsus Florentiam aufugit. Cum is princeps Basiliense ³⁶⁹ in se concilium moliri sentiret, quod a Martino fuerat indictum, accitus sepe non paruit, quo ex Hispania, Galliis, Germania et Pannoniis optimates multi plane convenerant; quare pontificatu synodi decreto abdicatus est et Amideus Sabaudie dux pontifex maximus declaratus. Eugenium perhibent indignatione percitum ³⁷⁰ composita inter Carolum Gallie regem ac ducem Burgundie pace Caroli filium cum ingenti equitatu in Basilienses concitasse, quo quidem bello synodus repente soluta est. Frequentissimum hic deinde ³⁷¹ concilium Florentie indixit, quo maximo sumtu e remotissimis partibus principes acciri iussit; huc ultro Ioannes Paleologus imperator ³⁷² Grecorum, item Constantinopolitanus patriarcha cum multa Grecie

nobilitate doctissimisque pontificibus et presbyteris convenere. Hos ³⁷³ Armeni, Ethiopes, Georgiani Iacobiteque ex Asia ac Libya secuti sunt. Hic orientalis occidentalisque ecclesie salubris est facta conventio.

LIBER IV.

Duas Sigismundo uxores fuisse diximus Mariam et Barbaram ; ¹ alteram Lodovici regis, Hermanni Celie comitis alteram filiam fuisse scripsimus. Exactis rite imperatoris exequiis Elisabetha, quam a ² Barbara ille tulerat, una cum Alberto viro ac cetera optimatum pontificumque manu ad comitia regalia Albam properarunt, ubi in frequentissimo Pannonum conventu omnium ordinum populorumque suffragiis summo consensu Kalendis Ianuariis rex et Elisabetha regina salutata est. Eodemque die ex auspicio uterque pro more co-³ronatus, quod quadringentesimo octavo supra millesimum factum est. Quare in Pannoniis Sigismundi manes, prout ipse legarat, voto ⁴ potiti sunt. Legati vero, qui in Bohemiam concessere, advocata contione testamentum publice recitarunt. Post, ubi omnes hinc ut-⁵rumque Alberto et Elisabethe regnum a patre iure legatum cognovere, subinde adiiciunt perquam iniquum ac summum esse nefas hos paterna hereditate privare, accedere et alia, que Sigismundi testamentum violare vetant. Imprimis Alberti maxima in Bohemos ⁶ merita, preterea probitatem ingenitam, viri iustitiam et cum opibus et nobilitate sapientiam, quo neminem hec tempora meliorem of-ferre posse asseverabant ; hunc vicinum beneficentissimum, clemen-⁷tissimum principem in Bohemos et Moravos fuisse repetunt. Com- memorant quoque Ioannis Caroli, Venceslai et ipsius denique Si- gismundi in Bohemos immortalia beneficia ; nil iniquius committi ⁸ posse, quando ad maximam orbitatem tantus sanguis redactus erat, quam Elisabetham unicas tot principum Augstormque reliquias paterna per impium facinus hereditate privare. Item interiicere inter ⁹ Bohemie reges Austrieque principes inviolatum extare fedus Au-gustali auctoritate munitum, ut, utra prius domus regali stirpe ma- sculove successore defecerit, ex altera regem accipere ex compacto cogatur ; successorem igitur ex Austria vocandum nec eo potiorem ¹⁰ alterum optari posse, quippe qui et suo et uxorius iure et divi Si-gismundi iudicio est omnibus anteferendus. Ungarorum sententias ¹¹ imitari oportere, utpote qui tam cupide hunc et iuxta atque e celo datum acceperunt. Bohemi tandem his rationibus victi Albertum secundo Nonas Maias regem crearunt. Ii tantum proceres interces-¹² sere, qui, cum una cum Barbara conspirassent, haud alia condi-cione sua suffragia Alberto Elisabetheque daturos fatebantur, quam nisi prius postulata quedam impetrassent. Eorum ergo nomine Alscio ¹³ Sterembergius ad Albertum venit, postulata nanque omnia irrita fuere ; Albertus preferquam ea, que socer indulserat, nihil affirma-vit. Interim Barbara, que a custodibus inter Ungaros asservabatur, ¹⁴ cum castella quedam munitissima, que in Ungaria retinebat, novo regi tradidisset, libertatem sibi comparavit ; duodecies mille aureus

quotannis ei, quoad viveret, ex fisco constituitur. De Bohemicis ¹⁵ rebus hactenus. Nunc autem ad Pannonicas redeundum est et, quid coronato rite Alberto novitatis Bude obtigerit, enarrelur.

Secundum Alberti coronationem seva Bude seditio suscitatur; ¹⁶ nam, cum civitas ex Ungarica Alemanicaque gente constaret, ob morum dissimilitudinem contrariaque studia gravibus inter se factionibus laborabat. Hinc inter eos antiqua condicio fuit, ut uno ex ¹⁷ Alemania, ex Ungaria pretorem urbanum altero anno crearent, quem iudicem appellant; rata ac firma inter eos fuit ista consuetudo, que sacre sanctionis loco habebatur. Alemani, quando arte, urbanitate, ¹⁸ opibus et calliditate plus poterant, sepe infensam sibi gentem pretura privare studuerant, variis sepe iniuriis contumeliisque adversarios affecerant, sed illi dissimulatis odiis patientia quadam eorum invidiam declinarant; reformidaran quoque ipsi Ungarorum vires et, quid in alieno regno molirentur, diligentius pensitarant. Nunc ¹⁹ autem oblata patrandi facinoris occasione, siquidem Alemanum se regem nactos esse cernebant, haud ultra cunctandum esse rati abrogande gentis consilia ineunt. Erat in urbe civis Ungarorum principes, qui Ioannes Euthveus dictus est, vir profecto gravissimus, multi consilii compos atque his admodum formidolosus, quandoquidem Alemanorum probra molestius quam ceteri ferre solebat. Is ²⁰ unus erat, qui nec in senatu nec publice privatimve sue nationis dignitatem quoquo modo ledi patiebatur, unde universam in se Alemanorum invidiam plane conflaverat. Contra ii hunc unum in ²² republica patronum habere putabant, qui libere ubique loqueretur. Ioannem igitur sub pretestu criminis illi ceperunt, in suis edibus ²³ in vincla coniecere, mox in abditis penetralibus variis cruciatibus afficere occipere, quibus tandem enecum culeoque insutum alligato gutturi lapide in Danubium clam demerserunt. Octo circiter dies ²⁴ facinus tale delituit, mox cadaver emersit ac ripis ab undis expostum clandestinum scelus indicavit; cum plurima vulnera et stigmata circumferret, id ab Alemanis vulgus factum esse repente coniecit, cum his olim infensum nimis esse cognoverit. Eo tempore ²⁵ novi regis gratia multum nobilitatis Ungarice Budam forte confluverat, deprehenso facinore tumultus in urbe ab Ungaris excitatur atque ingens mox oborta seditio. Alemani facinoris huiuscse sese ²⁶ in proprias quisque edes receperunt, pessulis id obicibusque abundunt, armis instruunt obfirmanque presidiis, quando in se arma capi sentiunt. Mox in eos vulgo fit concursus, suspectas primum ²⁷ edes expugnant negotiatorum opibus mirifice completas, trucidant homines, quos offendunt, nec etati nec sexui parcunt. In ceteros deinde impetum faciunt ac pari usquequaque crudelitate grassantur. Adaucta vulgi licentia in alios externos et in Italos vel maxime ²⁸ negotiatores prede cupiditate fit impetus. Pre furore efferatissime gentis urbs universa passim cedibus et clamore completur. Erat ea ²⁹ tempestate Bude Iacobus vir sanctissimus ex agro Asculano natus, qui propagandi divi Francisci ordinis gratia ex Italia in Pannorias cum Ioanne Capistrano pari sanctitate predito paulo ante ve-

nerat. Miseratus barbare gentis immanitatem audita seditione sumpto 30 salvatoris nostri patibulo cum universo sacerdotum collegio e Ioannis ede prodiit nunc misericordiam exclamans, nunc Iesu Christi opem ingeminans, nunc armatos per Christi passionem obtestans, arma deponant, Christiano et civili parcant sanguini, divinam iram reformident; quin etiam flexis sepe genibus obsecrans, ne ultra se- 31 viant, iniurias omnes presenti animo deo vendicandas remittant. Contra illi, veluti si deum in subsidium advenisse reputassent, eo 32 crudelius seviant, neminem ex illis deprehendunt, quin exemplo trucident, eorum furtunas, merces et bona cuncta diripiunt, item in publicum tracta plebi diripienda preponunt. Iacobus autem, cum 33 in vesaniente turba se nec verbis nec divini salvatoris imagine quicquam proficere posse conspicaretur, in edem Ioannis, unde dudum exierat, se recepit. Ungari longa Alemanorum cede satiati tandem desiere. De his hactenus.

Albertus igitur utroque regno potitus uno eodemque tempore 34 et rex et imperator Romanorum creatus est, e sententia supremis honoribus et Augustali dignitate sine controversia fungitur, uno anno par socero factus parem quoque gloriam assequi studet. Bohemica imprimis obtigit expeditio. Prasco nanque audit a Alberti voluntate, 35 quemadmodum ab Alscione certior factus erat, primores sue factionis acciri iubet eaque Husitica magna ex parte fuerat; coacta factione de alio rege creando decernit, demum Casimirum Polonie regis germanum annos tantum tresdecim natum regem declarat; oratores subinde mittit, qui auxilia postulent, quibus destinalum illi regnum tueantur. Interea principes, qui imperatoris eligendi po- 36 testatem habent, apud Francofordiam rem Romanam Alberto com- mandant. At ille rei Romane publice summam Ungarorum proce- rum iniussu accipere haudquaquam ausus, veluti a regni initio illis promiserat, eorum animos prius consuluit. Rogali vero illi Si- 37 gismundi imperatoris exemplo id dissuadere ceperunt, quippe qui, dum Italiam, Germaniam variaque loca Christiane reipublice gratia lustrare cogebatur, diripiendam Turcis Ungariam deseruit; ad ex- 38 tremum, cum multa ultro citroque disputata fuissent, omnium con- sensu, ne tanto Albertum honore defraudarent, accipiendi Romani imperii potestatem faciunt, quod quidem summa Germanorum om- 39 nium congratulatione est ab illo susceptum. Tunc etiam legati Bo- hemice gentis nomine ad Polonie regem profecti sunt, quorum alter Ioannes Rabensteynus, Henricus Platius alter dictus est; ii re- 40 gem orarunt, ne fratrem Bohemie regnum interturbare patiatur, quod nullo iure assequi potest, quando Albertus et procerum po- pulorumque suffragiis et Sigismundi testamento rex esset; iubent veteris amicitie esse memorem; demum, si preter fas et equum ali- 41 enum fratri regnum comparare contendat, admonent, ne ita aliena occupare perget, ut pro suis dimicare cogatur; Alberio Bohemisque omnibus, ut sua retineat tueaturque, neque vires neque animum deesse; paucorum levitatem audaciamque contemnat; horitantur, quanta dignitatis ac virium paucis diebus Alberto facta sit accessio;

secum reputet, si quid ausit, id non in Bohemos modo, verum ⁴² etiam in Germanos, Ungaros et Alemanos ac in universam denique Christianam rempublicam omnes fieri reputaturos. Polonus ad hec ⁴³ mutuam sibi cum Bohemis amicitiam intercessisse ingenue se fateri neque alium, quam antea fuerit, sibi esse animum, veterem benivolentiam a maioribus institutam se omni studio et officio servaturum; se tamen fratrem a potioribus optimatibus delectum regni ⁴⁴ iure nunquam privatum neque intercessurum unquam, quin traditam sibi potestatem assequatur; immo se Bohemos admonere, cognate gentis regem habeant; Bohemis et Polonis idem fuisse genus, quod lingue similitudo testatur; si peregrinum regem admirerint, non in rem suam fore, quocum semper interprete opus est; et, quos neque lingua neque morum similitudo conciliarit, nullam ⁴⁵ cum his concordiam caritatemque intercessuram; Teutonum et Sarmatarum mores ac studia usque adeo diversa esse, ut in hanc usque tempestatem inter se congruere nequiverint; se regno suo minime timere neque externas reformidare vires, proinde impensius horlari et monere, ne qua deinde penitentia corripiantur, ut fratrem recipere quam ab eo recipi malint. Cum hec dixisset, preciosissimox ⁴⁶ omnes pellibus magnifice donatos dimisit. Contra vero adverse factionis oratoribus se propediem copias missuram esse respondit.

Iglaviam interea contendit Albertus, ubi Ulricus Rosensis, Maynardus compluresque optimates ardentis desiderio novum regem expectabant. Prasco per internuncios precatur Albertum, ne invita factione sua regnum adeat, sua prius suffragia petantur, quibus per contemptum omissis nullum se regem in Bohemia passurum plane fatetur. Contra Albertus eum iure regem haberi oportere, quem maior pars Bohemie elegisset; ad hec vehementer orare, se benignissimum omnibus futurum admittat, quietem regni interturbare caveat, e superioribus malis, quibus diu Bohemia laboravit, consilium sumat, pacem quam bellum malit; si quietem ac otium sue gentis optarit, nihil unquam ab ipso frustra petiturum; a novarum rerum mole animum revocet, tutiora consilia subeat; quod si contra perrexerit, presentaneam penitentiam incessuram hominem tandem affirmat. Motis hinc castris Albertus Cuthnam, quam sine presidio Prasco ⁵² reliquerat, vi capit. Mox Pragam caput gentis iter intendit; frequissimus hinc populus congratulatum occurrit, regem Augustumque salutat. Qui Prasconis partes sectabantur, conventum iterum haberi postulant; reiecta istorum postulatione tertio Kalendas Iulias Prage rite coronatur. Cum Prasco se nihil intercessione sua proficere ⁵⁴ posse intellexisset, armis iam agendum esse ratu Coloniam nonnullasque socias civitates presidiis munitionibusque firmat; duo equitum milia e Polonis accepit. Postquam se iam aliud audere posse ⁵⁵ intelligit, eos primo gravi bello sollicitat, qui Albertum admisere; horum agros populatur et vastat. Tanto expeditionem hanc animo adoritur, ut nobiles, quoscunque a principio cepерit, omnis cum iuramento dimiserit, ut ad commeatus diem redirent, diem autem commeatus prefinivit, cum eius ad Pragam castra esse senserint. Nihilo ⁵⁷

secius Albertus omnia prospicit curatque, que bello sunt usui ; milites inauctorat, delectum habet, a Pannoniis Austriaque copias evocat. Cum brevi exercitu, qui in eo tumultu ac temporis angustia cogi potuit, ante auxiliorum adventum Polonis obviam prodit, facit pugnandi copiam, quam illi continuo declinavere, quin etiam per Cuthne montes ac Sobeslaviam ad Taboritas hereticorum asylum confugere, locavere castra pro menibus et ante urbem Albertum expectare decernunt rati, si quid in bello preter opinionem acciderit, in amicam civitatem haud secus atque in propriam arcem se repente confugituros. Rex interea per Benescaviam cum exercitu iter facit, ut, quam ocissime posset, hostes conveniret. Oraatores premittit, qui eos admonerent, ut populationibus et incendiis abstinerent, agris, hominibus pecoribusque parcerent ; cum de Bohemie possessione inter se et Casimirum nunc agatur, rem prelio, non provincie vastatione dirimendam, cultam potius quam desertam esse utrique habendam ; si nullum populis detrimentum inferatur, haud inutile utrique futuram ; gentis innocentiam nulla sevitia esse ledendam. Respondere Poloni iam pugnandi potestatem ab eo tantum opere anhelatam, cum advenerit, non defuturam neque se latere humani sanguinis avidos diis immortalibus parum caros fore ; Sar- matice non esse gentis detrectare prelum, ad quod se natam non infinitiatur. Hoc nuncio exhilaratus Albertus casira movet et quadrato agmine postero die in conspectum Polonorum advenit ; circiter mille passibus procul ab hoste metatur. Tumultuaria, non statoria diebus singulis pugna conseritur, extrema tamen Poloni tentare non audent, verba tantum gloriosa faciunt. Ad hec regis castra corrogatis undique auxiliis complentur, nam Christophorus Bavarie princeps advenerat, qui Danie mox regno potitus est, item Fredericus Saxonie et Albertus Brandenburgensis regulus advenerat. Triginta milia hominum in Alberti castris fuisse memorant, in Poloni vero quattuordecim, qui, cum se proxime Taboritarum menibus admovisset, instructa acie in certamen descendere non audebat. Albertus negata certandi copia grandem machinam in hostium castra intendi iubet, qua tanta cedcs facta, ut vix credi possit. Nunquam intendebatur, quin circiter octoginta disperderet ; diffingere passim hominum capita, modo humeros et femora frustillatim disiicere et cuncta cruento fedare ; miserabile profecto spectaculum. Poloni hoc tormenti genere perculti se intra menia recepero. Georgius interea Pogebraccius, qui Prasconi adheserat, Tabor cum optimo equitatu dum facit iter, in equitum Alberti turmam incidit, qua cum extremis viribus dimicare coactus Victoria potitur et hinc primum sibi nomen comparavit. Rex autem, cum Taboritas nulla vi nisi fame expugnari posse conspicaretur, ne frustra ibi tempus terere videretur, obsidionem solvit ; ipse Pragam concessit. Fredericus, cum in Saxoniam redire contendit, in insidias hostium incidit, sed nequaquam in tanta trepidatione animo consternatus instructa dicto celerius acie cum hoste confligit multisque cesis et fusis fugatisque ceteris, cum maximo quoque captivorum numero se cum suis in-

columem in patriam recepit. Poloni absumptis pecuniis amissis 72 equis turpiter in Poloniam redire coacti sunt. Ad hec, cum rex Polonie nondum suorum fortunam accepisset, cum dupli exercitu Sclesiam dudum, ut in Bohemiam properaret, intraverat, sed auditu suorum fuga vastato agro pedem retro tulit. Albertus, ut Poloni 73 audaciam ulcisceretur, haud cunctandum esse ratus Ulricum Celic comitem Bohemie regno prefecit, ipse continuatis itineribus per Sclesiam Gorlicum venit, que Bradislaviensium urbs est opibus et nobilitate potens et Sclesitarum caput. Cum Bradislavienses 74 belli ducem peterent, Albertum Brandenburgensem principem dedit, qui longe lateque coloniam incursaret, predas abigeret et cumulatas a Polono penas exigeret. Verum non multi intercessere dies, quod 75 de concordia agi ceptum est, quandoquidem Basiliense concilium misso legato intercessit, quem Rudericum Burgensem episcopum fuisse perhibent Hispana gente natum, virum probitate magna et summa integritate auctoritateque peditum. Hic Albertum prius 76 convenit, apud quem presentibus utriusque partis oratoribus, cum de concordia ageret nec eam confidere posset, delegata sibi causa inducias fecit. Cum apud Wratislaum Polonie regem deinde con- 77 ventus esset indictus, Albertus, dum eo iter facit, e gradu forte prolabitur. Quare haud parum Iesus aliquamdiu loco moveri non po- 78 tut, claudus hinc factus per Moraviam transiens in Austriam infecta pace rediit; ex auspicio se ad percutiendum fedus produisse ratus Poloni amicitiam parvi fecit.

Ulrici preterea comitis iniquitas intercessit, quem Bohemie regno 79 prefecrerat, ex quo intelligi potest, de committenda cuiquam regni prefectura quam diligenter prospiciendum sit. Ulricus imperandi 80 cupidus tantique regni gubernationem adeptus clam primo cum optimatibus de vendicando sibi regno agere cepit, variis in dies artibus ad captanda virorum studia utebatur. Quecunque iste moli- 81 retur, amicorum litteris admonetur Albertus; vir prudens materiam, qua procerum animos ille sibi conciliabat, subducendam illico cen- suit, quare statuta stipendia illico subtraxit. Ille se hinc veluti 82 exauktoratum intelligens magistratum ultro dimisit e provinciaque decessit. Maynardus Ulricusque Rosensis iussu regis huic surrogati.

Dum hec ita geruntur, auditio Sigismundi obitu magnam hinc 83 Turci audaciam sane conceperant; videbant enim in Rascia, quam superiorem Mysiam veteres appellabant, suum imperium facile pro- pagari posse. Despotes Georgius provincie regulus, cum fere gen- 84 tis viribus obstarre non posset, traecto Savo Danubioque in Un- gariam emigravit. Eum ceteri nobiles sacerdolesque secuti; unus 85 dumtaxat filius in Mysia relictus est, qui Synderoviam in ripa Da- nubii sitam et a Turcis obsessam propugnaret. Cum Ungari iam in- 86 ferioris Pannonie fines Turcum attigisse novissent et solo ab hoste Savo dirimi, ad regem nuncios crebro mittunt, qui ad protegendum regnum copias mittat; imminens fede gentis periculum significant, multis precibus properare cogunt. Albertus nuncii importunitate fe- 87 stinare iussus, ne obsessos socios perire pateretur, quacunque potest,

celeritate continuatis itineribus in Ungariam contendit. Cum Budam ⁸⁸ venisset, de Georgii Palocii metropolite Strigoniensis obitu statim significatum est, cuius quidem viri summa auctoritate prediti fatum egre tulit; in Strigoniensi nanque is arce coronam sibi cum regia supellectili creditam asservabat. Eo una cum regina rex properat ⁸⁹ arcemque uxori dedit; illa cum prefectis erarii thesaurum totum re-cognoscit, coronam inter recognoscendum clam subreptam anicule tradit. Postquam cetera rite recensuit obsignavitque, Albertum se-cutu Budam rediit. Cum belli metus et tumultus instaret, sine au-xiliis adversus Amratem Turcorum regem castra movit eaque in-⁹⁰ ter Tibiscum et Danubium collocavit. Dum accita expectantur au-xilia, Synderoviam, quam Turci obsederant, dies ac noctes graviter oppugnant atque eo impensius expugnare contendunt, quo propius hostem cum subsidiis appropinquare sentiunt, neque parcunt ma-chinis neque extremis periculis abstinent. Neque spes neque dili-gentia frustratur eos; nam, antequam Albertus illinc castra movisset, illi vi castellum capiunt, quod, cum a sancto Andrea nomen ac-cepit, barbari Synderoviam vocant. Potiti oppido pro more se-⁹³ viunt, Stephanum despotis filium capiunt oculosque exerunt, so-rorem eius principi suo matrimonii loco coniugant. Item Grego-⁹⁴ rum Stephani fratrem pariter excecant. Lazarus vero, qui tertius ex his erat, cum patre Georgio in Ungariam evaserat. Oppidanos cum presidio ad unum omnes intericiunt. Multi, ut mitiore sevita ute-retur, hoc a Turco commentum excogitatum fuisse referunt candens aeneum oculis obieceris, ut infesto calore exiccati aciem visus amit-terent et luce capti speciem retinerent. Initia cum Turco affinitas for-tissimo iuveni nil commiserationis adiecit, quandoquidem apud Turcos pro facultatibus plures uxores ducere tas est et diversus in plures amor, veluti fluvius facile extenuatur, quare tantum apud eos contemptum multitudo parit uxorum, ut pro ancillis potius quam vite comitibus ac sociis habeantur. Synderoviam Augusto ⁹⁷ mense captam perhibent. Ad hoc triste nuncium Albertus et Panno-nia animo consternantur. Iam fines Ungarie Turcum propagato plus ⁹⁸ opinione imperio attigisse vident, immo pro foribus immitissimum prepotentemque hostem conspicantur.

Sed, cum post captum oppidum dimisso tantum presidio Tur-cos hinc abiisse sensissent, ipse quoque rex oborta in exercitu se-ditione, qui pre nimio estu ventris profluvio misere absumebatur, castra solvere coactus Budam revertitur. Ob ingentem estum, quem ¹⁰⁰ in ea expeditione subiverat, in profluvium alvi perniciosamque dys-enteriam concidit. Morbi causam peponum arguunt fuisse edaci-tatem, nam, dum precordia cum gule oblectamento refrigerare con-tendit, sue vite tetendit insidias. Quamobrem, cum alvus sisti non ¹⁰¹ posset, provisa morte, ut in patria regione moreretur, Viennam ver-sus iter cepit; venit Strigonium, ubi pre languore aliquantis per im-moratus est, sed, cum Strigonio profectus in vicum pervenisset, qui Nesmel dictus est, ingravescente morbo testamentum condidit et sexto Kalendas Novembres ibi vita decessit. Nonnulli in Simonis ¹⁰²

et Iude sollemnibus expirasse tradunt. Duos in regno ~~anno~~¹⁰¹ vol. au-
dere non licuit, siquidem annum unum, menses novem ac dies
duodetriginta regnavit. Obiit autem salutis anno quadringentesimo ¹⁰³
trigesimo nono supra millesimum. Elisabetha defuncto rege cum fre-
quentissima pontificum procerumque turba corpus ad Albam rega-
lem refert, honestissimis id exequiis exornat. Tres ibi nationes ¹⁰⁴
consimili dolore ac planctu pientissimum regem deplorare cernere
erat; hinc Norici, hinc Bohemi ac Ungari certatim omnes regis op-
timi laudes profuso luctu referebant. Funus singulari pompa ela-¹⁰⁵
tum, corpus inter monumenta regum ex more Ungari principes re-
condidere. Fuit Albertus statura corporis aliquanto supra medio-
crem, mira fortitudine ac liberalitate insignis; preter eximias viri
laudes intentissimum religionis studium pietatisque culturam predi-
cant. Item colore subnigro, venerando aspectu, preterea mitissi- ¹⁰⁶
mus et in suos omnis nimium exorabilis fuisse dicitur. Beatum ¹⁰⁷
igitur imperium Romanum cum Ungaris et Bohemis omnes fore iu-
dicassent, si Alberti diutius auspiciis gubernari potuisset.

Amrates autem auditio regis obitu elatus superiorem Mysiam ¹⁰⁸
populatur, maximam eius partem occupat; mox in Thessalonicens-
ses castra movit non ignarus, si antiqua opulentaque urbe potiri
posset, haud difficulter ceteras Grecie oras in dicionem suam redac-
turum. In huius civitatis obsidionem vires omnis effudit; quicquid ¹⁰⁹
terra moliri potuit, huc coegit. Capta vi tandem Thessalonice in Eto-
liam et Epirum castra mota, quas quidem provincias crebris incurs-
sionibus tot spoliis et rapinis affecit, ut provinciales aut barbaro
parere aut solo patrio emigrare cogerentur. Exacti hinc populi tra-¹¹⁰
iecto Adriatico mari universam Italie oram, que e conspectu est,
his temporibus inundarunt atque multas maritime regionis urbes,
que aut celi iniuritate aut longo senio effete fuerant, adventu suo
instaurarunt. Quare tempestate hac res Turcorum laborante inte- ¹¹¹
stina discordia tunc Pannonia nimis aduerte sunt.

Postquam Albertum vita defunctum fama percrebuit, Bohemi, ¹¹²
qui in duas partes divisi fuerant et intestinis factionibus graviter
fluctuabant, Pragam omnes confluxere; de redintegranda imprimis
republica aliquamdiu disceptatum. Quod ubi factum est, ad Kalen- ¹¹³
das Maias regalia comitia indicuntur. Extincto vere religionis auc-
tore hereticorum, que haud parum depressa fuerat, iterum exarsit
audacia; Rochezana, qui ad Grecium relegatus fuerat, Pragam extem- ¹¹⁴
plo rediit, ubi relaxatis ex morte regis habenis nihilo minus solito
in profanam effusus insaniam in contione quaque in Romanam ec-
clesiam, in pontificem maximum, in apostolicum senatum, in pa-
triarchas et metropolitas, in ceteros ordines sacraque collegia im-
pudentissime imprecatur apud omnes exclamans mystica sacra
multis piaculis fuisse polluta, apud Bohemos tantum vere religionis
initia immaculata permansisse. Infandum pertinacia sua piaculum ¹¹⁵
auget; pretiosissimum Christi sanguinem infantibus dementibusque
propinat. Adversantes domo sacerdotes explodit; in sacro loco se- ¹¹⁶
pulturam omnibus interdicit, qui sub panis vinique specie mysticam

commissariem detrectarint; execrabilem animorum pestem instaurat et sedatum illorum interitum redintegrat. De Bohemis, quid post regis obitum novitatis ediderint, ostendimus, nunc, quid in Hungaria acciderit, brevissime referendum.

Elisabetha secundum regis interitum grava iam relicta, post-¹¹⁷ quam in regiam relata est, lugubrem vitam dicit reputans secum non minoribus quam Elisabetha et Maria quondam laboribus se amissos viro laboraturam; a fortuna patris Bohemorum discordias et fraudes Ungarorum probe didicerat. Illud succurrebat imprimis se ac¹¹⁸ infantem, quem adhuc in utero ferebat, nil profecto aliud quam fortune spectaculum futurum; a viri morte, ab immatura viduitate, a presente orbitate infaustissima queque hariolatur, se destitutam et infelicem infantem etiam utcunque editum multo infeliciorem ausplicatur. Item feminei presertim sexus pensitat imbecillitatem.¹¹⁹ Regni consortem, ut tutius res agatur, non aspernit; nihil quoque succurrit antiquius, quam fortune se aliqua ex parte temeritati subtrahere, in tutioris vite condicionem asserere, si honeste liceret. Nil quandoque magis optare, quam huiuscemodi ludi missione donari. Dum consternato sic animo regina vexatur, accersi primores imperat¹²⁰ vel eos maxime, quos regni charitate, prudentia et pietate haud pa- rum valere diu noverat. Prestanti procerum fecunditate tunc polle-¹²¹ bat Hungaria, ne minore quidem pontificum turba florebat. Cum fre-quentes ad reginam optimates convenient, hec imprimis verba fecit:

Cum optimum dudum regem immo patrem pientissimum ami-¹²² serimus, de futuro principe decernendum est, patres, ne sine capite ac moderatore perditum cuncti principes eamus, immo, ut officium dignitasque postulat, publice saluti consulamus, et, cum extinto potiore lumine vos ad tenebras redacti non secus atque ad lunam homines nunc oculos universi in me convertitis, fatebor equidem ingenue nullam vobis ex me lucem oriri posse. Quan-¹²³ quam me iure heredem regni Sigismundi filiam, Alberti regis uxori et reginam auctoritate vestra diu approbatam esse non infitior, tantarum tamen rerum me impotem esse libere fateor, ne tantum mihi arrogare videar, ut supra vim etatis et sexus tante molis imperium ausim moderari. Me non parum Marie ac Elisabethe de-¹²⁴ terret audacia, ne me quidem Pannonica latent ingenia Bohemicæque secte. Proinde mei sexus et ingenii vires emensa salutarem tan-¹²⁵ tarum rerum moderatricem me esse non posse confiteor. Si pro-¹²⁶ lem, quam edidero, expectare volueritis, longa quidem et formi- dolosa hec erit expectatio; quin et vereor, ne femellam potius quam marem edam. Quare reipublice vestre consultite, optandi vobis in-¹²⁷ terregis gubernatorisive facio potestatem. Eum disquirite, qui multo femina melius huiusc regni temperet habenas. Et, cum hinc, sa-¹²⁸ lutem vestram quanti faciam, intelligere facile possitis, Elisabethe ac future prolis, quecumque fuerit, in tempore memores estote, hinc meum in vos omnis amorem pensitate. Neque tamen, patres, ex eo,¹²⁹ quod hoc vobis liberum esse facio, regno cedo iurave resigno hereditatique renuncio, immo vos per deos, per Sigismundum, per

Alberti nuper erepti pietatem oro et obtistor, ne me regni vel mei iuris expertem esse iubeatis neque, si faustum divina benignitas prolem dederit ac veluti e celo ad vos demiserit successorem, hereditario, queso, iam regno defraudetis. Servate igitur per deum ho-¹³⁰ minumque fidem sempiterna memoria parentis beneficia et, qua fide illa tueri debeatis, vobiscum assiduo reputate. Cavete, per in-¹³¹ gratitudinem aliqua in eius manes piacula committatis, in que multo severius quam in reliqua a deo animadverti solet.

Mox in lacrimas effusa conticuit. Ex hac regine oratione multa et¹³² diurna mala promanarunt, nam, cum usurpata potestate optimates ad eligendum regem animum advertissent, maximum hinc incendium exarsit, hinc Polonis Ungarisque bellum emersit. Quare ex¹³³ composito regalia sunt indicta comitia, que, postquam haberi cepta sunt, Wladislauum Casimiri fratrem et Polonie regem adhuc iuvenem suum principem extemplo nominant. Que quidem properea declaratio plus temeritalis quam prudentie retulisse visa est; multo nanque tutius ad interregnum res tunc redigi potuisset, quam longarum semina discordiarum serere. Gubernatorem interregis loco¹³⁵ creare licuisset, declinassent huiusce belli pericula, que comitiis qui-¹³⁶busque regalibus redintegrascunt. Rex his condicionibus electus¹³⁷ est, ut reginam uxorem ducat et, cum ex Alberto grava foret, postumo Austria Bohemiaque cedat, futuris Wladislai e regina liberi Polonie Ungarieque ius sit. Declarato rege legati designantur, qui regem e Sarmatis evocent. Quatuor hos fuisse memorant¹³⁸ Tininiensem imprimis episcopum, Mathicum Ragusinum Dalmatie prefectum, Emericum Marchalium vaivode filium Ladislaumque Palocium, qui quidem omnes auctoritate ac opibus admodum illa tempestate pollebant. Wladislaum Ungari haud inviti idcirco regem¹³⁹ declararunt, quia vicinitate, probitate, iustitia, religione ac magnis denique viribus prestare senserant. Sed, cum prepropera festinatio magna ex parte penitentiam continuo pariat, vix fere legati Gracoviam advenerant, cum repentinis subinde nunciis, qui scitum et elegantem a regina puerum natum esse significabant, pedem referre iubentur. Abrogatur his legatio et potestas omnis adimitur. Illis rei¹⁴⁰ novitate commotis, quid potius agerent, haud facile succurrebat. Quare advenerint, passim rumor effuderat. Wladislaus maximo, ut¹⁴¹ par erat, honore ac plausu hos exceperat, in senatum longo itinere defatigatos nondum admiserat et, quamvis adhuc illi mandata non exposuissent, ea tamen omnes e rumore noverant. Cum diversi tra-¹⁴²herentur, mandata tandem, ne turpiter abirent, exequi invita regina et magna reipublice parte decrevere. Aderant eodem tempore Gracovie Turcorum legati, qui vivente adhuc Alberto e Thracia profecti in itinere mortem eius audiverant. Hi Amratis nomine pecunias et exercitum Wladislao deferebant ad gerendum adversus Albertum in Bohemia bellum, que mortuo Sigismundo in duas factiones partita graviter estuabat et altera Casimiro regnum detulerat, altera uxoris iure Albertum retinere studebat. Hac demum condi-¹⁴⁴cione sanciendum fedus postulabant, ut Casimiro Bohemia potito

Wladislaus ab Ungarorum fide et societate abstineret. De utrisque ¹⁴⁶ legatis ad senatum uno tempore relatum est. Turcis responsum est Alberti morte eorum legationem esse irritam; cum Wladislaus erit in Ungaria, tunc de ineundo federe agendum.

In senatum igitur Pannones acciti in frequentissima procerum ¹⁴⁷ turba, cum rite mandata retulissent, non sine ingenti plausu a cunctis senatoribus exauditi sunt. Quanquam multi sententias dixissent et ¹⁴⁸ tanti principis absentiam egre ferrent, nemo tamen eum tanti regni gloria defraudandum esse censuit et hanc Casimiri virtute iacturam resarciri sperabant. Wladislaus tandem senatus consulto non sine ¹⁴⁹ aliqua Polonorum molestia delatum Pannonie regnum accepit; fedus quoque inter Sarmatam et Pannonem eternum percutitur. Comparatur mox exercitus, qui Wladislaum in Ungariam comitetur. Legati una cum rege novo Budam continuatis itineribus properarunt. Wladislaus Ungariam ingressus rex per vicos et oppida passim sa- ¹⁵¹ lutatur. Honestissimus Polonorum procerum comitatus eo tempore sequebatur; imprimis Andreas et Ioannes Taucinenses et Dobrogostius Sandivogiusque Ostrorogii, item duo Ioannes Tarnini ac Vincentius et Scidova Sciamatulei, insuper Lucas Goricensis, Nicolaus Lassovianus, Gregorius Sanoceus, qui annos quinque ac viginti Leopoli prefuit, et Lesco Bobricius arte bellica exercitatissimus. Sophiam vero matrem fratremque Casimirum secum biduo profici- ¹⁵² scentes rex dimisit. Primores Pannonie auditio eius adventu salutatum occurrere. Magnus ubique honor exhibitus. Eo tempore Si- ¹⁵³ mon Rosgoinus Agriensis episcopus, cum Aperiascium negligenter custodiri accepisset, noctu per occasionem oppidum intercepit Polonis infestissimum impositoque presidio mox regi obviam Chесmarcum venit, ad capessendum regnum animum eius incendit assumptisque secum Andrea Taucinensi, Vincentio Sciamatuleio et Lescone Bobricio Budam, quam Fredericus comes Celie preoccupare contendebat, continuo properavit regique aditum patefecit. Lau- ¹⁵⁴ rentius Hedervara, qui eo anno palatinatum gerebat et ex more interregis potestatem habebat, adventanti regi Budensem arcem ultro patefecit ac in regia sede collocavit.

Quando Wladislaum regem e Polonia Pannones evocatum in ¹⁵⁵ regno constituerunt, quadragesimus tunc et quadragesimus supra millesimum salutis annus agebatur et festa Pentecostes instabant. Elisabetha vero, cum Ungaros potestate, quam tradiderat, abusos ¹⁵⁶ esse conspicaretur filiumque genuisset elegantissimum, concesse potestatis penitentia exemplo corripitur. Merorem cum amicis et luc- ¹⁵⁷ tum instaurat, quando infanti, quem genuerat, imperium sua culpa ac stolida quadam indulgentia abrogatum iri considerat. Condicio- ¹⁵⁸ nes pactumque cum Wladislae coniugium rescindit; novum regem pati non potest et legatos, qui redire iussi pertinaciter mandata peregerant, in ceterorum procerum invidiam adducit, nonnullos, qui prius redierant, in carcerem coniecit. Quare duplex in regno facio ¹⁵⁹ suscitur; multi Polono, pars maxima pupillo Ladislae favet, quandoquidem regis imperatorisque Romani filium hereditario regno de-

fraudari neque fas neque iustum fore videbatur. Accedebat etatis ¹⁶⁰
 orbitatisque commiseratio, que complurium pontificum regulorum-
 que animos postumo conciliarat neque adhuc Sigismundi gesta
 beneficiaque multa principum sane mentibus exciderant. Quare ii ¹⁶¹
 cum regina coronandi extemplo pueri consilium ineunt, Albam ex
 composito cum universa factione contendunt. Quo ubi perventum ¹⁶²
 est, in Stephani basilica inter operandum in frequentissimo con-
 ventu Dionysius Seech metropolita Strigoniensis et cardinea digni-
 tate peditus pupillum in gremio matris vagientem ac nondum
 quartum mensem natum rite coronavit. Lacrimarum profluvium Eli- ¹⁶³
 sabetha inter coronandum spectante populo continere non potuit,
 quando plus laboris et discriminis quam otii ac felicitatis insignia
 illa pueri allatura esse contemplabatur, quin etiam ex vagitibus
 infants infausta quedam ausplicari videbatur. Reginam quoque cum ¹⁶⁴
 filio collacrimantem non sine fletu singultuque pontifices ac ceteri
 spectatores intueri poterant. Coronationi Ladislai regis hi antistites ¹⁶⁵
 ac proceres imprimis affuere: Mathias Vesprimiensis et Benedictus
 Iauriensis antistes, Ulricus Celie comes, Nicolaus Uilach, Ladis-
 laus Gara, Andreas Bothos, preterea Ladislaus et Emericus Ioannis
 Chanisii vaivode filii, item Thomas Seech et frequentissimus no-
 bilitatis ordo. Ulricus Celie comes Elisabethe avunculus regine pro- ¹⁶⁶
 ximus affuit ei, cum rex se regni libertatem, leges, sanctiones et
 plebiscita omnia populorum nunquam violaturum iurare debeat, is
 pro Ladislae rege iuravit. Contra vero supra coronatum pupilli ca- ¹⁶⁷
 put post, ubi regalibus sacris a Dionysio pontifice initiatus est,
 omnis antistites ac proceres cum universa nobilitate perpetuam illi
 fidem obsequiumque prestituros esse iurarunt. Peracta coronati- ¹⁶⁸
 onis celebritate solutoque conventu mater cum pueri et honesto
 procerum comitatu Vicegradum concessit, ut in arce munitissima,
 cui Ladislaus Gara prerat, sacrum diadema reconderet, quemad-
 modum veteres editissimum tutissimumque locum asservande cor-
 rone hunc unicum dicarant. Atqui, in arcem ubi conventum est, ¹⁶⁹
 omnis, qui aderant, optimates regina fefellit, quippe que, dum fu-
 tura discriminia veretur, quam recondere simularat, coronam iterum
 subtraxit et prestigii dexteritate freta spectatorum lumina elusit, mox
 reconditorum obsignato ab optimatibus thesauro iussit obcludi.
 Deinde regni dissidium causata ad Fredericum Romanorum regem ¹⁷⁰
 Stirieque ducem in Austriam contendit, quem pueri fratrem fuisse
 plerique prodidere, huius fidei filium coronamque commisit, unde
 eterne discordie ac assidua cum Alemanis bella promanarunt.

Verum ad Bohemos redeamus et, quo id regnum pacto regina ¹⁷¹
 recuperare studuerit, videamus. Cum Bohemi reginam octavo Ka- ¹⁷²
 lendas Martias scitum puerum genuisse, dixisse Ladislaum et sacro
 Ungarie diademate rite coronasse cognovissent, mittendos ad eam
 legatos crearunt, qui statuta apud se regalia comitia nunciarent ad-
 monerentque, ut, si quid iuris in Bohemico regno deberelur, in-
 fanti procuratores mitterent, qui Ladislai causam in comitiis age-
 rent; hec demum omnia in tempore curaret, ne suo iure pupillus

fraudaretur. Advenientibus legatis regina Ladislaum, quem ex Alberto genuerat, in cunabulis ostendit, mox per deum hominumque fidem eos obsecrat et obtestatur, ne paterna pupillum hereditate privent, comitiorum item tempus prorogent, que ad diem quintum decimum habenda erant; artissimum conveniendi tempus esse, quod, si differatur, se oratores, qui pueri iura tueantur, missuram esse pollicetur. Sed, cum ex legatis unus esset regine amantis¹⁷³simus, quem Alberti regis beneficentia obligarat, cui Procopio Rabensteyno nomen erat, vir equestris ordinis, item doctrina moribusque prestans, is optimam Elisabethae operam apud Bohemos pro puerō se navaturum esse recipit. At, ubi audita regina in Bohemiam illi ¹⁷⁴rediere, Procopius omnis veteres Alberti regis amicos alloquitur, Elisabethae desiderium exponit, eius nomine comitia proroganda suadet, quando id nequaquam iniquum et inutile fore videbatur, in re tanti momenti non temere festinandum; precipitis consilii et temeritatis comitem penitentiam esse docet; id et superioribus presentibusque et variis exemplis asseverat; regine postulationem iustissimam esse fatetur. Quare hos omnes haud difficulter in sententiam traxit. Contra Prasco, qui Alberti partibus olim fuerat infestus, quamprimum regno consulendum esse vociferatur; nullam femine rationem in rebus gravissimis habendam neque attendendos infantium vagitus, ad hec neque Sigismundum neque Albertum Bohemiam curare potuisse; preterea passim exclamare habenda esse ¹⁷⁵cito comitia, instare adversantibus, proceres convocare, comitiorum tanquam interrex diem indicere; Ladislai vero partes ad prorogandam diem multa ex industria causari, suadere non tantopere festinari oportere atque diem ex die protelare, donec a regina legati venerunt. Elusos in tempore conatus Prasco egerrime ferebat, ¹⁷⁶at, ubi eos advenisse sensit, id tulit multo molestius.

Comitia sequenti die haberi cepta, quo cum oratores pueri ¹⁷⁷descendissent, exemplo ambire proceres, apprensare manus, cuique Ladislai ius hereditarium commendare et orare impensius occiperunt, ut Sigismundi Albertique regis beneficia recordentur, fedam ingratitudinis infamiam precaveant. In contionem deinde vocati hec verba fecere :

Si quis fortasse vestrum, proceres, adventus nostri causam ¹⁷⁸admiretur, nimirum, ubi recte fas et equum hic secum reputarit, non tam eorum, qui nos miserunt, quam horum, qui nunc audiunt, rationem commodumque nos huc perpulisse cognoscet. Neque a societatis et amicitie iure est absonum eos equitatis, officii et utilitatis admonere, qui fide longoque federe sunt obstricti, neque cuiquam molestum et grave videri debet, cum amice vel a paribus vel a superioribus cum private tum publice salutis admonetur. Regina ¹⁸¹nos Elisabetha ad vos exorando venire iussit, ut post Alberti regis obitum neque se neque filium Bohemie regno defraudari patiamini, quando id neque Sigismundi neque viri sui neque progenitorum in vos officia, que perpetua memoria tenere debetis, meruisse videntur. Non enim vos latet, proceres, quid ius gentium, quid leges ¹⁸³

ipse imperii Romani, quid federa, que vobis cum Australibus intercedunt, quid beneficiorum memoria, quid denique pupillaris commiseratio et commodorum ipsa ratio postulet. Quandoquidem nemo ¹⁸⁴ vestrum est, qui, si se a privatis vindicet affectibus, hec per se non omnia facile iudicet. Quanam honestatis specie paterna avitaque hereditate quisque privari potest? Que sat evidens ratio contra ex- ¹⁸⁵ cogitari poterit, nisi vim, ius armorum et divini humanique iuris piaculum adieceris? nempe nulla. Quin etiam, cum et cetera animantia preterea, que rapinis sunt obnoxia, quodam nature instinctu religioneque nidos neque latebras lustraque aliena invadere ausint, nos puerum, cui ipsa natura indulgentissima esse solet, paterno et avito regno defraudabimus? Tenellam etatem et tante molis impontem immaturamque causabitur quisquam? Qui id obiecerit, prius caveat, gravibus Bohemos Australesque afficiat iniuriis. Num in ¹⁸⁸ utraque gente usque adeo preclara interiere ingenia, ut, donec puer coalescat, regnum hoc administrare nesciant? Atque, ut hoc vestra ¹⁸⁹ pace dixerim, quod in bonam partem accipi velim, utinam, utinam, inquam, Bohemi viri, vobis e celo non tantum sapere datum esset neque in divinis humanisque rebus plus sapere videremini, quam opus ¹⁹⁰ esset. Nimirum tot intestinis gravissimisque bellis et tam diu nunquam, mihi credite, laborassetis. Neque vos preterit nil boni sine rerum ordine constare posse et non solum infanti, sed tempestivo quoque regi consiliarios adhiberi, adiici senatus et populi auctoritatem oportere, ut nihil his inconsultis agere liceat. Quare, veluti adulto, ita et parvulo moderatores optimi dari possunt, qui rem publicam gerant. Quin etiam sub huius quam illius auspiciis multo ¹⁹² tutius respublica regeretur, quando moderatoribus, legibus consultoque senatus alter adversari non potest, alter vero pravis sepe concupisciens estuans contemptis omnibus appetitus imperio trahitur et rebus pro libidine sua moderatur; hinc iudicia sepe corrumuntur, violantur leges et patrum consilia depravantur. Proinde, ¹⁹³ ne ius gentium ac legum auctoritatem violare videamini, hunc vobis regem, proceres, optate, cuius non modo patrem, sed avos atavosque reges olim tantopere coluistis. Neque initum quondam cum ¹⁹⁴ Australibus fedus mente vobis excidere debet, qui antique societas iura tantopere coluere. Si in orbitate principum, prout casus ¹⁹⁵ ipse tulerit et inita federis condicio postulat, utrinque reges optari debent, nos in necessitate hac non solum Australem, sed verum heredem et quem indolis prestantia ad imperandum tantum natum esse portendat, vobis regem offerimus, quem sine violentia federis, sine iniuria societas, sine piaculo divini et humani iuris, sine perpetua regni infamia, sine summo denique facinore impietatis recusare non potestis. Preterea unum nobis quandoque venit in mentem, quid Ladislai regis progenitoribus rependi debeat, a quibus tot beneficia et ea quidem immortalia accepistis; ne minus quidem publice quam privatim de Bohemis illi bene meriti sunt. Quando ¹⁹⁷ regnum hoc illi augustali dignitate decorarunt, vos omnis ita dilexere, ut non pluris imperium Romanum quam regnum Bohemicum

fecisse existimetur, vestram gentem domi forisque clarissimam redidere, prestitere opulentissimam et tot familias amplissimis honoribus et dominatibus exornarunt. Nec inter cogitandum etiam illam 198 Indorum legem nefaria vobis occupet oblivio, qua omnes ingratii capitales iudicabantur. Sigismundus cum Alberto quid pro pacando 199 regno, pro animorum corporumque salute fecerit, insudarit, prodigerit, non facile, si ii estis, qui esse debetis, obliterare poteritis; nimirum ille tantum profusissime principis beneficentie fuit expers, qui aut noluit aut non petendo contempserit. Proinde, quid eorum 200 manes, quid insignia, que accepistis merite, quid vestrum officium postulet, considerate. Et, cum hodie, quecumque debetis, exolvere licet, cumulatissimam data occasione gratiam, vos queso, rependite et perquam abunde referte. Si parum, quod nequaquam crediderim, 201 vos ista movent, quando estis homines, humanitatis officia colite. Leones, tigres lupasque legimus ac immanes plerasque feras et gratiarum et humanitatis commiserationisque rationem habuisse, percisse infantibus, vicem retulisse et innocentii denique etati fortuneque aliquid induluisse. Si hec quandoque illa prestitere animalia, que humanitatis expertia natura finxit, quid homo faciet, qui ab hac ingenita nomen accepit. O quam aliter ac nunc sentiretis, 202 proceres, si Ladislauum infantem spectaretis, in quo faustissima indoles maiores omnis inesse testatur. Spem eam prefert, qua illi 203 nunquam fuere prediti, ea nutu molitur infans, que fidem superant. Si vixerit, progenitores in gestorum gloria se antecessurum pollicetur. Sepe hunc Fredericus imperator in medium afferri iubet, quo 204 ubi allatus est, imprimis coronam procerum circumspectat, mox in Cesarem bracchia intendit, vagitu exposcit, fratrem amplexatur, madidis os eius oculis aspergit, veluti si se tutori et Christiane reipublice moderatori commendaret exoraretque, ne regnum sibi pre- 205 ripi, ne paterna hereditate fraudari pateretur; deinde circumstan- tem coronam lustrare contendit et per optimatum amplexus ob- vagatur, tanquam omnes ambiret et obtestaretur, ut immaturam dignitatem tuerentur. Neminem demum inamplexatum inoscula- 206 tumque dimittit, ambitioni quandoque gemitum quandoque vagitum intermiscet, quare nunquam prodit in publicum, quin lacrimas a cunctis spectatoribus exigat. Nihil igitur est in puero, quod non 207 admirabile, faustum et incredibile videatur; plus divinitatis quam humanitatis refert. Nemo puerum videt, qui sub divina tutela non 208 credat esse. Omnem a deo potestatem hominibus dari procul du- bio credendum est. Divine voluntati quis obstiterit? Cyrus infans expositus, Romulus cum Remo in Tiberim electus, Servius Tullius captiva matre natus, quin ea, ad que nati fuerant, regna non asse- 209 querentur, nulla vi inhiberi potuere. Proinde deum ducem sequi- mini, proceres, eum, quem e regia stirpe demisit, excipite, declarate regem et tanquam angelum e celo demissum cunctis suffragiis faustisque votis consulitate, admitite, colite. Sic dissidia, intestina bella ceteraque externa incommoda propulsabitis; hinc pristina vo- 210 bis commoda instaurabuntur. Quem nanque vos magis amaturum

studiosius vestra commoda curaturum putatis, quam eum, qui e vestro sanguine in vestra aula, in vestris ulnis et natus et educatus est? Nulla, mihi credite, peregrini principis admissio fieri so-²¹¹let, que aut calamitosam novitatem aut diuturna mala non inferat. Quare, ut dicendi finem faciam, per deum hominumque fidem oro, ²¹² Ladislaum verum principem, ut vestrum officium et utilitas postulat, uno regem consensu declarate.

Secundum legati orationem magna pars procerum edito plausu ²¹³ illius postulata comprobavit asseverans nullo pacto aliter esse sen-
tiendum, ne perpetua iniquitatis ingratitudinisque nota universa Bo-
hemia sugilletur. Contra vero, qui Albertum oderant, filium regem ²¹⁴ creandum esse negabant; dicere nihil inconsultius esse, quam in-
tempestivum et inutilem regno optare hominem vel maxime illum,
qui non regere, sed regi tantum posse videatur; Ladislaus ante-²¹⁵
quam sit regni compos, longam temporis intercedinem interces-
suram, Bohemiam sub interregni discriminē interea futuram, fluctu-
antissimum optimo moderatore regnum tam diu carere non posse;
proinde, quoad Ladislaus adolescat, regem creari oportere et id ²¹⁶
eo tutius agendum, quo facilius Fredericus Romanorum rex nuper
electus optandi regis iam ipsis potestatem indulserat. Vicit hec tan-
dem sententia. Quare, cum de creando novo rege ad proceres re-²¹⁷
ferretur, ii maiore ex parte Albertum Bavarie ducem regem decla-
rarunt, qui apud Venceslaum quondam ab ineunte etate fuerat edu-
catus; quin et e primoribus nonnulli designantur, qui e Vindelicis
Albertum evocent. Horum princeps Ulricus Rosensis erat, qui, ²¹⁸
quamvis Alberti partibus semper favisse videretur, in his tandem
comitiis aliquid tempori tribuendum esse censuit. Alii autem, qui ²¹⁹
id egre ferebant, rei indignitate correpti ad Fredericum clam Proco-
pium mittunt Cesaremque orant, ne pupillum paterno regno de-
fraudari patiatur, tutelam infantis, quam nuper acceperit, summo,
ut par est, nunc studio gerat, sine infamia regnum Ladislao debi-
tum alio diverti non posse reputet. Mandata Procopius diligenter ²²⁰
et caute peragit. Fredericus rerum admonitus ad Albertum ducem
repente scribit; hominem hortatur et monet, ne qua ductus ambi-
tione alienum sibi regnum usurpet; Bohemos herede superstite, cui
regnum debetur, alium regem creare non posse et creandi potesta-
tem, quam ab ipso in comitiis impetrasse predicabant, ementitos
esse; pertinacius asseverare nullam se Bohemis unquam creandi
regis potestatem fecisse. Albertus Cesaris diplomate inhibitus ea ²²¹
animi moderatione usus esse fertur, quam in paucissimis invenire
licet; nam, cum adventantes Bohemorum legati potens amplius
que regnum detulissent, ingenue abnuit. Gratias ingentes egit, quod ²²²
tanto ipsum regno dignum iudicassent; insuper inhumanum esse
pupillorum iura ledere; quibus omnes favere fas est, sine maximo
scelere ledi non posse; se quoque federis olim inter Bohemos
Austrialesque percussi haudquaquam ignarum. Albertum igitur longe ²²³
clariorum regem recusando quam accipiendo regnum omnes haberi
iure oportere iudicarunt,

Bohemi accepta repulsa iterum conventum habent legatosque ²²⁴ ad Cesarem mittendos esse decernunt, qui ipsum exorent, ut, donec Ladislaus adoleat, tutorio nomine regnum accipiat. Cesar ad hec, ²²⁵ cum legati mandata detulissent, respondit se Augustalis corone gratia in Belgas contendere; cum redierit, perquam commode rebus Bohemicis consulturum. Reverso e Gallia Cesare proceres e Bohemia ²²⁶ multi exemplo affuere imprimisque Prasco acerrimus infantis inimicus Cesarem hortatur, ut pupillari tutele renunciet, quod si fecerit, eum subinde regno potitum esse pollicetur; adiicit hoc iure federis plane fieri posse, ut seniorem Austrie principem Bohemi ex compacto regem in regia orbitate pronuncient. Abnegat Cesar se ²²⁷ turpiter et facinorose pupillum, cuius tutelam ageret, esse circumscriptorum hereditariumque illius regnum occupaturum neque Bohemiam tutorio nomine administraturum, quando non ignorabat eam sine insano sumptu haudquaquam gubernari posse. Bohemi nanque, nisi quotidiana stipedia munerae a regibus capiant, ab officio exemplo recedunt. Fiscus profecto tenuis, regia predia ab optimis occupata, fecundissime olim argenti fodine iam exhauste sunt, extenuata vesticalia censusque distracti erant. Quicunque igitur aut ²²⁹ rex aut gubernator futurus erat, nimirum cum dignitate vivere non poterat, nisi aut raptu aut precario aut collata popularium stipe victum quereret. Quare, ipsi per se Bohemi regnum gubernarent, ²³⁰ quousque Ladislaus adolesceret, plane suasit, mox legatos magnifice donatos a se dimisit. At, ubi ad populum id latum est, ut hoc ²³¹ interregni tempore gubernatores Bohemiam regerent, veluti Cesar ipse suaserat, imprimis Prasco Maynardusque creati. Initio magistratu subornatam aliquamdiu concordiam servarunt, si quidem alter catholice fidei propugnator, Rochezane pravitatis assertor alter erat et uterque factionum princeps, ne tamen ad arma perveniret, optimum excogitavere ambo temperamentum, ut pro suo quisque iudicio viveret. Haud multo post Prasco gravi morbo correptus interit, ²³³ cuius interitu Maynardi auctoritas usque adeo crevit, ut Pragenses ac potiores Bohemie civitates huic ultiro parerent. Hoc adverse factionis homines perquam moleste tulerunt, ad Georgium Pogiebracium confugere, quem sapientia et bellica disciplina, item ingenti gestarum rerum gloria prestantem esse noverant; hunc sibi prefi ciunt persuadentque, ne suas partis iacere neve Maynardum, cui Praga caput gentis obsequitur, qui Romane religionis ritus extollit, patrios antiquat ac demum ad tyrannidem aspirat, imperiose ac late dominari patiatur; item viri dominatum populo videri gravissimum necnon et Rochezane multas esse amicitias fidasque clientelas; Pragam illi facile preripi posse, proinde exorare hominem, ut sue dignitati suorumque saluti iuxta consulat. Profane verba multitudinis haudquaquam Georgio displicuere, cum pre magnitudine animi res maximas anhelaret; coniurationem magnam clam molitur et ad novitatem animum intendit; Pragam subornatos quosdam mittit, qui civium studia tentent, sollicitent animos et, ut Maynardo veluti tyranno ac peregrine religionis amatori potestas omnis abro-

getur, impellant. Quid fieri oporteat, Rochezanam consulant et coniurationis admoneant. Compositis rebus, cum multi in coniuracionem ultro confluxissent, novitati diem prestituunt. Moliendum in remota parte urbis incendium decernunt, ut, dum eo populus rerum ignarus plane cucurrerit, ex altera Georgio parte cum copiis venienti portam patefiant. Quare ad prestitutum diem ex compo-²³⁷
sito cuncta fiunt e sententiaque succedunt. Committitur clam incendium, quo omnes ex more convolant; Georgius in tempore advenit patefactaque porta ingressus tumultu ac ferro omnia miscet. Magnus extemplo terror incessit; quicunque adversi arma sumpserant, continuo trucidantur. Capitur Maynardus infelix et, postquam inimicus eius est urbe potitus, in arcem adductus in carcerem coniicitur. Multi carceris tedio, nonnulli veneno absumptum interiisse ferunt. Georgium integrum potestatem nactum sic urbem et²⁴⁰
Bohemiam illico pacasse et pacatam in otio diu tenuisse tradunt, ut nemo sit, qui ex tanto facinore tantum quietis promanare potuisse crediderit.

Dum hec, quemadmodum supra diximus, in Bohemia geruntur,²⁴² quia res Ungarice nos ad se redire iubent, quid in Pannonia fieret, exponamus. Postquam Elisabetha in Austriam profecta est filiique tutelam satis Frederico commendarat, ipsa non sine magna fautorum turba in Ungariam revertitur. Fines ingressa Pannone ex vultu, verbis conviciisque multorum, dum per vicos et oppida facit iter, mutata hominum studia deprehendit; quod quidem in his rebus accidere solet, partim, quia novarum rerum cupidi plebis animi esse solent, partim, quia nova spes ex Wladislao concepta omnia in melius itura pollicebatur. Neque deerat ingenitum ac sempiternum²⁴³ odium, quod Pannonicum Alemano semper intercesserat. Wladislaus enim, cum procera statura, valido corpore, consentientibus inter se membris et gratissimo foret aspectu, haud difficulter comitate, mansuetudine et insita quadam ingenii probitate populorum sibi animos conciliabat, quando hec facile popularem auram captant. Succurrebant et alie prestantiores animi dotes, religio singularis,²⁴⁵ diligentia divini cultus, iustitia insuper ac pietas et constantia cum ingenti moderatione coniuncta. Animus ad hec insons ac simplex,²⁴⁶ nulli vitio obnoxius et ad promerandam Ungarorum gratiam immortalitatemque comparandam nimis intentus, in bello fortis et intrepidus. Nulla vir bonus ac regno permaturus estuavit avaritia²⁴⁷ nulloque libidinis imperio vexatus est. Cum se facile exorabilemque prestaret, nimium ex popularitate favoris gratieque contraxit. Nullum ex eius ore verbum auditum, quod insolentiam temerita-²⁴⁸ temve saperet aut aliquid turpitudinis oboleret. Consuetudo dulcis, mores quoque mitissimi; talis denique censebatur, ut e Sarmatis tam virum prodiisse haud facile quis crediderit. His igitur artibus Wladislai presentia multum favoris sibi comparavit. Hinc multorum voluntates immutate et e proceribus complures, qui adverse factionis erant, in eius partis preter omnium opinionem conces-²⁴⁹ sere imprimisque Nicolaus Uylac Croatie prefectus, cum pupilli

partes quotidie labefactari conspicaretur, ut sue consuleret utilitati, a regina defecit, in Wladislai factionem plane concessit et in asserenda Poloni dignitate sic acer pertinaxque fuit, ut multo plus fortitudinis in asserendo quam in deficiendo perfidie retulisse videatur. Simon quoque Rosgon Agriensis episcopus, item omnes eius fratres Poloni partes pertinacissime sectati sunt. Rosgone defectionis causa Elisabetha fuit, quippe que Simoni, dum Vesprimiensis erat episcopus, archiepiscopatum Strigoniensem efflagitanti repulsam de-²⁵⁰dit responditque Elisabetha regnante Simonem nunquam archiepiscopum futurum, contra ille se vivente Elisabetham nunquam re-²⁵¹gnaturam. Archiepiscopatus igitur regine iussu Dionysio datus. Item, cum in superioribus Ungarie partibus Rosgana domus nimis auctoritate opibusque polleret, universam illius ore procerum nobiliumque turbam in Wladislai auxilium convertit.

Quin etiam Ioannem Unniadem, quo prestantiorem domi mili-²⁵³ieque virum illa tempora non viderunt, ut deinceps, cum res ipsa posularit, sat copiose referemus, Polono nimium favisse addictum perhibetur. Hic enim Valacho patre, matre vero Greca natus in-²⁵⁴dustria et virtute supra omnium opinionem suum genus illustravit; parentibus nequaquam obscuris editum tradidere. Pater nanque inter ²⁵⁵Valachos, qui Getarum Dacorumque loca nunc incolunt et e Romanis superfuisse colonis, veluti lingue similitudo testatur, sane creduntur, plurimum apud eam gentem potuisse dicitur. Quippe ²⁵⁶qui non consilio solum ac longa rerum experientia, sed opibus et fortunis multum sibi auctoritatis compararat, assiduo bello exerci-²⁵⁷tatus non p'us divitiarum quam nominis e militaribus studiis ipse contraxerat. In Corvino vico natus in Corvinam Romanorum fami-²⁵⁸liam genus retulit. Mater vero e Grecis edita e veteri et imperato-²⁵⁹rio sanguine promanasse credita est. Nonnulli in Theodosii hanc genus referre audent. Servivit a principio cum XII equis Demetrio episcopo Zagabriensi et in Italia duos annos sub duce Philippo Mediolanensi prima stipendia meruit, nam Sigismundum in Italiam secutus remansit. Sigismundum enim affirmant fama paterni nominis ²⁵⁹Ioannem adhuc ephebum Transalpinis oris in Transylvaniam transtu-²⁶⁰lissee, Unniaticis prediis, que in extrema Transylvanie ora, que ad Valachiam attinet, sita sunt, ob rem bene gestam donasse. Prima hunc stipendia sub Ungaro ale prefecto fecisse memorant. Nosque a ²⁶¹divo Mathia nonnunquam audivimus, cum prefecti cuiusdam filium in conspectum admittieret, quod de patre conversus ad alios ingenue fatebatur. Hic est, inquit, illius optimatis gnatus, sub quo pater meus ²⁶²primum meruit vocemque centurionis expavit, mox propria virtute for-²⁶³tuneque dexteritate fretus munia queque militie honorificantissime gessit, ex bono tirone miles fortissimus, ex milite imperator optimus emersit. Per singulos ordines miro laudis glorieque successu iam evectus provincias cum imperio sortiri cepit, cum prestantissima Gereborum domo affinitatem inivit. Hinc Elisabetham, que Ladis-²⁶³laum Mathiamque genuit, uxorem duxit. Vir fuit, in quo magnam Corvinorum virtutem, item magnanimitatem, sapientiam fortitudi-

nemque Romanam recognoscere licebat. Aspectu per liberali fuit ac 264
venerando, militari robore indomitus, cuius mite prestansque inge-
nium nil prefer Romane dignitatis imaginem referebat. Oculorum 265
ac oris venustate prepolluit. Mores omni ex parte nobilissimi ab
omniue barbarie feritate redempti. Religionis ac iustitie, item libe-
ralitatis et beneficentie studiosissimus fuit. Neque deerat amor ho- 266
nestatis et amicitie cultus ad obligandos militum animos et prome-
rendam ceterorum gratiam usque adeo promptus, ut eque ab om-
nibus amaretur. Comitate, beneficentia dissimulationeque callida sic 267
inimicitias et odia declinavit, ut his officiorum artibus ad eius di-
gnitatis altitudinem sibi viam compararit, quam ne sperare quidem
licuisset. Acer et excelsus viro fuit animus, consilium prudens cal- 268
lidumque, cui mos erat nil inconsulte, nil intempestive agere. Nil
spes eius appetere videbatur, quod arte consiliove consequi non au-
deret. Variante tamen in bello fortuna usus, ne obnoxiam hanc sibi 269
semper habuisse videretur, in agro Unniatico, quem a Sigismundo
quondam dono acceperat, in edito monte castellum erexit, quod
placida circum flumina lambunt, item arte atque natura usque adeo
munitum, ut nullum hostilem impetum reformidet. Ioannes igitur 270
Corvinus post cetera, que summa cum laude munera gesserat, Tran-
sylvaniae provinciam cum imperio ob rem optime gestam impe-
travit atque hinc facile ad maxima queque subinde evectus est.
Quare vaivoda, ut aiunt, cognominatus multum posthac auctoritatis 271
et potentie sibi vendicavit. Itaque, cum dupli factione Hungaria
tota laboraret, Wladislai partes sectari placuit, quod adversariorum
vires haud parum enervavit; hinc tanta Polonis accessio facta, ut
absque difficultate cetera transigerentur.

Cum igitur coronandi regis tempus instaret et pupilli res quoti- 272
die detereret, Bude a palatino conventus indicitur. Convenere ex- 273
templo proceres, antistites, legati civitatum universaque regni no-
bilitas, insuper et plebis innumera multitudo, qui quidem omnes
novi principis imperio gratulari passimque gestire videbantur. Sub 274
incolumitatis diplomate adverse factionis nonnulli principes ad in-
dictum conventum advenere, imprimis Dionysius metropolita Stri-
goniensis, cardinalis eo tempore spectatissimus et Ladislaus Gara
Vicegradensis prefectus arcis, quos haud mediocris pars optimatum
et nobilitatis sequebatur; ex his alter pupillum precipue diligebat, 275
quia sacro baptisme initiarat, alter erarii munitissimeque arcis
prefecturam ob exploratam fidem non immerito assecutus.
Cum Budam non absque magna expectatione venissent, regalem 276
cum ceteris pontificibus optimatibusque arcem subivere, dum soluto
senatu, cum aliis patribus abirent, intercepitus est exitus nec un-
quam exeundi facta copia, donec fidum in manus novi regis ob-
sequium iurarent et Ladislaus Vicegradum thesaurumque redderet.
Vi adacti postulata factitarunt; mox non sine gratia in libertatem 277
restituti. Post, ubi satis inter principes de coronando Wladislao
conventum erat, Vicegradum omnes ad recensem erarium ac-
cipiendumque sacrum diadema concessere. Patefacto erario cuncta 278

integra invenere, corone tantum ab Elisabetha subtracte furum deprehendere. Hinc turba ingens inter proceres oborta, hinc prima 279 perniciosi ac diuturni belli auspicia leva sunt edita, infremere multitudo cepit et factionum vulnera, que cicatricem dudum obduxerant, recrudescunt. Pars Polonica ad Regalem Albam extemplo properandum regemque coronandum exclamat; sacrum Albe diadema non defuturum; reges non peregrine femine, sed Ungarorum auctoritate 280 fieri oportere. Subticebant pre metu et pudore, quicunque reginam et pupillum diligebant. Nonnulli regine facinus improbare, dicere 282 nec iustum nec fas esse divinum regie maiestatis insigne per sacrilegium abstulisse et illorum commisisse manibus, quibus cum Ungaris non tam antiqua quam ingenita odia intercessere. Quin 283 etiam multa hinc mala augurari. Quare non sine tumultu ob indignitatem rei Albam properatur. Rex cum ingenti suffragatorum 284 multitudine illuc ducitur; in divi Stephani basilica Wladislausum cum maximo plausu rite coronant. Cum vera corona defuisset, 285 quam regina sustulerat, e simulacro divi regis, quod in sacello colebatur, placato numine præreverenter diadema sumptum et re iubente in coronandum Poloni caput usurpatum est. Hinc inextri- 286 cabilis totius Hungarie factiones exorte sunt, hinc omnis concordia soluta, extemplo intestine discordie incessere, simultates et odia instaurantur. Conticuere leges et conculcata iudicia; prout quenque propria libido tulerit, ita sese gerere; quisque sibi iudex esse, vim, rapinas, homicidia passim agere; inimicitie tunc graviter exerceri; ille magis iniurius haberet, qui minus posse videbatur. Alienam 288 predia sine pudore occupari, violari templorum iura, nulla denique sacra profanave potestas se iniuriis abstinere. Exaggerabat et illud hec mala, que diximus, quod, cum armis omnia obstreperent, qui- 289 cunque se imparem inimico senserat, peregrina auxilia introducebat, que utrumque pro furoris imperio populabantur. Hi pupillum revocare, Polonum illi retinere contendunt. Alteri Alemanos, Polono alteri certatim invocant. Barbaram igitur Scythice gentis im- 291 manitatem, que tantopere concordiam et otium abominatur, diu iste furor exercuit et eo usque, ni mentiar, exercebit, donec se quisque metiri, coercere ambitionem, aliena dimittere, invidia carere mutuamque concordiam amare didicerit. Sed de his hactenus.

E conflatis igitur discordiis, quibus graviter Hungaria estuabat, 292 bellum civile tandem exarsit. Ladislai partibus imprimis hi pre- 293 erant: Ladislaus Gara banatus, ut aiunt, munere insignis, Ioannes Philippus Corogus, item Andreas Bothus ex Arapco vico natus et Henricus Themasii vaivode filius, qui armis, consilio fortunisque amplissimis multum ea tempestate posse videbantur. Hi a Polono palam defecere et pupilli partes se acerrime asserturos esse profitebantur. Non solum a regina Elisabetha opibus adiuti, verum etiam suis impensis haud parum equitum ac peditum inauctorarunt, ut a Sarmatarum servitute Pannonias vindicarent. In inferiore Pan- 295 nonia primum res novas moliti ad monasterium Zykador, quod sub Batha situm ad quinque milia passuum prope Danubium nunc

Zic appellant, prima castra locarunt. Ad coercendam huiusce fac-²⁹⁶
tionis audaciam Ioannes Corvinus, qui, cum Transylvaniam provin-
ciam cum imperio tenuisset, perpetuum vaivodatus nomen ausumm,
sit, a novo rege decernitur; Nicolaum quoque Uylak Machovien-²⁹⁷
sis provincie regnique Bossenensis titulo deinde clarum
in hac expeditione collegam sortitus est. Ambo nanque illa tem-²⁹⁸
pestate armis, auctoritate, divitiis viribusque prepollebant, quare
haud temere ad extingueda prima formidolosi belli incendia utrun-
que proceres illico delegere. Cum properatis itineribus ad mona-²⁹⁹
sterium pervenissent, vix curandis corporibus unum diem indul-
sere, postero prima luce prelium initur. Nondum utrinque signa ³⁰⁰
dabantur, cum levi velitatione pugna conseritur; in dextro Cor-
vinus, Nicolaus in sinistro cornu preerat, in medio Polonus erat.
Facta repente pugnandi copia tanto inter sese impetu concurrere, ³⁰¹
ut non cum propria, sed aliena vel infestissima gente dimicarent.
Poloni Ungarorum exemplo inanimati eo vehementius dimicare ³⁰²
nitebantur, quo magis verebantur, ne ab his, qui parebant, ulla vir-
tute superari viderentur. In tanta igitur certandi pertinacia Ladis-³⁰³
laus Gara, qui in sinistro cornu pugnabat, a Corvino inclinatus
cedere cogit et, dum manus hostis evitat, fugam proripit; tali
facinore suorum mox animi consternantur, confunduntur ordines.
Henricus et Andreas a Sarmatis inclinati prospecta Gare fuga et ³⁰⁴
confusis ordinibus pari metu perculsi palantes fugiunt; relicts quis-
que castris et impedimentis in proximas continuo sylvas involarunt.
Per avia loca ferri, disquirere latebras et varia sese arte tueri; contra ³⁰⁵
illi ne minore quidem perniciitate a tergo instare, passim insequi
atque trucidare. Andreas Bothus haud parva sevitia peditus in fuga
cessus est. Capitur Henricus. Ladislaus Garam Ioannemque Phi-³⁰⁶
lippum, quamvis maior corporis moles utrumque gravaret, dexterior
tamen fortuna respexit; cecum iter ingressi e tanta strage tandem
evasere. Quicunque superfuere, nunquam amplius in apertum cer-³⁰⁷
tamen descendere ausi sunt. Ioannes autem et Nicolaus victoria potiti
castris impedimentisque direptis Symonthorniam Istro vicinam et
Soclos Dravo proximum obsedere. Cum nihil obsidendo profice-³⁰⁸
rent, quando validissimo utrumque presidio munilum erat, ne tem-
pus in minimis frustra tererent, inferiores oras ocissime lustrarunt
et nutantes aversosque populorum animos ad Wladislai fidem revo-
carunt. Reversi Budam a rege ac proceribus cum magno plausu ³⁰⁹
admissi et pro dignitate laudati sunt.

Dum hec in inferiore Pannonia gesta sunt, qui superiorem in-³¹⁰
colunt, ob Austrie vicinitatem omnes fere regine partes tutabantur;
in Zaladiensi primum ora res novas moluntur, vicinos pagos et
castella, que Wladislae parebant, variis belli incommodis afficiunt
omnique conatu ad sua finitimos studia revocare contendunt. Atqui ³¹¹
pre ceteris id Thomas Zeech Dionysii Strigoniensis metropolite
frater experitur, vir bello impiger, animi corporisque viribus ex-
cellens, qui a pupilli fide reglulinari non poterat. Cumaron regale ³¹²
castellum cum presidio tenebat ad fluvialis insule caput situm neque

procul a Strigonio remotum. Auditio sociorum conflictu, quem a 313 Corvino Nicolaoque acceperant, eo magis ad bellum irritatus finitima cuncta igni ferroque sollicitat, longe lateque discursat, predas ingentis agit, pecora cum hominibus abigit, incendit pagos et tumultu omnia complet. Eo quoque sua erecta est audacia, ut Budam 314 despectante rege sollicitare non vereretur; instructo nanque agmine e Strigoniensi arce descendens, quicquid interiacet, id omne populatur et vastat. Cum ad Budam veterem pervenisset, suburbium 315 Nove Bude, quod ad Calidas aquas situm est et Feleviz nunc Scythice nominant, nullo metu remoratus adoritur. Ignem imprimis edibus subiicit, obstantes obtruncat, in suburbanos haud parum sevit. Rapinas, cedes et incendia rex ab arce despectat, quin et 316 urbi timet, cuius ab ea parte menia tentari prospicit; et illud verebatur imprimis, ne qua in urbe coniuratio foret inita, que Thomam proprius admovisset; arcem cum civitate dispositis ubique militum stationibus diligentissime custodiri iubet. Ex improviso ad 317 repellendum hostem prodire non ausus sat se facere arbitrabatur, si civitatem protegeret; item ille tot copiis instructus advenerat, ut non facile repelli posset. Thomas incenso suburbio et direpto agro Strigonium se recepit.

Wladislaus autem spectata suorum fide et profligatis in inferiore Pannonia inimicis animatus in domitandum Thomam, qui ex his, qui superfuerant, formidolosus admodum sibi videbatur, animum advertit. Convocato exercitu, Strigonium imprimis properat, 318 arcem in edito monte sitam et Danubio prominentem obsidet. Ut artius urbem obcluderet, in monte, qui e conspectu assurgit et a divi Thome edicula nomen accepit, presidium imponit, munitiones et tormenta statuit. Oppidani sepe ex arce prodiere, ex improviso 319 castra adoriri nonnullisque cessis in arcem se recipere, contra illi dispositis circum vigiliis observare, coercere prodeuntium audaciam, et muluis quotidie cedibus sese confidere. Dionysius autem metro- 320 polita pientissimus, omni religione ac vite honestate prestans haud equis Ungaricum sanguinem oculis in dies hinc et hinc effundi despectare poterat; pupilli iura violari egerrime ferebat neque tamen intestinum quotidie bellum augeri facile tolerabat, in lacrimas effusus divinam opem implorabat; ad postremum communis hu- 321 iusce calamitatis impatiens ad Wladislaum in castra cum litteris puerum mittit, quibus de concordia agendi copiam postulat. Rex 322 pari pietate decertans equissima postulata non abnegat; postero die per internuncios res agi cepta; tertio intercedente pax transacta est. Wladislaus pacatis his rebus in conventum Zaladiensem, quem a 323 se defecisse noverat, castra movit; duo ibi castella expugnavit, que impositis Alemani presidiis pertinacissime tutabantur, quorum Pa- 324 can alterum, alterum Chigios vocitatum. Recepit igitur his locis et pacata provincia ovans Budam rediit. Ne insignia quidem in- 325 commoda calamitosasque rapinas pretermittendas esse censui, que his quoque temporibus in variis Ungarie locis a finitimiis exerce- 326 bantur atque in annos circiter octo et viginti deinde continuata ad

Mathie usque regis tempora perdurarunt.

Dum hec a Wladislao in Pannoniis agebantur, in ulteriore 328
 Ungaria extenorū latrociniis et rapinis omnia miscebantur. Elisa- 329
 betha nanque regina Giscre Bohemo nobili Brandorum genere nato
 viro impigro ac forti assiduoque bello exercitatissimo, alioquin plus
 equo cupido obnoxioque rapinis Zolium oppidum regale cum ap-
 pendicibus secundum Alberti regis obitum dono dederat. Adiecerat 330
 quoque huic Cassiovie urbis montaneque provincie prefecturam, ut
 hominem, quem consilio, armis et auctoritate haud parum in Bo-
 hemia posse noverat, hisce sibi officiis obligaret eoque vehemen-
 tius in pupilli sui tutelam obstringeret. Is, cum Ungarie proceres 331
 mutuis inter se iniuriis ac intestino bello decertare sensisset, nac-
 tus ad explendam cupiditatem tempus nimis idoneum vicinas Cas-
 siovie regiones ac universas superioris Ungarie oras incursat, pagos
 incendit, agrum late populatur, predam undique ingentem congerit,
 iuxta in homines ac pecora sevit. Eos pre ceteris gravi bello sollici-
 tat, quos adverse factionis esse acceperat. Quoscunque nobiles pu-
 pilli partibus infestos per delatores esse cognoverat, igni ferroque
 lacescit atque, ut initum tutius bellum aleret, externum militem con-
 ductum, facinorosa quoque gente complet exercitum, que raptu vic-
 tum trahere consuerit. Ast, ubi satis audaciam suam munivisse ratus 332
 est, aperto cunctos adversantes Marte lacescit, vicos incendit, multa
 vi oppida capit, quin etiam et aliorum suo scelere audaciam auget.
 Hinc Pancratius Lyptoviensis, hinc Petrus Camorousius, item Axa- 334
 mithus, Talephus et Ribaldus, Chelzecus, Uricus, Zlowachus et cum
 his preterea magna Polonorum Sclavorumque manus et gregarie
 militie multitudo prede cupiditate allacta confluxit. Multas in regno 335
 munitiones temporariaque castella construunt impositisque presi-
 diis agros late discursant populanturque, tumultu et terrore omnia
 complent; quicquid ex intestino superfuit, peregrino bello ab-
 sumptum est eoque erumnarum redacta fuit Ungaria, ut suorum 336
 extenorū rapinis pariter afficeretur plebs et rusticana multi-
 tudo neque quotidianis vectigalibus neque crebris rapinis spoliisque
 pacem otiumque mercari poterat; ad extremam tandem redacta ca- 337
 lamitatem desertis vicis oppidisque in sylvas et antra se receperat,
 disquirebantur latebre et in lustris ferarum more multi delitesce-
 bant, assiduis nanque cedibus et incendiis cuncta passim absume-
 bantur. A Carnis autem et Noricis, ne qua pars igni in tanta per- 338
 turbatione cessaret, Ulricus Celie comes, reginae Elisabethae, ut fe-
 runt, avunculus, Pannonias bello nequaquam inferiore sollicitat.
 In omnes optimatum nobiliumque pagos et oppida, qui Ladislao ne-
 poti refragari dicebantur, usque adeo sevit, diripit ac vastat omnia, 339
 ut cum profano execrabilique hoste rem agere videretur. Vicos et 340
 castella passim incendit, pecus hominemque iuxta abigit, nullum
 inferendi terroris modum pretermittit, quo magis nobilitatis et plebis
 animos a Wladislai regis fide abalienet, quin et finitimos omnis in
 Ungaros irritavit. Verum haud ab re fore duceremus, si, priusquam 341
 Corvini bella, que cum Turcis ille varia fortuna gessit, attingeremus

et ea, que intra regni fines gesserit, breviter enarrantur imprimisque, quid cum Giscra fecerit, a quo bis victimum Pius pontifex fuisse scribit, exponeretur. Sed, cum ratio temporum his congruere ³⁴² minime videatur, hunc ordinem, ut, quo tempore queque gesta sint, referantur, intercipere cogimur. De Turcorum igitur bello agendum, quod altiuscule repetendum est.

Eodem fere anno, quo rex Albertus vita decessit, Amrates rex ³⁴³ Turcorum estuante Pannonia superiore Mysiam, quam Rasciam nunc vocant, occupavit, quod haud difficulter assequi potuit, nam rebus Ungaricis ad interregnum redactis, deinde duplici factione et intestino bello admodum laborantibus electo Georgio principe et obversante nemine id sibi non prius sperare quam prestare licuit. Mysia potitus ad invadendam Ungariam animum appulit, quod ³⁴⁴ ex intestinis, regni discordiis audere facile potuit, imprimisque Albam Grecam Taurunium prius dictam et ad Danubii Savique confluenta sitam obsedit. Arcem cum presidio Ioannes Aurane militaris ³⁴⁵ antistes vir bello impiger et clarus tenebat; hic Matthei Croatie bani frater et e patricio Ragusinorum ordine natus erat. Hanc specitate virtutis magnanimitatisque familiam Sigismundus imperator ob rem bene gestam nimis extulit omnibusque honoribus excoluit. Cum adventantem hic hostem prospexit, ex urbe occurrit et tumultario certamine usus, cum se Turco imparem intellexisset, illico rediit miraque diligentia munivit urbem. Contra hostis pro virili parte menibus appropinquare, stationes circum disponere, tormenta proprius bellica admovere, obcludere civitatem et quam gravissima potest, obsidione coercere. Ne minus quidem impigre oppidani cuncta intus curare, vigilias agere intentissimas, ex improviso in castra erumpere cesisque nonnullis intro se recipere atque ita conatus hostis eludere. Cum Amrates crebris suos eruptionibus haud mediocriter infestari cerneret illorumque cedem in dies augeri, eo magis instat et ad prelum irritatur. Intendit machinas, menia et propugnacula pertinacissime quatit, turres nonnullas proterit, multi quoque e propugnatoribus quotidie interficiuntur. Quassa in dies menia aliqua ex parte labascunt, obsessis nihil quietis datur, quippe qui interdiu urbem protegunt, fractos noctu muros resarcint, egesta terra, fimo et pecorum excrementis aggerem lignis circummunitum ducunt eoque magis hostis labore ac ictus eludunt. Sepe usque adeo irritati sunt utrinque animi, ut scalas ii muris admoverent, subeuntes urbem comminus oppugnarent, onerata hoste menia suspicerentur. Contra illi, qui audaciam silentio fecerant, mox insurgere, ³⁵¹ cum securibus excutere, conflatam picem ac sulphur in hos demittere, apum in hos examina iaculari, ut aculeis competitii graverter angantur; item clava enseve deturbare muris deturbatosque saxis illico conterere, ingentem demum patrare stragem videbantur. Cum uno atque altero prelio se nihil proficere Turcus intelligit, ³⁵² ad machinarum spem continuo redit, urbem gravius quassare non cessat, clam sepe muneribus et promissis oppidanum tentat. Obaudit ille, acceptis quandoque muneribus et promissa irrita prestat et

extiore muro ne satis quidem fretus intus fossam et aggerem altiorem obducit. Quin etiam dirempta dudum hostis oppugnatione ex insperato prodit ex urbe, incautum militem adoritur et, antequam e suscitato tumultu expedita acies cogatur, gravis interim clades infertur. Elusa hucusque opera Turcorum imperator, antequam ceptis absistat, nil intentatum dimittere decrevit. Novas artes excudit, quando facile intelligit capta repente Alba patentissimum sibi Pannoniarum patere aditum, quare multo vehementius ad expugnandam urbem incenditur, eam adactis clam cuniculis occupare cogitat. Ad secundum lapidem monticulus assurgebat, a cuius tergo omnia clandestine fieri poterant. Continuat igitur obsidionem, ex inita parum oppugnatione se remittere simulat et, si quid remittitur, id non nisi ex ingenti labore fieri ostendit. Mox cuniculorum opus inchoat, vigniti hominum milia operi destinata, fossam in antri speciem exordiuntur, die noctuque suffodiunt; quo suffossam cauti terram egererent, maximum iumentorum numerum adiecere, addidere camelos, asinos et onagros et, dum vectoram commatum simulant, egestam terram subvehunt subvectamque mox in proximum fluvium demergunt. Has oppidani insidias nequaquam sentire, pre montis oppositu nihil prospectare. Iam illi ad menia cuniculos continuato labore prope subduxerant nec adhuc Turci dolos miseri intellexere; fossa usque adeo patens, ut quaterni equites facile subequitarent. Interim immitissimi hostis consilium a divina benignitate intercipitur, ne unicum Ungarie propugnaculum, que sola per tot annos pro Christiana republica cum fera gente dimicavit, in perniciem fidelium expugnaretur; indicatur facinus. Nomen indicis et modus ignoratur, aliqui a Christiano milite opipidanum quendam admonitum fuisse memorant; brevem epistolam sagitte alligatam immissamque menibus rem patefecisse alii prodider. Prefectus Albane arcis admonitus, veluti in re tali fieri solet, exemplo alteram contra molitur; interdiu ac noctu Turcorum cuniculis occurrere contendit. Quem ubi appropinquare sat certo comperit argumento, fossam, quam ipse fecerat, nitro, sulphure, sarmensis aliisque concitatissimi alimentis incendi repente complevit, muro crassissimo mox ad initium obclusit; foramen dumtaxat angustissimum ad obstrictum aditum relinquitur, ubi admoto tempestivo igni succensaque materie cecus hostis absumi posset. Ioannem haudquaquam spes sua fefellit, nam, ubi hostilem fossam cum sua intra menia congruisse per exploratores intellexit, ignem repente per foramen immittit, gravissimum intus incendum concitatur et, cum exhalare non posset, atro cuncta fumo complevit; homines cum iumentis partim igni, partim fumo absumti. Congesta nanque multitudo ac cecitate obsita una miscetur mutuoque impedimento confunditur, neque cedere neque egredi novit, in communem quisque perniciem festinat. Nam, ubi a penitiore parte tumultus obortus est, quicunque penes aditum versabantur, intonante clamore insiluerunt; occurrere, egredi conantibus et, dum mali causam scire contendunt, moribundam multitudinem sistunt, cameloi, asini equique clamore

percusi fugientes remorantur et impediunt, quare preter iumenta septemdecim hominum milia in cuniculis interiere. Amrates consilio suo frustratus, cum enectam in fovea multitudinem efferri imperasset, spectata suorum strage graviter indoluit, cum dira sibi gente iam esse sensit. Preter hec in urbis oppugnatione octo circa citer hominum milia desiderata sunt. Postquam se nihil septem mensibus proficere potuisse cognovit, obsidionem illico solvit, ab alia Ungaros parte sollicitandos esse intellexit. Relicta Mysia, ad instaurandum exercitum et comparanda supplementa in Macedoniam et Thraciam hibernatum se recepit. Et Ioannes Ragusinus ob Albam strenue defensatam perpetuam sibi domuique sue laudem comparavit.

Unicum illa tempora virum protulere Ioannem Corvinum, de quo supra dicere occuperamus. Quo quidem si in tanta rerum omnium perturbatione caruisserint, nemini profecto dubium est, quod iam diu non solum de Pannonibus, Noricis et Germanis, verum etiam de universa Christiana republica fuisse actum. Hic regni et orthodoxe gentis propugnator fuit acerrimus Turcumque non modo intra fines coercuit, sed variis cladibus affectum ad reddendam Georgio Mysiam, ut suo loco referetur, sane perpulit. Quare non multo post tempore, cum spectate fidei ac virtutis esset, preter Transylvane provincie gubernationem, quam cum imperio tenebat, ob rem bene gestam Severiensis Themesensisque oppidi prefecturam sortitus est. Nam, cum hec loca Turcis essent exposita, ad inhibendum durum hostem inferioris Ungarie oris prefectus est. Ne virum quidem latebat se talem provinciam fuisse sortitum, in qua virtutis sue periculum et perpetuum laudis monumentum futurum erat. Succurrebat amor patrie et presentis exitii metus, que virum vehementer angebant. Ungari ob intestinas discordias, dum mutuis cedibus et rapinis libidinem suam explorarent, neque patrie neque imminentis mali curam agebant atque proprie salutis immemores nil pensi habebant, Turco quam civi cedere malebant. Quin etiam eo furoris et vesanie tunc Ungarus evectus erat, ut graviores civis quam Turci reputaret iniurias. Exin vero Amrates, qui tantam opum hominumque iacturam in Albana obsidione fecerat, ne tantam preteriret occasionem, quacunque licet, parte regnum incursat; nunc ad Tibiscum usque ulteriorem Danubii partem populatur, pagos comburit, homines ac pecora abigit, nunc, quicquid Savum Dravumque interiacet, vastat ac diripit. Hinc et hinc senes et iuvenes, mares et femine cum pueris in perpetuam servitutem abducuntur et proceres Ungarie intestino bello correpti nondum resipiscunt. Solus Corvinus reipublice charitate percitus tot malis occurrit, profligavit Turcos regnumque pacavit. Nos autem, qui tanti viri gesta scribimus, non quotidianos congressus, sed insignia quedam bella memoria perquam digna et potiora referemus, minoris autem momenti certamina, que latrocinia potius bellique simulacra, quam vera fuere prelia, silentio preterire duximus.

Duo eodem tempore duces impigri in finitimos convenere locos

cos : Corvinus inferiorem Ungarie, contra Isac Rascie ac Mysie superiorem oram tuebatur. Alter Themesum, Synderoviam alter, gubernare. Hic consilio et virtute maior, ille audacia et calliditate potior ; laudis et victorie utrique par amor. Superiorem Mysiam et non mediocrem Dacie partem tenebat Isac. Ut gratiam ab Amrate longe maiorem iniret, sub quo munera queque maxima gesserat, ad propagandos hic imperii fines omnes animi nervos intendit. Albanum agrum, quem Taurini quondam incoluerant, vastare statuit, ut coloni desperatione adacti emigrare cogerentur et Albam demum, quam imperator expugnare non poterat, ad extrema redactam occuparet, quo facilius deinde Pannoniae adoriretur. Quacunque potest, arte Corvinum suis consiliis obstinatissime adversantem sollicitat ; modo in eius provinciam excurrit, modo varias, dum predari cupit, insidias intendit. In vias omnis consilia versat, quibus prudenter fortissimum fortissimumque hostem circumveniat. Albanum 392 igitur agrum imprimis adoritur, pagos diripit, incendit, ingentem hominum pecorumque predam abducit. Populata circum regione suburbana invadit, unde egre electus est. Cum circum late longeque igni ferroque grassantem Corvinus equo animo tolerare non posset, coacto clam valido equitatu nonnullisque cohortibus et accito collega suo Nicolao Uylaco Danubium traiecit et inter Albam et Synderoviam castra posuit septuaginta stadiorum intervallo seiunctas. Ocurrat exemplo Isac audacissimus cum ingenti copiarum multitudine, ne laccessitum tot iniuriis et occusionibus hostem reformidare videretur. Data pugnandi copia prelum detrectare non ausus extemplo in medium instructam aciem educit ; id ipsum quoque facit Coorvinus. Imprimis duas vexillationum alas intendit ad utrumque c^rnū, posthec cataphractos equites collocat, quibus hippobalistas subiicit, in medio agmine milites gravis armature, ferentarios sagittariosque statuit cataphractorumque munit equitatu, subsidia his fortissima subnectit, presidium etiam statuit validissimum. Mox 398 pugne signum dari iubet ac ea mente certamen adoritur, ut aut gloriosam victoriam aut pulchram mortem tandem sortiatur. Collatis 399 ubi signis concursum est, gravis et cruenta pugna conseritur ; cum ingenti clamore Turci pugnam ineunt, quam si non bene succedere sentiunt, mox prelum detrectant ; ale ab his continuo inclinate. At, ubi ad cataphractos perventum est, eorum impetus illico sisti 400 cepit ; pertinacter hic aliquamdiu utrinque pugnatum. Oppetiere hinc 401 et inde multi, sed, cum hi robore, agilitate illi obniterentur, in confertissima pugna Turci proteruntur. Oritur hic magna cedes, quam 402 cum Isac intellexisset obstinatoresque Ungarorum animos in horam fere conspicaretur, Synderoviam versus fugam rapit, ut sue ac ceterorum, qui superfuerant, saluti consuleret. Vertente terga duce id 403 ipsum reliqui fecere. Contra a tergo instare Ungari, Ioannes pre ceteris ocios insequi, multos in fuga cedere, exemplo suo ceteros hortari, optimi imperatoris ac fortissimi militis uno eodemque tempore officium prestare. Ad Synderovie usque suburbia petitus est 404 hostis ; pauci e Turcis evasere, ceteri paitem capti, partim trucidati

sunt. Impedimenta et multa hinc relata sunt spolia. Corvinus tandem insigni victoria potitus cum ingenti preda et captivorum numero Albam rediit et cumulatas pro illatis iniuriis a Turcis lunc penas exegit. Isac pregustata Corvina virtute in posterum se longe modestius egit. Magna hinc nominis Ioanni fuit accessio, nam, ubi de Turci clade Bude significatum est, ne parva quidem omnes' letitia incessit imprimisque Wladislaum regem, qui acceptis de Victoria litteris diis immortalibus repente supplicationes instituit longaque Ioanni epistola congratulatus multis laudibus amplissimisque donis ad continuandum hoc bellum plane succendit. Hinc ille maiores extemplo animos concepit, quod eo lubentius facere videbantur, quia tam sanctam expeditionem sortitus erat, qua non modo fortunarum incrementa perpetuamque apud posteros immortalitem, sed solidam animi beatitudinem hinc sperare fas esset.

LIBER V.

Dum hec in inferiore Pannonia Mysiaque geruntur, Bohemi quoque fluctuare non desinunt. Postquam Georgius apud eos principatum adeptus est, tantum sibi virium conflavit, ut e proceribus nemo publice privatumve huic auderet adversari, quin et senatoribus formidolosa viri potentia libere loquendi potestatem ademerat. Quisque hunc vulgo laudare, approbare certatim eius gubernationem, item publice assentari, omnia ad nutum eius facere, demum impensius orare, ad Cesarem oratores mitteret, per quos pupilli tutelam impetrare niteretur; nihil ad hec fore reipublice salubrius, quam hunc fieri gubernatorem, immo perpetuum dictatorem; que si Cesar abneget, dicere nil ultra cunctandum, quin regem alium creandum current; regnum tante molis absque rege optimove gubernatore, cui summa reipublice tradatur, esse non posse; huius dumtaxat temporibus procellas publicas desedisse. Hec Georgius quamvis ingrato haud parum animo acciperet, assentanti tamen populo, cuius auram affectarat, obstinatius adversari et ista confutare non poterat, ne popularia a se studia declinaret. Ad Cesarem oratores misit, qui, cum mandata diligenter exposuissent, nihil impetrarunt, quin etiam id ipsum multis legationibus a Bohemis postulatum nunquam impetrari potuit. Veniebant sepe ad Cesarem nonnulli e Bohemis optimates, qui sub officii pretextu visendi pupilli gratia Cesaris aulam frequentabant imprimisque Georgius, cui Giscire cognomen erat, qui non multo post tempore Ioannem Corvinum insigni clade fugarat. Polonus sepe Cassiovianum agrum invadentes acie fuderat adverseeque factionis Ungaros magnis cladibus et detrimentis affecerat. Is, ubi in Ladislai conspectum admissus est, in lacrimas confessim effusus manum infantis prereverenter apprehendit et exosculatus, Video te tandem, inquit, teneoque, mi rex exoptatissime, quem nondum hec etas spectatissimam tuorum fidem agnoscere patitur. Utinam, que pro te pericula subivi, quibus me laboribus exposui, quot adverso pectore vulnera toleravi, et cogno-

scere et amorem tui militis intueri posses. He testimonio cicatrices ¹⁰ sumpia. Quam tibi nunc et patri quondam tuo vitam devovi, in tuo universa servitio expendetur. Nullum periculum, nulla vis et ¹¹ fortuna meum a te animum abalienabit, servitutem meam sola mors intercipiet. Tu autem, domine, que dicimus, per infantiam non ¹² intelligis, subrides tanquam et intentus audis. Veterano tandem militi tot laboribus iam effeto que premia polliceris? que stipendia solves? Ladislaus ad hec nondum sextum nactus annum, ne indo- ¹³ natum militem dimitteret, huc et illuc oculos obduxit; Ioannis, qui erarii questor erat, loculos raptim apprehendit et sex, quos ibi numeros invenit, non sine multorum, qui aderant, principum admiratione depromptos Giscre dono dedit. Fausta infantis indoles hec ¹⁴ prima future liberalitatis signa edidit. Giscra susceptos cum maximo plausu nummos aurata et gemmata bulla reconditos sibi e collo suspendit atque id regie gratitudinis monumentum perpetuo gestavit. Quare diu inter Cesarem et Bohemos de Ladislai tutela laboratum est. Sed interea, quid in Ungaria belli gereretur, considerandum est.

Despotes Georgius Mysia a Turcis exactus post Sigismundi ¹⁶ mortem ob gravissimas Pannonie discordias cum Lazaro filio ac fortunis omnibus Ragusium se receperat ratus in libera se civitate libere victorum. Multum secum auri gemmarumque portarat, quando ¹⁷ opulentissimo auriferoque regno diu quiete potitus erat. Quinques centena aureum milia in Ragusinorum erario, quo tutius asservarentur, recondidisse ferunt. Cum veluti e naufragio in portum se ¹⁸ huc confugisse intelligeret, securam vitam agebat otioque civili omnem regni iacturam facile consolabatur. Dum in hac tranquillitate ¹⁹ versatur, ecce ad senatum Amratis littere mittuntur, quibus Ragusinos hortatur oratque, ut Georgium sibi tradant, eius opes fortunasque retineant; nil preter hominem aliud exposcit, ut cum filiis et regno patre quoque potiatur; pro beneficio perpetuum se cum Ragusinis otium fedusque continuo initurum pollicetur. Recitatis in ²⁰ senatu litteris, cum patres dicere sententias iubentur, unico omnes consilio barbari facinus abominantes nullo avaricie scelere Ragusine reipublice dignitatem incestandam esse censem neque hospitiis fidem cuiquam violandam. Georgium exemplo in senatum ²¹ acciri iubent, qui, cum ociosus affuisset, auditis Amratis insidiis confessim expalluit, quod cum senatores intellexissent, eum bono animo esse iubent, omni principem suspicione liberant. Cum se aliquantis ²² per ille collegisset, ne cuius cum profana gente belli auctor esset, propediem se abiturum esse recepit. Dismissus a senatu Hirenem con- ²³ iugem imperatorisque Paleologi sororem consulit, utro potius ad declinandas Turci insidias, an in Pannonias, an Constantinopolim fugiendum esse videatur. Hirena ad Grecos suadet, ad Ungaros ²⁴ contra, unde profectus erat et quorum olim fidem exploratam habebat, eius animus hortabatur. Filiorum cecitatem nondum accep- ²⁵ rat, quos Turcus non modo captivitate, sed perpetua quoque cecitate multaverat. In Ungariam tandem regnante Wladislawo reversus ²⁶

opes secum cunctas relulit ratus Pannonicis, ut obtigit, auxiliis amis-
sum se regnum facile recuperaturum. Venit in Pannoniam et in sua ²⁷
oppida, quibus a Sigismundo quondam donatus erat, se recepit.
Ad Wladislauum, qui congratularentur obsequiumque deferrent, le-
gatos misit. Cum Budam paulo post ipse venisset, a Wladislao ²⁸
magnifice exceptus icto perpetue societatis federe a rege ceterisque
proceribus admodum observatur. Audita Corvini victoria sp s re-²⁹
cuperande Mysie redintegratur et in dies in tanto bellorum suc-
cessu, que prospere Ioannes agebat, augetur. Vix pauci menses in-³⁰
tercesserant, cum Turci in Transylvanis oris bellum instaurarunt, quod,
cum nimis memoratu dignum sit, rite referendum esse duximus.

Post superiorem Ioannis victoriam non multo post temporis ³¹
intervallo altera longe clarior in Transylvania provincia successit,
Turcus enim, cum duplicem in Albano agro cladem accepisset, ne
Ungaro cessisse videretur, cum optima legionibus supplementa re-
parasset, bellum in Dacia renovat. Mezetum ducem spectate vir- ³²
lutis et prudentie, item rei bellice laude non obscurum cum magno
exercitu clam per Transalpinam regionem Transylvanam provinciam
invadere iubet. Dux impiger primo tempore Mysia profectus tra- ³³
jecto Danubio imperata facit. Ex improviso Corvini provinciam ad-
oritur; quecunque sibi obvia sunt, proterit, diripit et incendit,
palantes mox omnia populantur equites in omnemque passim etatem
seviunt, tumullu et terrore omnia complent. Ioannes Corvinus, qui ³⁴
paucis ante diebus in provinciam venerat, audita Turcorum eru-
ptione, cum gravissimum validissimumque hostem nec inhibere nec
in tanta militem trepidatione cito cogere posset, angebatur misere
ac diversus trahebatur. Ad Albam tandem Iulam confugit, ubi Geor- ³⁵
gium Lepen episcopum summa virtute et gravitate virum veterique
secum benivolentia coniunctum esse noverat. Dum cum amico de ³⁶
tumultuario exercitu decernit, iam hostes appropinquabant, qui
lustrata maxima provincie parte tantum prede congesserant et tan-
tum hominum numerum in captivitatem plane contraxerant, ut
cunctatius iter facere cogebantur. Cum ex urbe circum incendia ³⁷
prospectaret, eo miserius ad pugnam succendebatur. Par quoque
pontifici erat animus, quando pietate, religione, vastatione agri
hosisque sevitia nimium cruciabatur. Quanquam imparibus Turco ³⁸
viribus occursum se uterque intelligeret, pulcherrime tamen mori,
quam provincialium cedes, calamitates et miserias tolerare maluit.
Ast, ubi in iras ambo excanduere, cum eo, quem pro tempore co- ³⁹
gere potuerunt, exercitu obviam prodeunt. Incauti pre nimia ulci- ⁴⁰
scendi libidine iter faciunt, neque speculatores neque celeres equites
premittunt, sed quadrato agmine ad divi usque Emerici villam per-
veniunt. Callidius rem hostis egerat, in proximas, que circumside- ⁴¹
bant, convallles equitatum dimiserat, insidias circum clandestinas
intenderat; cum ad insidiarum locum Ungaros pervenisse sensis- ⁴²
sent, qui in convallibus delituerant, ex improviso consurgunt, in-
gentem in eos impetum faciunt, quem tympanis et clamoribus iuxta
augent. Ioannes et episcopus spectata circum multitudine conster- ⁴³

nati, ne temere impuneve omnes occumberent, retro fugam rapiunt. Contra illi a tergo instant, quoscunque adhibent, capiunt et obtruncant. Ceteri fuga sibi salutem compararunt. Pontifex, cum palati ⁴⁴ omnes fugerent, pari se perniciitate servare contendit, ad rivum pervenit, quem dum transilire conatur, equo confestim excutitur et ab impeiente mox hoste obtruncatur. Hunc pontifex exitum sortitus est, ⁴⁵ ne martyrii palma careret; sui equites cum cetero peditatu incolumes se Albam recepere. Mezeti nimis animos eius fatum adauxit ⁴⁶ neque tamen Corvini fortitudinem depressit; alter tutius latiusque vagari et reliqua, que supererant, loca igni ferroque vastare pergit; nil ultra veretur, impedimenta ac spolia, que acceperat, cum ⁴⁷ curribus et essedariis seorsum servat, ut integra ad imperatorem in preclarum victorie monumentum referat. Alter interim oras provincie mira celeritate et cruento ense perlustrat, militem ex pagis oppidisque cogit, Scytulos arma capere iubet, pro communi salute paganos eque ac urbanos omnes publico edicto militare imperat. Necessitate adacti omnes iussa faciunt, ne cum liberis uxoribusque ⁴⁹ perditum eant. Turcum deinde populata provincia insolentius abeuntem cum tumultuorio insequitur exercitu, ut, ubicunque tempus locusve occasionem obtulerit, hostem intercipiat. Interea Mezeto nunciatur Corvinum cum ingenti multitudine non procul subsequi; hec illum nuncio respondisse ferunt. Veniat, inquit, et opulentiores quam antea victoriam relinquat. Aderat, cum hec dixit, quidam Ioannes ⁵¹ explorator et, quecunque subinde cum sociis Mezetus de ineundo cum hoste prelio decernebat, subaudivit illudque potissimum accepit Turcum suis imperasse, ut inita statim pugna, quibuscunque id negotii mandatum erat, Corvinum circumvenirent ac trucidarent, ut ceso duce facilis ceteri profligarentur; signa, quibus virum et equum dignoscerent, certa dedisse. Cum hec explorator auscultasset, ⁵² se clam subduxit ad Ioannemque recurrens rerum omnium eum admonuit atque illud imprimis, ut sibi precaveret, quando symbola sat explorata congruaque ipsius et equi haberet hostis; idque peculiare negotium veterane legioni mandatum, ut eum tantum trucidandum curaret. Edoctus vaivoda saluti primum sue animum intendit; presentaneum forte consilium occurrit. Erat sibi miles quidam e Cemenia nobilitate editus, cui Simon nomen erat, Corvino persimilis, alioquin vir fortis et impiger. Cum hoc equum armaque commutat et in validissimo statuit equitatu. Suppositus pro Corvino Simon periculum non detrectat et sue mortis conscius pro amico mori non recusat, ut fato suo liberatorem reipublice conservare videatur. Mox procedentem ille hostem sequitur et nunc a latere, nunc ⁵⁵ a tergo conserende manus occasionem querit. Antequam provincie ⁵⁶ fines attingat, in quodam vico ex improviso Turcos adoritur tantoque in illos impetu fertur, ut aciem disponentes continuo dissiparit. In valles collesque diffusi pertinaciter se convertunt, confuso bellum ordine geritur, multum ubique sanguinis hauritur. Sed, quando ⁵⁷ non par utrique bellandi causa fuerat, siquidem hi pro patria, liberi, aris ac focis, illi prede commodis allecti dimicabant, ex hoc

factum est, ut ne imparibus quidem animis viribusque pugnare vide-
rentur. Quanquam utrinque multi caderent, e Turcis tamen plures ⁵⁹
cedidere, dum pari utrinque pertinacia dimicatur. Turci spectate ⁶⁰
fortitudinis ex composito Simonem Corvina arma ferentem circum-
veniunt, quem dum trucidare contendunt, cataphractorum obfirma-
tum equitatu haud facile attingunt, quare penes eum multi oppre-
tiere. Demum, ut ducis mandata peragerent, cesis, qui Simonis latus ⁶¹
tuebantur, et intentis multorum in eum viribus tandem interficiunt
et spe sua falsi pro imperatore suppositum equitem trucidarunt.
Interea Corvinus hac et illac discursabat, socios hortabatur, ne im- ⁶²
minentem victoriam desererent, ne tot dudum cedibus incendiisque
grassatos hostes invitatos dimitterent; reputarent se inter pugnan-
dum in suis dextris liberos et uxores habere, divum hominumque
iniurias uno bello ulcisci oportere; modo nutantes confirmare sub- ⁶³
sidiis, modo fugientes in prelum revocare et imperatoris eque ac
miliis optimi officium implere nititur et, prout res ipsa postulabat,
utroque fungi. Commutatio armorum cum patrie tum sibi salutem ⁶⁴
attulit; si exploratoris consilium contempsisset, eo die de provin- ⁶⁵
cia fuisse actum. In ardentissimo bello, cum ex altera parte for-
tuna parum variare videretur et extremis utrinque viribus pugna-
re, provinciales, qui ad Emerici villam capti fuerant et in castris
servabantur, cum mori quam in servitutem abduci mallent, rali eo
tempore non ultra cunctandum fractis vinculis in Turcos arma su-
munt, intestinum prelum ineunt, custodes obtruncant, mox in pu-
gnam animosius prodeunt, suis animos addunt adimuntque hostibus.
Turci, qui amissa dudum spe victorie ad tutanda corpora animos ⁶⁶
converterant, intellecta captivorum seditione sevoque certamine sen-
sim et gradatim inclinantur, contra illi aspirante paulatim fortuna
multo vehementius certamen instaurant et audita captivorum virtute
obstinatissime certare contendunt. Dum laborantem ubique suorum ⁶⁷
aciem Mezetus intelligit, consternatur animo et, cum anceps aliquantis per duceretur, partim inclinatas, partim fugientes subinde
kopias conspicatur. Ad hec omni spe destitutus, ut saluti consuleret, ⁶⁸
ipse quoque in fugam cum equitatu suo convertitur. Seviunt a
tergo Ungari et palantes cedunt. Mezetus cum filio, dum spem om- ⁶⁹
nem in fuga collocat, intercipitur obtruncaturque; sociorum innu-
mera multitudo ceditur. Cum rumor cum filio Turcorum ducem ⁷⁰
esse cesum effunderetur, redintegratis in perniciitate viribus stragem
adaugent. Corvinus tandem insigni Victoria potitus, quamvis hostem ⁷¹
recuperata preda castris et impedimentis exuerit, ut ad internecio-
nem cedere videretur, nihilo tamen segnus ad Alpium usque iuga
diebus aliquot eos insequitur. Multi in longa fuga deprehensi ac ⁷²
cesi sunt, quin et prandente sepe duce adducti in medium Turci
et gladio certalim a militibus diserpti. In Alpibus ad insignis vic-
torie monumentum tropea statuit. At, postquam ovantes omnis in ⁷³
castra rediere, cum maximo plausu Corvinus excipitur, captivorum
multitudo ad eius genua provoluta in agende gratie speciem pe-
des amplexatur; aliqui patrem patrie, liberatorem provincie, non- ⁷⁴

nulli milites invictissimum imperatorem, captivi libertatis vindicem, mulieres servatorem pudicitie, pueri et adolescentes parentem pienissimum appellare; nulla tamen in tot faustis cognominationibus vox audita, que merito omnium iudicio virum illum sanctissimum 75 non addecere videretur. Contra ipse profusis lacrimis omnes amplexari, congratulari publice saluti, modo divine benignitati ingentes ex corde gratias agere et supplications oppidatim edicere, modo robur militum et populorum virtutem obsequiumque laudare, proborum sigillatim fortitudinem predicare, extollere magnanimitatem nobilium et singulorum in preclaro bello gesta commendare. Turcorum spolia partim diis immortalibus dicavit, partim militibus 77 distribuit. Christo denum optimo maximo ut immortales gratias in supplicationibus agerent et apud omnes aras rem divinam facerent, impensis provinciales admonuit; e manubiis non multo post tempora in provincia statuit. E Turcis XX hominum milia cesa sunt, ex Ungaris tria circiter desiderata. Tantum ex hac clara victoria Tran- 78 sylvanis animorum accessit, ut multos Turcum annos non expaverint. Illud quoque commodi non mediocris ex hac victoria provenit, nanque Valachi, qui Transalpinas oras Moldaviamque incolunt Getarum olim regionem et a regum Pannonie fide desciverant cum Turcoque fedus iniverant, ad pristinum omnes obsequium Corvini opera et auctoritate rediere, quod Amrates Turcorum rex tam egere tulit, ut nunquam quieverit, donec longe gravius in Dacia, quemadmodum infra referetur, bellum instaurarit. Ioannem insuper Corvinum aiunt, ne tam insignis victorie primitiis et parte 80 legitima prede regem defraudare videretur, amplissimum capilibus hostium et exuvialiis militaribusque signis currum onerasse, Mezeti filiique caput in fronte, super hec senem quendam Turcum despoti olim notum statuisse; eum denique currum onerarium fuisse, quem vix decem equi traherent; misisse hunc ad Wladis- 81 laum regem Georgiumque despotem, qui ubi in conspectu constituit, senem ex mandato hec verba fecisse memorant:

Corvinus servus maiestatis tue fidelissimus et despotis filius 82 hanc e parte nuper victoria prede partem, rex optime, mittit, ne te belli tuis gesti auspiciis honore defraudet. Hec Asiaticae nobilitatis capita, que in curru spectatis, vobis dono dat, ne insignis victorie testimonio careatis. Hec sunt duo principum capita, alterum 84 Mezeti ducis, filii quoque alterum, cetera prefectorum nobiliumque, que Phrygia pilea honestabant. Hec stragis nove magnitudinem te- 85 stantur; hortantur ad maiora cepta, quid pro ingenita pietate religioneque regie maiestati sperare liceat, et, quanta immortalitatis et glorie occasio offeratur, hinc omnes considerate. Ad sanctam salutaremque militiam, per divum hominumque fidem vos Corvinus hortatur oraque, ut supplications indicantur et ad hoc bellum ingens reparetur exercitus, quando Turcum extremas vires tentaturum et in tante cladis ultionem omnia moliturum omnes hariolantur.

Cum dictis finem fecisset, truces tabificosque vultus ostendit; 87 circumspitant et admirantur proceres ceteraque turba. Rex impri- 88

mis et despotes Corvinam virtutem et fortunam stupidi contemplantur, rem omnem ex litteris ordine cognoscunt, miris laudibus Corvinam victoriam extollunt et predican, certatim uterque commendat Romanoque triumpho dignum fatetur. Rumor hanc cladem statim in Germanos et Turcos effudit, vagatur mox per Italiam et hunc unum Christiane reipublice vindicem his populi temporibus futurum arbitrantur. Pontifex maximus sacrosanctusque senatus, qui Christiane reipublice nimium timere cogebatur, quia Greciam, Epirum, Macedoniam, Mysias et magnam Illyrici partem a Turcis occupatam esse senserat, spem in Corvinum universam confert, hunc Christiane reipublice propugnatorem maximum fore auspicatur. Per universam tunc Europam Corvina virtus effunditur et omnium hunc Corvinum gesta superaturum quisque manticinatur. Wladislaus igitur ob partam divina benignitate victoriam cunctis Pannonicis pontificibus supplicationes indixit, apud omnes aras rem divinam fecit; ad Corvinum oratores misit, per quos gratias egit, ducis fidem virtutemque laudavit, quibus potuit, muneribus virum honestavit exoravitque, ut pari initam expeditionem forlitudine sapientiaque prosequeretur, admonuitque se neque supplementis legionum neque armis, commeatisbus et percuniis unquam ei defuturum. De his hactenus.

Ad Giscram nunc redeundum est. Duplici rex bello vel formidolosissimo vexabatur, siquidem intestinum et externum misere Wladislaum distrahebat et, quanquam Celiae comitem Iaurini per suos milites deprehendisset, pacasset Strigonium et per prefectos duos Ladislaum Garam fudisset fugassetque, utrinque tamen pericula instaurabantur. Turcus in Mysia ac Dacia multa molitur, Giscra cum ceteris Bohemis, quos regina ad Zolium et Cassioviam collocarat, regnum late diripit vastaque. Quare per Sanoceum paulo ante evocanda Polonorum auxilia curaverat, que haud facile illi mittere videbantur, partim quia Tartarorum incursions reformidabant, partim quia Litvania in dies magis ac magis estuabat; aliqui, ne regnum exhaustirent, duo, quinque ceteri milia miltenda esse censorant. Dum hec e Sarmatis expectentur, Sanoceus, qui nuper e Polonia redierat, et Nicolaus Lassovianus cum plerisque Sclavorum nobilibus in Dalmatiam Corvatiamque mittuntur, qui nutantes populorum animos a regine partibus averterent et ad Wladislai fidem et obsequium revocarent. Id ne difficulter quidem illi prestitere, nam, dum vicos et civitates circumeunt, dum cognationis et originis eiusdem primordia communemque linguam referunt, dum benignitatem principis ac regiam libertatem pollicentur, non solum ad prestandum obsequium, sed ad impendenda in tanta necessitate militi stipendia Dalmatas adduxerunt. Ne pari quidem felicitate cum Giscra Ioannes Perenus ea tempestate se gesserat. Nam Giscra Scepsiensem agrum incursionibus et rapinis ad vastitatem pene redegerat; intercepserat Aperiascium, Scaruscium Clistichiumque nonnullaque oppida. Sed adactis cuniculis Clistichium occupat, quod in edito monte situm Cassiovie prominet, unde Giscrani, dum predatum egrederentur, cedes et incommoda non parva receperant.

Ioannes Perenus pro recuperandis oppidis irritam unius anni ope-
ram trivit. Regina igitur Ladislaus Garam a Corvino ac Nicolao 101
profligatum, ut exercitum in Polonum instauraret, impensius hor-
tatur multisque rationibus id suadere contendit; nunquam tamen
consternalum semel eius animum ad redintegrandum bellum sus-
citare potuit. At, ubi laurinum, quod adhuc postumi regis auspiciis 102
regebatur, pervenit est, paucis post diebus de Bohemorum sedi-
tionibus nuncii affuere, qui eos de creando novo rege agitare di-
cerent. Quare in Austriam properare coacta est, quam cum Ladislaus 103
sequeretur, a Frederico imperatore captus est et plurimi ab Ungaris
redemptus; quippe qui, cum virum instantissime repelerent, tanti
eum mercari coacti sunt, quanti Cesaris edixit avaritia. Petita in- 104
terea e Sarmatis auxilia advenere cum equitatu usque adeo insigni,
ut pre numero et apparatu singulari omnium Ungarorum animos
in admirationem sane contraxerint.

Wladislaus in sequentis anni principio, quamvis fame hiemis- 105
que sevitia laboraret Ungaria, acceptis tamen auxiliis de pacando
regno, quod imprimis apprime necessarium visum est, cogitare
cepit, ut hac re feliciter gesta expeditius universas vires conver-
teret in Turcos. Quare Buda prius in Giscram movit, ut occupata 106
ab hoste oppida recuperaret, imposta circum regine presidia de-
iiceret. Pannones autem non ab re veriti, quod et ipse quandoque 107
predixerat, ne rex, ubi finibus Polonie appropinquaret, abominatus
operosi regni pericula ad suos se reciperet, rumorem promulgarunt
reginam iam de concordia et Cesarem de restituenda corona cogi-
tare; item dicere melius esse reconciliatione quam bello regnum 108
pacare; ad expugnandam Cassioviam prefectos aliquos, prout res
ipsa postulat, esse relinquendos; regem, ne quis a Turcis impetus
ex improviso fiat ac ne quid aliunde mali inferatur, Budam redire
oportere, ut imminentibus periculis presto sit. Cessit tandem rex 109
Ungarorum consiliis, subsedit in itinere et, ut de pace ageretur,
op'imatibus edixit. Neque ignorabat ab expeditionis huiuscce prin-
cipio Cesarem admodum timuisse, ne repetende corone gratia in
se hec arma converterentur: de ea reddenda cogitasse et, cum in
Giscram bellum verti cerneret, a salutari cogitatione supersedisse.
Cum rex Budam revertisset, que vesaniente pestilentia laborabat, 110
continuo de pace agi ceptum; quam ubi ab adversariis rex asper-
nari intellexit, repente Cassioviam, ne quid frustra temporis tere-
retur, expugnari iubet. Id negotii Ioanni Galero datum; sat validus 111
huic datur equitatus et magna peditum multitudo; item mandatur,
ut cum Ioanne Pereno Chesmarchi prefecto se coniungat et com-
muni cuncta consilio consensuque agat. Ne minus quidem Gisca, 112
quid alii contra molirentur, ignorabat. Cremicie vectigalibus adiutus,
ubi nomismata sub postumi titulo ac nomine cudebantur, novos e
Bohemia milites plane conduxerat; hinc non parva exercitui sup-
plementa facta sunt, sed non ea, quibus hosti par esse in aperto
posset. Galerus Polonorum dux cum collega Pereno Cassioviam 113
obsidet; Gisca, ne artius obducatur, ex urbe in dies erumpit et

tumultuario potius quam statario ob virium iniquitatem bello certatur. Admovent circum tormenta munitionesque varias Poloni, ne ¹¹⁴ qua Bohemo erumpendi copia detur, et obsidio eo usque prorogatur, donec oppidani fame ac gravi annone charitate laborent. Ita ¹¹⁵ aditus undique fuerant intercepti, ut nihil commeatuum inferri posset; contra vero in castris ita obsidionis fastidio milites affecti sunt, ut sensim quamplurimi elaberentur. Invitabat ad solvendam ¹¹⁶ obsidionem Bohemicorum presidiorum incursus, que a tergo Polonorum castra quotidie graviter infestabant, quin et crebris incursionibus Chesmarchum oppidum ad defectionis consilia redegerant. Soluta igitur Cassiovie obsidione Galerus cum collega Pereno Ches-¹¹⁷ marchum contendit, ut oppidum in fide servaret; at irriti fuere conatus, quando pridie, quam eo pervenisset, Giscrani per proditionem oppidum occuparunt. Nicolaus Perenus, cum turres adhuc aliquas ¹¹⁸ cum presidiariis pertinacius retineret, a Polonorum tandem subsidio destitutus inde delurbatus est. Mox Podolinum, cui Nicolaus ¹¹⁹ Comorocensis cum presidio regio preerat, ab Giscranis graviter op-
pugnari ceptum.

Cum Elisabetha Cassioviam obsidione liberatam accepisset, ¹²⁰ fausto elata nuncio Pisonium propere contendit, quod adhuc in postumi fide permanserat. Arcem Stephanus Rosgonius cum pre-¹²¹ sidio regio firmatam tuebatur. Arcis oppugnationem adorta et difficultate deterrita subinde destitit, militem in Ternavianum agrum immittit, partim ut assidua preda copias aleret, partim ut Ternavianos a Wladislai regis fide cedibus et calamitatibus avocaret. Que ubi ¹²² regi nunciata sunt, exemplo Andream Taucinensem cum ingenti Polonorum et Pannonum equitalu Ternaviam mittit mandatque, ut urbem ab hostili incursione tueatur, Pisonianum agrum incurret ob sessamque arcem milite, commeatibus, armis et ceteris denique munitionibus obfirmet. At prefectus impigre mandata peragit; cum ¹²³ Ternaviam venisset, non solum hostium incursions inhibet, verum etiam Pisonianum agrum sic igni ferroque devastat, ut hi potius ob sessi quam obsidentes dici possent; omnibus arcem rebus, que ¹²⁴ usui fuerant, sane complevit, mox urbem quotidianis populationibus afficit, assiduis cladibus sic Alemanorum impetum repressit, ut Pis-¹²⁵ sonio amplius erumpere non auderent. Universas deinde vires hi ad expugnandam arcem convertere, turres circum erexere nonnullas, crebris tormentorum ictibus menia quatere eaque modo testudine, modo quovis alio machinarum genere perfodere, co minus adactis scalis vectibusque pugnare, rigente hieme eo vehementius instare alque, ut aiunt, nisi rex cum validis copiis Buda movisset arcique succurrisset, eo presidium regium redactum erat, ut prope diem ditionem facere cogeretur. Eius tandem adventu regina usque adeo consternata est, ut dimisso in urbe validissimo presidio Viennam repente se receperit. Wladislaus, cum novo milite, commeatibus, armis et munitionibus arcem iterum obfirmavit, Budam revertitur.

Eadem fere tempestate ne mediocris quidem Polonorum nu- ¹²⁸

merus nullo stipendio, sed magna in principem suum charitate compulsa Petro Odranansano duce in Ungariam penetrare nitebatur, obstabant Bohemi, qui montium angustias occuparant, sed difficultatem ingenium superavit. Nam, cum Poloni iuga negligenter 129 custodiri intellexissent, immissa per noctem et imbres validissima iuventute, que vi aditum aperiret, si opus esset, in Ungariam penetrarunt, mox continuatis itineribus Budam pervenere. Non sine 130 magna admiratione voluntariam militiam spectavere Pannones non solum numero, sed apparatu, fide ac studiis insignem; gratissimo hanc vultu rex admisit ac multis laudatam verbis bene sperare iussit. Paucis post diebus, cum se ex itinere recreasset, pacandi regni 131 gratia hunc exercitum, qui gratis stipendia faciebat, ad expugnandam Cassioviam misit. Demandatum sibi negotium forti animo 132 Poloni facere adorti incutiendi terroris gratia, quoscumque Bohemos capiebant, immaniter trucidarunt. Mox Tartaros Podoliam in- 133 cursare nunciatur, quare Odranansanum exercitu rex ad prolegendum regnum in Poloniā remittere cogit. Hi, cum data mis- 134 sione Agriam pervenissent, ab Agriensi pontifice lautissime sunt excepti, qui cum dies aliquot licentius remissiusque viverent, Talephus, qui presidii Cassioviensis prefectus erat, cognita hostium negligentia oblatam eo tempore occasionem haudquaquam pretermisit; per medium noctis silentium inermes, incautos sopitosque 135 adoritur, primo impetu currus diripit, in plerisque locis suscitat incendium, semisomnes multos obrunat. Coacti discusso somno Po- 136 loni Ungarie abeuntem Talephum insequuntur rati nocturni labore itineris defatigatos et onustos preda hostes celerius aufugere non posse. Petrum Odranansanum cum non mediocri Polonorum 137 manu captivum Talephus ducebant, quem Solome cuidam familiari suo sat explorate fidei custodiendum et in propinquum oppidum abducendum commiserat, mox extremis viribus cum hoste pugnandum premissis impedimentis esse decernit. Quare, cum se a Po- 138 lonis adhibitum esse vidiit, instructam in hos aciem convertit, acerrima pugna conseritur et aliquamdiu equo Marte pari utrinque spe pugnatum. Cum hinc et hinc multi cecidissent, Talephini longo la- 139 bore defatigati tandem vertere terga et palantes fugere occepere; instabant a tergo hi ac cesa magna manu predam recuperarunt. Talephus cum Australibus et Bohemis plerisque capitul Agriamque 140 perducitur; ceteri fusi fugati. Soloma Odranansanum sibi com- 141 missum in proximam Nicolai Zuderis arcem subtraxerat, qui paulo ante a rege defecerat; Zuder hanc nactus occasionem desperatis 142 regine rebus Odranansanum Budam perductum Wladislao restituit eoque beneficio defectionis veniam imploravit.

Iisdem fere diebus Aperiascium, quod negligentius custodiri 143 dicebatur, a Caica et Comorocense intempesta nocte capitul, quo- rum alter Brozoniziam, Podolinum alter cum presidio tenebat. Sed, 144 cum superiore die Bohemi circiter quinquaginta, qui ad Giscram undique copias congregantem, ut Richononam obsideret, profecturi erant, in oppidi captivitate incidissent, occupatis in Aperiascii po-

pulatione Polonis turrim quanquam munitissimam occupant ibique se acerrime tueruntur. Poloni propinquum Giscram veriti direpto oppido abiere. Huiusce rei admonitus Giscra Polonus preda onustos insequitur eosque haud difficulter fundit fugatque; Caica et Comorocensis cum multis aliis in hostium potestatem venere. Fugatis Giscra Polonis, cum oppidi prefectum captum haberet, Brozoniam sine mora obsidet; cum due ibi forent arces unaque humana arte conflagraret, ad alteram presidiarii confugere, que, ne pari incendio absumeretur, Giscre postero die ditionem fecit. Podolinum et Luboliam novo firmandam presidio Poloni censuere, itaque utrumque oppidum presidiario milite complerunt. Richononam Giscra castra movit acrique obsidione circumvenit, que, cum facile expugnari non posset, bellicas machinas admovit, aliquot mensibus, quacunque potest, omni vi arteque oppugnat, oppidanos ad ditionem per inediām redegit, quam desperatis Agriensis episcopi subsidiis illi salvis corporibus et impedimentis fecisse dicuntur. Post Richonone ditionem in sequenti die Agriensis antistes cum copiis affuit; prudentissimi uterque viri non temere dimicandum esse censuere; Bohemus tot bellorum prospere gestorum gloria clarus ac variantis fortune haudquaquam ignarus extrema tentare non audet; Ungarus e contrario discipline militaris inscius ac tumultuaris copiis parum fidens obsidione potius quam prelio hostem vincendum esse cogitat; quare haud inviti pugnam ambo detrectant. Interim de concordia agi ceplum est; per internuncios aliquamdiu res variis condicionibus agitata, deinde non modo pax fedusque perpetuum, sed affinitas cum utroque inita est. Agriensis episcopi neptis Giscre despontatur; multi hanc pacem dolis carere nequaquam dubitarunt, quando neque a regina fuit approbata neque in restituendis ultrinque captivis fidem Bohemi servavere. Quin etiam dimissis aliis Caicam et Comorocensem ex composito haudquaquam restituere voluere. Item in Scepusio post ictum fedus Gisca oppidum socii occupavit et, quoscunque regie factionis esse comperit, hostili more tractavit.

Intestina igitur Ungarie bella, que Christiane reipublice potissimum propugnaculum haud immerito esse censetur et Turcorum metus, apostolicum ita senatum eo tempore sollicitum habebant, ut, quamvis execrabilis schismate sacer ordo laboraret et pars una in Germania synodi Basiliensis auctoritate Felicem, contra Rome altera cardinei collegii decreto Eugenium pronunciasset, uterque tamen pontifex mittendum in Pannonias legatum esse censuit; Felix Alexandrum Tridentinum episcopum a Moscovie ducibus oriundum et idcirco Wladislao haud longius attinentem, Eugenius Iulianum Cesarinum cardinalem ea tempestate sapientissimum habitum misere. Cum utrumque rex ac proceres audivissent et Alexandrum de vero pontifice ac Iulianum de pace cum rege et regina impensis disputare intellexissent, dimisso altero cardinali pacis negotium demandatur, quando illum non ad captandum in pontificem favorem, sed ad veram regni salutem venisse noverant. Quanquam

variis legationibus ac eisdem quoque irritis sepe de pace ante agitatum esset, boni tamen viri operam, studium et auctoritatem in hac re minus aspernandam esse censuere. Aderat mite et quietum regis ingenium iustitie pacisque studiosissimum et ab intestino bello regnique exitio nimis alienum. Ad reginam profectus omnium concordie commodorum bellique incommodorum admonuit idque superiorum malorum experimentis approbavit; adiecit imbecillitatem sexus, condiciones impares, nutantia populorum studia ac initiam Giscre cum Agriensi pontifice affinitatem, cui plurimum confidebat; item infantis postumi conditionem et pericula, que si qua fortune validitudinisque iniqitate e medio surriperebatur, omnes amici, ne ad orbitatem regnum redigi videretur, continuo ab ea deficerent; duas filias, quas adultas haberet, sua fortuna destitutas faceret; e contrario ad pensandas hostium vires hortabatur, qui multo plus opibus, milite, armis, equis, comeatibus, et duce iam posse viderentur; maximas esse Polonorum Ungarorumque facultates et, quando cum muliere ac infante his bellum est, multo in diem fore maiores; si semel eius exercitus profligetur, nunquam amplius instaurari posse, Wladislao duplici regno potito nunquam vires, pecunias et supplementa defutura; oportere tempora conditionemque rerum ubique metiri neque ambitionis privatisque affectibus quandoque tantum indulgere, ut communis salutis parum consulere videatur; habendam esse Ungarie rationem, quippe que, nisi hoc bello intestino liberetur, a Turcis propediem inundabitur et capto hoc reipublice Christiane propugnaculo reliqua in Turcorum diccionem brevi tempore perventura; precavendam nimis esse tanti mali infamiam et quotidie ante oculos imminentia orthodoxe fidei pericula obversari oportere, ne, dum incertas in infante spes collocatas pertinaciter tueri contendit, universa perdere videatur; quod, si tanti mali auctor habeatur, deum vindicem continuo affuturum; proinde, postquam prioribus ipsa conditionibus, ne postumum tot regnis defraudare videretur, stare noluit, multo satius fore, si duas filias viro tempestivas, alteram Wladislao, Casimiro alteram coniugandas esse censeat; inter marem et feminam in parentum charitate preter sexum nullum esse discriminem.

Ad hec regina satis se suas hostiumque vires pensitasse respondit; bellum se invita initum fuisse ingenue se fateri; ob sciti ac elegantis postumi charitatem se pactis conditionibus stare nequivisse, ne avito paternoque regno filium defraudaret; neque Ladislao deum innocentie ac equitatis vindicem abfuturum; insuper se Ungaros spectate fidei relinquere non posse neque, quantum promulieris ingenio fieri potest, se fideli unquam Pannonie defuluram neque, si qua pacis ratio inveniri potest, bellum improbe alituram; illud sibi demum certum esse malle vi regnum amittere, quam desidia, metu ignaviaque dimittere. Commendavit regine animum legatus, quando plus virilis quam feminei referre videretur ingenii; sed, ubi pacis iura non recusare cognovit, continuo de concordia agitari ceptum. Cum multe utrinque in medium condiciones affer-

rentur multoque repudiarentur, ut res pro utriusque dignitate videretur eque tractari, ad hec tandem pacta regina redacta est, quando paulo minus filiarum quam infantis cura angebantur. Concordie leges he ad Wladislaum a legato scripte sunt: Reginularum altera Wladislaou, Casimiro Litvanie duci altera uxor esto. Casimiro centum et viginti aureorum milia, Wladislaou Slesia terra sub ducentorum milium nomine dotis gratia penduntor. Regina post initam affinitatem Slesie cedito eique, si unquam facultas fuerit, redimende provincie ius esto. Quod ad Ungariam vero attinet, Wladislaus posthac regio sese titulo abdicato, procurationem autem et tutelam ad integrum usque postumi etatem retineto, deinde regno cedito. Si postumus forte interim vita decesserit aut regno potitus sine liberis diem obierit, Wladislaus omne regni ius titulumque resumito. Rependendorum denique sumptuum gratia, quos in hoc bello rex erogasset, Scepusiensis ora Polonie regno perpetuo addicitor. Si quod in Podolia et Valachia ius Ungaris superesset, id omne Polonis ipse resignato.

Allate concordie leges regni principibus recitate significanteque sunt absentibus. Proceres diversa sensere et pro suo quisque animi libidine varias dixerunt sententias. Corvinus, qui domi otium et foris bellum semper amaverat, cum provinciam Turcorum metu relinquere non posset, suam litteris sententiam significavit, quarum summa hec erat, si eque concordie condiciones offerentur, nullo modo recusandas, ut pacato regno tutius in Turcos expeditio susciperetur; nil communi concordia salubrius excogitari posse; sin autem minus, forti externa et interna incommoda animo toleranda ac potius extrema queque pericula subeunda, quam pati, ut regnum, quod sat amplum a maioribus acceperint, iniqua pacis condicione minuatur; nihil regno neque ad prestitum tempus neque perpetuo alienandum; nil Ungaris turpius futurum, quam imperium antiquorum exemplo propagandum per negligentiam et pusillanimitatem in dies diminuere; si bellum cum regina continuetur, unde facilis concordia sperari potest, minoris constitutum, quam hec efflagitata concordia, quam tanti per nobilium regni membrorum alienationem commercentur. Quare legatus ad reginam rursus immutatis quibusdam conditionibus abiit rediitque et, cum quotidie nove utrinque condiciones exposcerentur, id tandem Iulianus impetravit, ut Wladislaus Iaurinum ad reginam proficiseretur, quo per colloquium facilius pax inter utrinque transigeretur; ne inscius quidem erat, quantum presentia mutuusque sermo valeret. Princeps autem ille optimus, ut communi quieti consuleret, Iaurinum concessit; eo cum venisset ad colloquium, in primo congressu multe ultro citroque querele purgationesque interiecte sunt. Bellum, etsi contra iustum et fas, necessitate tamen quadam utrinque initam confitentur. Mox de concordia diebus aliquot agitatum, que, anne inter eos confecta fuerit, nil aluin argumentum ostendit, quam in digressu magnifica, que utrinque data fuere, munera et rumor effusus, qui Elisabetham propediem Budam descensuram esse nun-

ciabat. Is haudquaquam falsus fuit; paulo post regina cum honestissimo, ut ferebatur, equitatu Budam venit, ubi, posquam Celie comes postero die carcere emissus est, in quo a captivitatis die ac initio belli diligentissime fuerat asservatus, de promulganda pace agitatum est, que in sequenti die promulgata incredibili omnium animos letitia sane complevit, mox de pacis condicione id precipue passim est mussitatum datam super hoc utrinque fidem Wladislaus in Ungaria libere imperaturum, si modo aut precario aut vi sacram cum postumo corōnam a Frederico reciperet, qui secundum Alberti obitum pupilli patrimonium parum probe in Austria curare dicebatur.

Compositis Bude rebus Iaurinum regina se recepit et post triduum ventris repente correpta torminibus humanis excessit. Mors 184 veneni suspicione non caruit, quam insecutus Wladislai dolor, quantum evidentibus signis coniici poterat, prorsus abrogare videbatur; eius enim interitum dies aliquot rex egerrime tulit et, si quando 185 eius forte mentio haberetur, lacrimis abstinere non poterat neque ignorabat eius interitu fedus omne pariter interitum. Et illud quotidie oculis obversabatur desperatum regni otium Bohemorum inconstantia, qui nihil bello vehementius appetunt et regina vita defuncta ad Cesarem cum universis presidiis oppidisque, que in Cassioviana provincia tenebant, continuo defecere. Hi nanque veluti 186 canceribus ac vinculis emissi in regios pagos et oppida erumpunt, populationes ac cedes instantur, multo ferocius quam antea seviunt; intestina mala redintegrantur. Neque Cesar his pro dignitate malis 187 moderari videbatur; postumum asservabat diligenter et Bohemos iuxta atque pupilli vindices late longeque ferro ignique grassari patiebatur neque rapacissimum genus hominum et quod parvo vel nullo stipendio ibi retinebatur, sine vi et populatione teneri potuisse. Contra illud Wladislai dolorem haud parum levabat, quod ex 188 Ungaris multi, qui adverse factionis erant, extincta regina ad regiam fidem et obsequium rediere, unde non parva Poloni viribus facta suit accessio. Accedebat Giscre affinitas, quam cum Agriensi 189 pontifice nuper iniverat, qua Bohemorum animi se remittere occiperunt, et eos mite Cesaris ingenium otii semper cupidum nimis a solitis incursionibus absterrebat. Itaque intestina mala opinione celerius imminuta sunt.

Dum hec a rege Wladislaeo ita geruntur, Ioannes Corvinus et 190 Nicolaus adversus Turcos regni fines impigre tuebantur; hos deorum benignitate tempestate illa datos omnes arbitrabantur, qui labantes res Pannonicas tuerentur, imprimisque Corvinum, qui temporibus illis Ungariam mira felicitate tutatus est. In crebris Turcorum incursionibus tumultuario nunquam prelio dimicatum est, quin hostem graviter inflixerit, fuderit et fugarit, necubi congressus est habitus, ubi dena saltem non utrinque milia constiterint. Ubique demum fausta quadam fortune dexteritate ita pugnatum, ut 191 nil Corvino vehementius tunc profanus hostis reformidaret. Quin 192 et in Turcorum provinciam sepius excussum, unde multis cesis in-

gens preda est abacta. Locupletatus est admodum hoc bello ipsius exercitus. Ex his unum tantum insigne bellum silentio preferiri sine invidie nota non potest, quod cum basseo quodam Turcorum clarissimo, cui Sciabadin nomen erat, gestum est. Amratem ferunt tot clades a Corvino illatas vel illud maxime, quod Moldavie et Transalpine principes a sua fide ac federe reglutinarat, diutius tolerare non potuisse; expeditionem ergo maximam in Valachos et Transylvaniam Corvini provinciam parat, delectissimum e militibus peditatum, quem ianizarorum appellant, cum innumera equitum multitudine et presertim vexillationum cogit, legiones, quas in Europe provinciis habebat, fere omnes accersit; adiiciuntur his auxilia, que socie Asie ac Europe civitates iure federis misere. Octoginta milia hunc exercitum fuisse, quod haud facile fides admittit, plerique et, qui his affuere, Ungari prodiderunt; basseoque spectate virtutis ac fidei hoc belli negotium demandatur. Turcos nova moliri Corvino nunciatur, ipse quoque in provincia delectum habet, tres circiter legiones cogit, in cataphracto spem omnem ponit equitatū; ne parum quidem provincialibus et precipue Scitulis confidit. Basseum cum in numero propediem in Daciam traiecturum exercitu rumores differunt. Post imperatorem apud eam gentem bassei supremum locum tenent et, ubique agant, imperatoriam potestatem gerunt. Huic ab Amrate mandatur, ut prius Transalpinam adoriatur et, quacunque potest, sevitia Valachum, qui a societate sua defecerat, ulciscatur; easdem a Moldavis perfidie penas exigat, qui Corvini opera icti federis iura violarant; deinde in Transylvanos effusis viribus et extremo nixu irruatur, ut illatas tot a Corvino clades cumulatissime vindicet et cesorum olim sociorum manibus abundantissime exolvat inferias. Basseus imperata curans e Macedonia castra movit hominum circiter octoginta milium, per Mysiam iter faciens in Danubii ripa consedit, ad parvam Nicopolim traiiciendas copias curavit; aliquot in traiiendo dies ob innumeram multitudinem absumperit. Quare in utraque ripa aliquamdiu stativa habuit. Hinc vehemens Valachos metus incessit; ingenti cuncta trepidatione tumultuque complentur; ad Ungarorum fidem Valachos rediisse penitet, quam ob Turcorum vicinitatem commode tueri posse diffidebant. Ioannes contra Valachorum utranque provinciam bene sperare iubet, mandat, ut in tutiora se loca recipient, profano furori nequaquam obstent, si vires non suppetant; se hosti forti animo occursorum esse recipit; neque robur neque numerum reformidatum, Christum sibi sociisque optimum maximum orthodoxe fidei vindicem nunquam abfuturum affirmans, cuius prepotenti numine se fretum propediem a fede gentis periculis vindicaturum esse pollicetur. Si qui plus equo timent, ad sua castra configere precipit. Turci basseo duce in Transalpinam Valachiam, que proprius occurrebat, castra movent. Mox fines ingressi geminis exercitibus sic longe lateque per cuncta excursant, ut armis et incendiis pagos et castella parum munita vastarent; res ac pecora rapiunt, homines, quoscunque offendunt, plane trucidant, mulieres ac pueros senesque pari-

ter obtruncant; nulla in sexum etatemque commiseratio habita. Va- 210
lachi ad hec, in montes alii se recipere, pars remotius fugam ra-
pere, in munitissima nonnulli oppida concurrere; in manus hi tan-
tum hostium incidere, qui se negligentius asservarunt. Cum supe- 211
ratis Alpibus Transylvanie finibus appropinquassent, Corvinus ne-
quaquam animo consternatus cum quindecim milibus tantum ho-
minum Turcis occurrit et ea quidem mente, ut mori quam cedere 212
malit. Basseus, qui viri nomen et fortunam perhorrebat, ubi eum
cum exercitu proprius occurrisse per speculatores accepit, ferociam
remisit et cautius agendum esse censuit, aliqua prius arte tentan-
dum ducem putavit, ut Turcorum mos est, uti, quibus potissimum
modis hostem circumvenire possit, intelligat, quare aliquantis per
substitit, ut eius audaciam et virtutem inspiceret. Exploratores re- 213
tulere hostes ne quartam quidem partem Turcorum equare posse,
verum equitatum his esse longo agmine coruscantem, qui non parvo
negotio superari possit, quando non minus celeribus turmarum alis,
quam actuariis curribus hostem circumvenit; quod, si res minus 214
prospere venerit, intra currum septa se recipit atque inde dispositis
munitionibus pariter ac muro se acerrime tuentur. Eodem modo 215
castra munit, ut nullas per noctem insidias repentinque im-
petus reformidet. Stupet Corvini audaciam et rei bellice disciplinam,
suorum tamen numero confidit. Cum ad quinque milia passum prope 216
convenissent, quamvis utrinque prelium minime detrectaretur, uter-
que tamen spe magna victorie fretus rem non temere agendam ex-
istimavit; ad suum uterque configubiebat ingenium, ut aliquid in tanto 217
congressu artium excuderet. Turcus gradatim certandum et servan-
dum in pugna ordinem censebat multitudine fretus vel, si id mi-
nime concederetur, numero circumveniendum hostem esse cogita-
bat ibique defatigatum ad extremum innumera multitudine obruen-
dum. Contra ille id primum iubere suos, nemo locum ordinemque 218
deserat neve ab hoste scindi ac dividi patientur. In sequenti die, 219
cum ad locum, quem Vascapum dicunt, convenissent, utrinque acies
prima hora diei educi cepte sunt; multum temporis ad disponenda
octoginta hominum milia Turci opus erat; ne parum quidem Cor-
vina virtus et diligentia exposcebat. Imprimis instructis agminibus 220
convocatis prefectis legionum, tribunis militum et centurionibus
universis hec verba fecit:

Nulla, mihi credite, audacia, socii, tante multitudini me occur- 221
rere per pulisset, nisi ipsa necessitas adegisset, vestra fides ac vir-
tus hortaretur, quam diu exploratam habui, et imprimis Iesu Christi
numen clementissimum inspirasset, qui nos in sacram militiam suam 222
optavit suumque nomen vestra dextera vindicari voluit. In hac pre-
stantis militie evocatione, quantum vos dilexerit, considerandum est
et immensa hinc benignitas salvatoris pensitanda. Tria nobis hodie 223
commoda, si viri, qui olim fuisitis, iidem hodie esse volueritis, deus
ipse proposuit, quibus nihil maius appeti posset. Imprimis libero- 224
rum, coniugum patrieque salutem cum fortunarum incolumitate con-
iunctam, deinde perpetuam huiusce seculi gloriam et eternam feli-

citatem vobis nunc expositam esse scitote. Quot a Turcis olim in-²²⁵
 cendia, calamitates et mala acceperimus, utinam vobis audivisse
 potius quam spectasse et pertulisse licuisset. Iam diu liberis et uxo-²²⁶
 ribus careretis, quos misera servitus obruisset, neque focos et aras
 haberetis, ubi inhabitare et sacris operari valeretis, nisi pientissi-
 mum salvatoris numen et vestra indomita virtus presto affuissent
 neque patria bonisque frui neque fungi honoribus neque libertatem
 retinere videremini, nisi sanctissima fides et animi vestri magni-
 tudo ac robur spe divina firmatum hec, que diximus, omnia vobis
 integra conservassent. Iam immanis Turcorum furor in suam po-²²⁷
 testatem omnia redigisset, nisi vestris hec armis vindicata forent
 et tot ille cladibus repressus esset. Is necubi coerceri potuit; non²²⁸
 Greci, non Macedones utrique quondam rerum potiti, non Thra-
 cum audacia, non Mysorum robur, non Epirus et Illyricum ho-²²⁹
 rum vires retundere potuere. Athenienses, Thebani, Lacedamones,²²⁹
 qui prisce militie auctores habentur, his ultiro cessere. Nobis di-
 vinitus hec laus et ingens victorie gloria delegata est, qui parva
 sepe manu et quandoque incauti ab his circumventi totiens insigni
 strage confecimus, fudimus fugavimusque. Atque nullum illi genus²³⁰
 hominum in terris magis expavent et perhorrescant, quam vos, quos
 ex assiduis cladibus paucos non minus ac frequentes formidare di-
 dicerunt. Nunc etiam, ut extremas vires experiantur, cum innume-²³¹
 ris legionibus affuere; atqui vobis nequaquam plus quam antea ti-
 mendum est, quando sub divino ductu et auspiciis arma gerimus
 et, quid nobis audendum sit, assidua Victoria, frequens experientia,
 explorata virtus iam diu vos edocuit. Accedit, quod eorum miles²³²
 aut gregarius aut servus aut auxiliaris aut vi coactus et paganus
 est; preter milites pretorianos nil aliud hostili militie superest; vi-
 adacti ac inviti ceteri militant et illi quidem pusillanimitate ad ser-
 vitia redacti sunt. Quicunque autem Greci, Macedones, Illyrici au-²³³
 xiliorum gratia missi sunt, cum a Christiana fide non recesserint, non
 pro illis, sed nobis dimicatueros esse reputate; nos vindices, nos vic-
 tores expectant In hoc illi bello Turcis nomina, nobis vires animos-²³⁴
 que dedere; pro victoria nostra vota suscipiunt. Quare tanto vobis
 animosius fortiusque pugnandum est, quanto maiorem victoriam,
 predam laudemque nunc vestris oculis obversantem habetis. Non²³⁵
 pro alienis focis et aris, sed propriis dimicare opus est; ita hodi-
 era necessitas nostra tulit, ut, ni nos ipsi nobis vindicare velim-
 us et solita spe ac virilate nitamur, maxima queque malorum
 omnium hodie subire cogamur. Imprimis iacuram fortunarum, li-²³⁶
 berorum servitutem, incestationes virginum, coniugum prostitu-
 tiones, cedes parentum, edium et templorum incendia et, quod his
 omnibus multo gravius est, salvatoris nostri et deorum omnium lu-
 dibria; frangentur divisorum simulacra aut unco trahentur; argentea²³⁷
 aureaque conflabantur et in profanos usus convertentur, religionis
 cultus omnis abrogabitur et deus e pectoribus nostris pre dissiden-
 tia negligentiaque nostra, nisi propugnatores optimos invenerit, ex-
 igitur. Minimo digito Turcos omnis, si voluerit, illico conteret deus²³⁸

noster, sed, quando tutelam sui nominis in nostra dextera collocavit, virtutem prius nostram periclitatur, ut, si magnam fidamque compererit, prepotenti sua dextera tueatur et firmet. Neminem sibi fidum piumque deus unquam deseruit; si vobis ipsi non defueritis, nusquam salvator Iesus vobis aberit. In potentia sui nominis, quod est super omne nomen, hostes proteret et iustum divina fiducia fretum extollebat. Insuper alie nobis atque illis sunt pugnandi cause et spes longe firmiores. Pro domino eodemque profano et scelerum omnium auctore, pro spoliis et rapinis, pro exitio gentium, pro alieno regno eodemque propagando et mortali laude illi arma sumpsere. Nos contra pro orthodoxa fide et Christiana repubrica, pro liberis, pro uxoribus et fortunis dimicamus. Quibus quidem rebus nihil excellentius, nihil posterorum commemoratione dignius, nihil ad promerendam immortalitatem accommodatius inveniri potest. O quanta his in celis merces est proposita, qui aut patriam auxerint liberarintve aut divinos honores et veram fidem protexerint et servarint. Neque experti ignoramus deum humanam pietatem, iustitiam et charitatem nunquam deserturum. Proinde, quid magis illis quam nobis sperandum sit, hinc evidentissime considerate, commilitones. Salvatori nostro confidite, qui divinitatis premium pollicetur, et fidem virtutemque vestram deo ac patrie iuxta nunc ostendite. Quamobrem, quando nihil sine divina ope moliri possumus, antequam signum pugne detur, vos, queso, legati, centuriones et prefecti, per turmas et cohortes singulas pias contiones habete, ad salutarem et sacram pugnam militem incendite, legionario per confessionis sacre mysterium alter alterum lustrate, rem divinam facite ac sumpta ore terra mystice communionis officium explete; illustratis mox animis alter alterum amplexati dextra osculaque mutuam date fidem perpetuumque fedus perculite e vobis neminem alterum in sacro certamine deserturum, sed pro aris et focis ad unum omnes strenue dimicatueros. Demum curatis aliquantis per corporibus ambulatoriis dudum ientaculis dato signo ter elatis vocibus invocato prepollentissimo Iesu Christi nomine manum ea virtute roboreque conserite, qua pro redemptione ac libertate vestra in agone mortis ille conseruit. Hoc igitur ut ultro faciatis, per sanctum nostri redemptoris amorem, per charitatem patrie, per deum hominumque fidem vobis edico, impero, item vos oro et obtestor, ut ea mente dimicetis, uti aut clarissimam, quod non ambigo, victoriad aut, si res aliter tulerit, beatam in celis vitam vobis hodie comparetis non apud inferos, ut Grecus ille, sed superos cenaturi. Christus igitur optimus maximus nobis semper aderit, qui nos, mihi credite ac ita confidite, non solum e Turcorum manibus hodie vindicabit, sed cum perpetua nominis immortalitate optimis non hostium spoliis onerabit et incolumes ac ovantes domum referet universos.

Sciabadin basseus nihilo segnius e contrario suos admonuit, ut amplificandi imperii et superiorum victiarum memores ab assida virtute et laude non deficerent, armis Turcorum nomen pro-

pagarent, quibus Maumethus divisorum interpres terrarum imperium
 a cunctis numinibus addictum esse predixerat. Item augustam hanc 252
 gentem hominum terrorem, ultricem facinorum et populorum domi-
 nam divino ore loculus ominabatur. Quanta brevi tempore, ex quo 253
 in Europam traeiectum est, regnorum accessio facta fuerit, enarrat,
 spem ingentis prede et maxima queque strenuis premia pollicetur,
 pagos et oppida, nedum rapinas et spolia se militi divisurum esse
 recipit. Si extremis quisque viribus dimicavit, victoriam ante oculos 254
 certissimam ex inopia hostium et immenso suorum numero propo-
 nit. Illud adiicit profligato Corvino, quem solum e Christianis im-
 pigrum et rei militaris non ignarum se repperisse ingenue fatetur,
 nihil ad consequendum ceteri orbis imperium amplius obversatu-
 rum. Si hunc hodie ad internecionem protriverint, nullam in Europa 256
 victoriam hac fore maiorem; quare Corvinum in acie primo peten-
 dum edocet, victori huius ingentia premia spondet. Postquam sat 257
 militi suasum esse arbitratur, iam instructam aciem educit, in duo
 cornua pedites equitesque distribuit, in medio pretorianos milites
 collocat, quos ianizaros vocant, spectati roboris homines; suc-
 cedunt longa subsidia, multas etiam vexillationes in utroque cornu 258
 proponit, que prelum ineant, circumvolvent hostes et, prout fors ipsa
 tulerit, impetant repetantve. Corvinum in utroque cornu duo quad-
 rata cataphractorum equitum agmina, quos hippobaliste sequeban-
 tur, collocasse memorant; ante hos vexillariorum quoque alas equi-
 tum, qui a laterum fronte certarent, extendisse; in medio autem 260
 quadrata duo cataphractorum agmina equitum statuisse et inter
 hos cohortes gravis armature a tergo hastatis sagittariisque muni-
 tas interiecissem; utrumque etiam cornu longo carrorum ambitu cir-
 cumvallasse, quos omni munitionis genere plane compleverat. Mox 261
 progredi in hostem ordinibus edicit; cum ad duum stadium inter-
 vallum appropinquassent, pugne signum dare iubet; nihil secius
 illi faciunt. Collatis utrinque signis concurritur. Corvinus prospecta 262
 hostium multitudine primam aciem in cuneum redigit, quo facilius
 hostes dividat; contra illi forfices obtendunt. Tanta utrinque ferocia 263
 et clamore congregiuntur, ut nihil usquam horribilis sit auditum.
 Turci versatili equitatatu freti falcatis ensibus in Christianos seviunt,
 infestis concurrunt haslis et ex equis multi utrinque deturbantur.
 A forficibus cataphractorum cuneus concidi non poterat, quia armis 264
 obducti haud facile ledebantur. Instant igitur et infestam interse-
 cant aciem. In medio et in utroque latere pari impetu dimicatur: 265
 cadunt utrinque multi, sed proscissa a cuneo Turcorum acies ma-
 gna subinde cede agitari cepit. Cum ad latera declinarent, in ho-
 stium gladios incidebant; ecce cuneo, quem diximus, occurrit al-
 tera et pari virtute certatur. In cornibus varia quandoque fortuna 267
 inter vexillationes fuit, cum equa spe aliquantis per utriusque dimi-
 carent. Sed, cum illi eo genere pugne ob equorum perniciatem 268
 agilitatemque nimis valerent et numero longe superiores essent,
 postquam multititudini cedere necessitudo tulit, ad munitissimum hi-
 cataphractorum agmen rediere. Post, ubi ad cataphractos perven- 269

tum est, haud parum fortuna Turcorum declinavit; dum obstinati
ulro citroque pectoribus pugna conseritur, ex expeditissimo pars
equitatu maxima ceditur. Namque duris cataphrae'orum contis et 270
barissis, item oblongis trifidisque gladiis haud secus atque interpres
armatis obiecti nequiquam obstabant, quare in utroque cornu a Tur-
cic laborare ceptum est. Nutantibus adhuc rebus in media acie 271
prelum atrox plane conseritur, pretoriæ cohortes cum valido
equitatu quadratum cataphractorum agmine, quod in medio colloca-
tum esse diximus, multis vexillationum turmis circumveniunt; pe-
dites veterani facto maximo impetu equorum poplites falcato ensé
subcidunt. Ex his cedere multi humique porrectis capita ampu-
tantur, obteruntur contra cohortes, dum cataphractorum ruinam 272
moliuntur. Cedes hic usque adeo magna patrat, ut cruoris rivos
ageret, dum obstinati animis et debacchante hinc et hinc belliose
furore certatur. Pretorianorum pars maxima ceditur, ex equitibus 273
quoque multi oppetiere. Basseus, ubi et in utroque cornu et in 274
medio superiores dudum Ungaros fore conspicatur et iam pro longo
labore defecturos esse sperat, quamvis ubique stragem maximam
pateretur, ad triarios tamen belli summam redigere decernit, ut cum
cetera multitudine, quam ad presidia reliquerat, superstite magia subsi-
diorum adhuc parte agmina Ungarorum obducatur. Ab inita iam pugna 275
hora fere quarta agebatur, cum prelum instaurare constituit. Ne
ab te quidem id a profano barbaro factum; verebatur, he, si sui
terga dare cepissent, reliqua multitudine detrectato bello fugam ra-
peret. Ne quem igitur belli expertem dimitteret, ratis hostes a nu-
merosa turba circumventos haudquam defectis iam viribus 276
extremum impetum ultra toleraturos ultimas acies ciet, Ungarum
obduci iubet, triarios veteranos hortatur, defectum hostem facto
orbe perdendum edicit; novissimum hoc Ungarorum bellum id 277
esse iactat. Contra vero Corvius prospècto hostis astu suos ali-
quantisper patitur obduci, mox carorum agmina promoveri preci-
bit et, ut clam Turcos omnis circumveniant, essedariis imperat,
deinde pugnam cum hoste redintegrat. Ferret ubique prelum et, 278
quamvis ingens passim Turcorum cedes ageretur, pre nimia tamen
turba pertinaciter ubique certatur. Turci autem, ut a dextro cornu 279
se a carris circumveniri et a tergo ignitis missilibus crepitantibus-
que machinis peti respexere, ancipites facti se remissius agunt et, 280
dum a tergo sibi timent, a fronte prelum detrectant. Contra elato
clamore Ungari, ut obversantem ante oculos victoriam capesserent,
dum instauratis ipsi animis a fronte multo vehementius instant, 281
socios, qui a curribus pugnabant, hortantur, ut proprius hostes
circumvalleant. Hic Turci confuso ordine inclinantur et, ne circum-
veniantur, retro fugam rapiunt. Quicunque intra carorum septa et 282
oppositam aciem deprehensi sunt, ad internacionem omnes cesi,
qui autem in sinistro cornu dimicabant, horum exemplo conser-
nati terga vertunt; palantes cuncti fugiunt, instat a tergo adactis
pre victori viribus Ungarus. Basseus desperatis rebus una cum
quibusdam pretorianis cohortibus, quibus se stipaverat, se in fu-

gam convertit. Infremebat a tergo Corvinus et per fusas acies bas-²⁸³
seum disquirebat, ut, si cedendi ducis copia daretur, opima Chri-
sto optimo maximo spolia referret; Turcus castris exutus, qui cun-
que superfuit, fuge perniciitate cum duce tunc evasit; alii vero, qui
diversi in fugam effusi per nemora, per saltus et agros divagaban-
tur, aut inedia aut Valachorum manibus, in quas inciderant, con-
fecti sunt. Signa circiter CC capta, hominum vero quinque mi-²⁸⁴
lia. In auxilia, que Christianam adhuc fidem retinebant, clemen-
tius actum est. Vix tanti exercitus pars media, que evaserat, Da-²⁸⁵
nubium traiecit. Is postremo insigni victoria potitus in hostium ca-
stra rediit, se suumque immensa preda exercitum ditavit. Ex his,²⁸⁶
qui prima sub eo stipendia fecerunt, audivimus Corvinum fuso
hoste sat fecisse ratum e vestigio Turcorum castra prede cupiditi-
tate diripiisse nec hostem ultra petuisse, quod, si ad Danubium
usque foret insecurus, neminem e tanta clade superstitem futu-
rum affirmabant. Longi quidem foret otii, quot spolia, quot enes²⁸⁷
auratos gemmatosque cum pretioso vestium et equorum apparatu,
quot aurata quoque pilea tiarasque in Phrygum Persarumque mo-
rem repperere; ad summam nemo in eo bello fuit, quin se cum
universa posteritate ditaverit.

Ob rem feliciter gestam et provinciam utranque Turcorum²⁸⁸
periculo liberatam singulis civitatibus trium dierum supplications
indicte, ut divini honores servatori nostro redderentur. Multa tem-²⁸⁹
plis omnibus affixa spolia signaque ad Vascapum in victorie mo-
numentum tropea sunt erecta. Corvinus triumphans Budam venit
regique Wladislao signa hostium et exuviarum partem dignam
principi detulit in excellentissime victorie testimonium gloriosissi-
mique belli excitamentum. Inauditam per illa tempora victoriam²⁹⁰
Corvini rumores longe lateque distulerunt. Wladislaus suapte na-
tura pientissimus divinam in eo bello clementiam admiratur, ad
expeditionem sanctissimam sui ducis exemplo succenditur. Sollem-²⁹¹
nes Bude supplications indicit, miris Corvinum laudibus effert
eiusque oratione, dum Bude fuit, assiduo ad hoc salutare Chri-
stiane reipublice beneficium hortatur. Ioannes deinde post faustas lu-²⁹²
lianii predicationes ac laudes, quibus rex cum universo senatu eum ex-
coluerat, in provinciam dimissus utriusque Valachie populos con-
firmavit et, ut Turcis in posterum animosius resisterent, promptiores²⁹³
effecit. Corvini nomen hec victoria per Europam sane univer-
sam effudit; hunc unicum fidei propugnaculum omnes affirmabant.

Amates paulo ante, quam basseus in Transylvania profligare-²⁹⁴
tur, certam se victoriā habere ratū legatos Budam exploratum
potius quam postulatum miserat, quando rerum Ungaricarum status
ipsum non mediocriter sollicitum habebat; nam, cum in provincia²⁹⁵
per cuncta prelia Corvini successum audiret, in intestinis tantum
Pannonie discordiis spem omnem collocarat. Intelligebat Ungaros²⁹⁶
nisi suis armis haudquaquam facile casuros. Wladislao legati fe-
dus obtulerant et pro eius obside Albam Grecam, quam Belgradum
nunc dicunt, aut, si id recusaretur, annua stipendia postulabant.

Nunc autem pre recenti victoria, cum animos revocassent, ne mi-²⁹⁷
tius quidem, quam legatorum insolentia postulabat, responsum est.
Wladislaus e Transylvanarum rerum exitu se propediem responsu-²⁹⁸
rum esse respondit, quare paulo ante Ioannis adventum Turcorum
legati a rege dimissi. Amrates autem, cum ob cladem, quam ²⁹⁹
nuper basseus acceperat, e tanta spe excidisset, extremas vires ten-
tare conatur. Eius opes artesque Wladislaum minime latebant;³⁰⁰
quare de gravissima expeditione decernendum esse censet, veuti a
Corvino fuerat admonitus. Coacto senatu Julianum legatum ponti-³⁰¹
ficium acciri iubet, qui, cum frequentissimus convenisset, prout rei
gravitas postulabat, rem ad eum refert; ubi lulianus, qui hac po-
tissimum causa venerat, primum sententiam dicere rogatus hec
verba fecit:

Postquam Turcorum pestis in Europa latius debacchari cepit,³⁰²
nihil unquam optatius maximo apostolicoque senatui ac
ceteris Italie potentatibus significari potuit, rex optime fortissimi-
que proceres, quam cum Wladislaum Sarmatarum principem Un-
garie regem a vobis declaratum esse cognoverunt. Neminem enim ³⁰³
Pannoniarum rerum moderatorem Scythicarumque virium ductorem
hoc magis idoneum usquam gentium Ungari invenire potuissent,
quippe qui tanta iustitia, religione, sapientia, fortitudine ac militari
denique disciplina polleret, ut potius e celo datus quam optatus
esse videretur. Hac felici faustaque declaratione omnium quoque ³⁰⁴
Italorum animi, qui iacuerant, resurrexere atque, ut id felix ac fau-
stum Christiane reipublice foret, sollemini vota suscepere. Cum in-³⁰⁵
timas regni discordias et propinquum Turcorum incendium acce-
pisset, sacrosanctus huc me senatus misit, ut de pacando regno
et reprimenda hac labe, ut a me sepius audivistis, vobiscum age-
rem. Regnum armis et virtute vestra intercessione mea et regine obitu ³⁰⁶
pacatum est; alterum superest, quod honoris, utilitatis, immo salutis,
glorie et immortalitatis plenum est; item Wladislai ductu au-³⁰⁷
spiciisque et Pannonicu robore dignissimum Turcorum immanitas
et imperium coercendum est, proceres, immo iugum, quod nostris
cervicibus imminet, excutiendum et longe repellendum. Quid vobis ³⁰⁸
audendum sit, Corvina virtus et fortuna portendit; fortunam Cor-
vinam dixi, immo fortuna Christiane plebis et presens divi salvatoris
ipsa benignitas, que addictum sibi populum flcluare patitur, non
demergi. Si tui ducis copiis eisque perpaucis tantus hostium ex-³⁰⁹
ercitus et fusus et fugatus est, quid de te, rex inclyte, sperandum
est, si tuo Christique ductu et auspiciis militabis? Christianorum
principum omnes animi in te, Pannonicas Sarmaticasque vires con-
versi sunt, omnes in te spes suas collocarunt; te immanissime cru-³¹⁰
delitatis ultorem, propugnatorem fidei et Europe liberatorem ex-
pectant omnes, id est, cur quotidie vos litteris pontifex maximus
sollicitat et angit; quanquam hoc orthodoxa religio postulat, non
minus tamen Ungarie Polonieque necessitas vos adurget, quarum
altera e Mysis et Illyrico, e Dacis et Getis altera Turcorum armis
et incendio miserrime et assiduo vexatur. Quicunque nec divina ³¹¹

charitate nec ipsa necessitate nec gloria et immortalitate moventur, ad sacram hos *expeditionem* propria salus, imminens servitus liberorum coniugumque, incolumitas rerum et personarum et legitima rapinarum compendia suscent. Tam commoda vobis nunc datur occasio, ut corpus in veram salutem felicitatemque asserere ac animum ab omni miseria vindicare et utrunque divina humanaque gloria et beatitudine uno eodemque tempore donare possitis. Non desunt duces optimi, non pecunie bellorum nervi, que ab universa Christiana republica conferentur; non robora militum, non ratio, non fortuna dexterimaque numina, que vos sanctissime fidei assertores esse voluere. Sarmatarum vires Unnorumque virtutem persensit potius quam audivit orbis. Nulla re alia quam voluntate, proceres, opus est vobis. *Expeditio* necessaria, pientissima, commodissima et omni ex parte gloria et immortalitate digna est et que ad vitam ultranque uberrima perpetuaque premia conferat. Proinde te, rex, imprimitis, inclyte, vosque, proceres, universos oro obtestoique per Christi fidem, per liberorum charitatem, per salutem regni et imminentis exitii liberationem, ut forli hoc bellum animo communique consensu suscipiendum esse censeatis, ultiro, cum delectus habebitur, nomina detis. Et, quando non ad humanam, sed divinam militiam profecturi estis, ea studiorum vehementia in Turcos arma sumatis, quam expectatio et spes hominum, quam vestra virtus, instans extitum et divina in vos merita postulare videntur.

Secundum Iuliani orationem miserabilis despoticis obsecratio la- crimeque sequuntur; ad suscipiendam necessario *expeditionem* hor-tatur, Turcorum feritatem, cruciatus inauditaque suppicia refert, filiorum cecitatem subcisaque genitalia et multos dimidiati cesos, complures quoque serra dissectos, alias item cutibus exutos, aut humi defossos variaque genera mortis, que humane aures abominantur, enarrat. Exemplo sui Pannones admonet, quantum sibi ca vere debeant; Savo a Turcis disterminari, qui esiate semper vado transitur et rigente bruma glacie calcatur; Transistrianam his regionem late patere; se opulentissimum olim Mysie fuisse regem et nunc Turcorum viribus regno exactum, orbatum liberis, foedissi-mis oneratum iniuriis et dignitate fortunisque privatum extorrem vagari necubi gentium hactenus tutum locum invenisse; se ad Ragusinos profectum et ibi mox a Turcorum insidiis fuisse petitum; rediisse in Ungariam eamque quoque undique Turcorum incursi-onibus infestari; nunc profanum regem postulare tribulum, ut equior sumendi belli ansa detur; hostem immanissimum non procul abesse, sed imminere cervicibus, immo in medio regno igni ac feiro quotidie grassari; testes esse Valachiam et Transylvaniam opulen-tissimas Pannonice dicionis provincias, quas nisi Corvina virtus, fortuna reipublice et imprimitis Christi benignitas a fide gentis manibus liberasset, iam de rebus Ungaricis foret actum; varios esse bellorum exitus, fortunam inconstarem et deum de se quotidie pericula fieri non passurum. Proinde profusis Wladislaum lacrimis exorabat et ceteros obtestabatur, non occasionem hanc dimitterent,

ne victorie successum per ignaviam et negligentiam interciperent; alienae quam proprie calamitatis vindices esse mallent, suscitare nuper expectationi satis facerent. Item dicere se sat magno omnibus ex-³²⁶ emplo futurum. Ad hec demum pecunias polliceri non paucas ad bellum sumptum et asseverare Christiane reipublice potentatum auxilia collaticiamque stipem haudquaquam eis defuturam.

Omnium igitur consensu, cum multi quoque istorum dicta sententiis approbassent, senatus consultum fit, ut primo statim tempore rex in Turcos castra moveat; interea delectus instante bruma haberetur, postularentur sociorum auxilia et cum Cesare, qui Christiane reipublice preest, de pace et expeditione ageretur. Decreti ad Polonus, Valachos Prutenosque legati, imprimis ad Cesarem, qui ad expeditionem hanc opem et pacem orarent; respondit se neque venire neque auxilia mittere posse; flucluantem Bohemiam causatus pacem per triennium confecit. Pruteni ob exhaustam longo bello provinciam se nullam opem dare posse dicebant. A Polonis et Valachis auxilia cum semestri stipendio missa, que ingens voluntarie militie multitudo secuta est. Multi nanque fidei charitate compulsi relictis liberis, coniugibus et fortunis pro tuendo et propugnando Christi nomine proprio stipendio militarunt. Item e Gallis et Germanis multi sumpta crucis tessera convenere. Initio iam vere sacrosancle expeditionis gratia vicatim oppidatimque solemnes precatio-³³¹nes et supplicationes indictae. Res divine per omnia templa sol-³³²lemnius acte, ut optimis bellum pientissimum auspicis iniretur. Omnes fere ad utranque Danubii ripam convenere. Exercitum quindecim circiter milium fuisse perhibent.

Rex igitur Kalendas circiter Maias Buda proficiscitur traiectoque Danubio lento itinere castra movet, ut ceteri, qui aberant, cum suis castris facile coniungerentur. Ad Tibiscum primo iter intendit accitasque undique copias gradatim cogit; in Tibisci ripa dies tris consedit, ut a subsequentibus adhiberetur. Transmisso deinde amne per Daciam descendit et ad levam Danubium servans ab eius ripa nunquam procul iter declinavit. Mox, ubi se Bulgarie conspectum attigisse novit, ad Salsum lapidem et Cobin, qui ante Synderoviam situs est, Danubium traiecit et castra, que itineris tarditate auxiliis completa fuerant, ad Sophiam recta movit, que sex dierum itinere a Danubio secedit et in prima Bulgarie parte sita est. Despotes ad Danubium sua cum regis castra coniunxit. Dicunt alii regem cum ternis iter castris fecisse, Corvinum et despotem cum duobus exercitibus precessisse, ipsum unius diei itinere successisse. Urbs a templo, quod magnifico sumpliu Iustinianus erexit, Sophie nomen accepit Sardacia olim dicta a Sardis et Dacis, qui eam incolere, deinde Bulgarorum inundatione et assiduis Transistriano-³³⁷rum eruptionibus labefactata sibi templi tantum nomen servavit. Propter eos, qui heresim infandam de spiritu sancto auctore Macedonio metropolita Constantinopolitano suscitarunt, quem patre et filio minorem, immo ministrum uliusque ac celestium donorum dispensatorem asserebant, celebratam hic synodus frequentissimam

esse ferunt. Civitas igitur vetustate iam effeta nec arte nec loco
 munita ad primum et improvisum hostium impetum occupatur et,
 cum sine gravi sumptu servari non posset ac ut primo is ingressu
 armis, incendiis terroreque cuncta compleret, eam a milite direptam
 postero die sacris in basilica rite peractis rex iussit incendi, vicos
 et oppida, que prope fuerant, facile cepit diripiisque. Ad Moravam
 deinde fluvium castra posuit, ubi ad inundantis parum equoris spe-
 ciem in colles vallesque modicas ipsa planities tumet et desidit.
 Quingenti hinc equites missi Transmoraviam non predatum solum,
 sed, qua tutius expeditiusque iter fieri posset, speculatum in Tur-
 corum speculatores incidere, e quibus cum quattuor cepissent, ex
 his duo milia hostium propius adesse cognoverunt; quare ad flu-
 men fugam rapiunt, cum se illis impares esse reputarent. Turci
 non intellecta horum fuga, cum inter ipsos et flumen collis quidam
 exurgeret, progrediuntur, refugientes superato colle in demissum
 amnem precipites ruunt; quo cum pervenissent, e prerupta plerique
 ripa cum equis in aquam prosiliunt, reliqui extrema expec-
 tantes substitere; alter alterius periculum casus inhibuit. Cis flu-
 vium collis alias eminebat, in cuius verticem venandi forte studio
 cum non parva equitum manu rex advenerat, quem ubi Turci, qui
 e regione convenerant, conspexere, obtentas propius insidias esse
 rati e vestigio aufugere. Utrique igitur vana opinione decepti retro
 fugiunt. Rex prospecta hostium fuga a venatione ad pugne studium
 conversus citato agmine ad fluvium, qui in ulteriore ripa, ut dixi-
 mus, substitere, improviso subsidio confirmati fugientes hostes re-
 petunt. Trepidatio igitur utrinque magna et fuga sine prelio inter-
 cessit. Postquam autem in castra rediere, intellecta re cum Turcis
 cautissime agendum esse censuere, quamvis se falsos esse utri-
 que senserant. In sequenti die traiecere Moravam, premisere spe-
 culatores, qui cuncta exactissime explorarent. Ex his aliqui rediere,
 qui prope Turcos adesse, collocasse propius insidias et nil preter
 occasionem aliud expectare nunciarunt. Rex inito cum prefectis
 legionum consilio Corvinum cum decem milibus delectorum equi-
 tum premittit, qui hostem nil tale formidantem per silentium noctis
 adoriantur. Speculatorum ductu cum in hostes contenderet, ad pri-
 mam noctis vigiliam eos propius adesse sensit. Illucescebat forte
 luna et magnis cepitis favere videbatur. Post, ubi eo perventum est,
 unde hostium castra spectari poterant, ne quis fuge pateret exitus,
 illac agmen circumduxit; mox sopitos et incautos excitato clamore
 aggreditur. At illi repentina et inopinata trepidatione correpti pars
 in fugam, ad rapienda multi arma se converterant. Fugientes, cum
 in obductum agmen incidenter, pedem referunt; qui constiterant,
 somno et terrore iuxta stupido et a se ipsis alieni ad bellum haud
 facile se expedire poterant. Corvinus per aciem quanque discur-
 tens exclamat sopitum et inermem hostem et tremore perculsum
 sine mora cedendum; occasionem tantam victorie allaturam non
 temere pretermittendam, tuto ac forti animo in confusos attonitos-
 que hostes irruendum vulgo ingeminans; iam in manibus esse vic-

toriam. Primo congressu tumultuatum potius quam pugnatum 354 est; sed, postquam Turci Corvinum adesse sensere, ad illius tantum nomen consternati terga vertunt; quacunque cursum fleclunt, saucios seminecesque socios offendunt; pre timore tanta inter eos 355 oborta confusio, ut inconsiderato fugiendi studio conglomerati invicem comprimerentur et ab insequentis facile manu confoderentur. Pars maxima inter dumeta et avia loca preceps acta, dum se in 356 tempore expedire non potest, ab instante facile viciore ceditur. Per 357 totam noctem cum magna palantes cede petiti sunt hostes, at, post- 358 quam illuxit, reliquie, quecumque superfuerant, absunt. Strages longe maior patrata, quam aut Corvinorum numerus aut humana fides pateretur, quando a decem milibus equitum triginta Turcorum milia una nocte cesa, capta quatuor et novem militaria signa hostibus erepta. E Corvinis autem non multi pro cladis magnitudine desiderati; vix plerique quingentos oppetiisse memorant, siquidem pauci infestum hostem invenere. Castra opulentissima di- 359 repta; ne minima quidem impedimenta hinc ab illis ablata. Incensis mox Turcorum castris Corvinus insigni victoria potitus ovans cum ditato exercitu ad regem rediit. Ne minori quidem expectantibus 360 quam redeuntibus ille dies leticie fuit, nam, ubi Corvinum cesis ad interencionem Turcis appropinquare nunciatum est, rex e castis et despotes cum reliquis legionibus ad tria milia passuum cum ingenti plausu et fauis acclamationibus gratulabundus occurrit. Corvinum suis auspiciis triumphantem et apud congressum ad pre- 361 venerationis officium equo descendere contendente prohibet, apprehensa mox dextra claram victoriam graulatur; publice deo optimo maximo gratias agit, quod sibi in Ungaria regnanti eum his temporibus divina clementia ducem dederit, qui Romano dignus imperio citra invidiam ubique gentium haberetur. Quantum illi 362 patria, regnum et Christiana respublica debeat, breviter ostendit; meritis laudibus evehit et, ut Corvini gloriam imitentur, ceteros hortatur; congratulationis officium deinde proceres exolvunt. Mox 363 iuncis cum rege agminibus non sine magno plausu militarique letitia premissa spoliorum pompa et longissimo captivorum ordine, qui catenati precedebant, Wladislaus et Corvinus ovantes in casta rediere; ob rem bene gestam supplicationes indictae et pientissimo Iesu Christi numini gratie in sacris acte sunt. Ad prosequendum deinde 364 bellum Christiani animos intendunt. Iulianus pontificis legatus et crucigere multitudinis prefectus, que gratis pre studio sancte fidei militabat, cunctos ad continuandum victorie successum impensius hortatur et in tanta divine benignitatis dexteritate non cessandum, sed promovenda quotidie castra suadet et proxima queque Bulgarie oppida recipienda.

Corvinus per exploratores iam compertum habebat a Sophia 365 Philippopolim Thracie civitatem trium fere dierum itinere distare tantundemque intervalli inter Adrianopolim et Philippopolim interesse, que trium quoque dierum spatio Constantinopoli admovetur. Superandi tantum Hemi difficultas obiiciebatur, quippe qui e trans- 366

verso Sophia in Macedoniam et Thraciam proficiscentibus longe lateque protenditur. Bulgaria a Ciabri amnis fonte, qui Triballos olim a Mysis dividebat, nunc incipit, per Hemi montis dorsum in Vulturnum Aquilonemque porrigitur, a meridie in Macedonas Thracesque declinat, a septentrione in Danubium deflexa in inferiorem magna ex parte Mysiam effunditur. Hemus mons editissimus, cum longius effundatur, inter has, quas diximus, regiones excurrit; hinc iuga usque adeo frigida, ut perpetuas nives habeant et vix duobus anni mensibus super se pastores estivare patiatur. A Sophia in Macedoniam Thraciamve iter facientibus duplex ad superandum Hemum patet exitus; alter labore Romano et a Traiano, ut multi perhibent, factus est, ubi quadrato adhuc lapide maxima porta spectatur, que ad arbitrium aditum inhibebat dabatque, alter ad parvum est amnem, quem Slatizam Bulgari nunc appellant. Uter igitur aditus pateret, hac iter facere Corvino, quem expeditioni et itineri rex ultro prefecerat, tunc erat animus.

Proinde motis castris, quecunque occurunt, Bulgarie oppida partim vi, partim per deditio[n]em capiunt, qua quidem in re haud parvo adiumento fuit consimilitudo Christiane professionis, abominabilis Turci feritas lingueque magna cognatio, que ad conciliandos hominum animos potissima videtur esse magistra. Nam, cum Poloni Bulgarique a Sclavonico genere oriundi eandem linguam servent, ad nullum oppidum Polonus equitatus accessit, quin se continuo dediderit. Ne minus quidem impigre ubique crucigeri se gessere. Cum autem sub Hemo ad Thracie aditus pervenissent, rigente iam hieme obclusum saxo materiaque utrunque per exploratores inveniunt. Alterum angustiorem et humana arte factum pretermittunt, ubi strata[m] olim viam a Romanis videre licet, quam non modo lignis cautibusque Turci complevere, sed in declivioribus sepe locis aquam per noctem aspersere, ut brume rigore in glaciem conversa equis et iumentis ascensum inhiberet. Pervenere ad alterum pari arte preclusum pridie natalis Iesu Christi, quem Slatiza subfluit. Varia hic ingruunt incommoda, imprimis aditus difficultas, quam non temere ab Amrate Turcorum rege factam esse dicunt, ut, cum cladibus iam plerisque a Corvino foret affectus, preclusis duobus accessibus impositisque presidiis tuto ac facile sine pugne periculo a Pannonie rege tueri posse videretur. Item Ungarorum exercitum tanta rerum omnium incessit inopia, ut quisque militiam detrectaret, et de militari seditione addubitabatur. Hemus in solitudines prerupta et inaccessa loca effusus steriles appendices habet; ad extremam frumenti et commeatuum caritatem perventum erat; iam inedia universus languebat exercitus et ad sedandam famem parum tritici raro cum carne decoquere licebat. Accedebat brume vesania, inopia pabuli et frigoris rigor intolerabilis. Cum omnia gelu constitissent, pabulum sepe et aquatum ire non licuit; proinde frigore, fame ac itineris difficultate retrocedere cogebatur exercitus et iam dissolutus esset, nisi crebris Corvini adhortationibus paruisse[t]. Is enim assiduo dicere plurimum difficultatis

iam exhaustum esse; quod superest, solita virtute ac robore perficiendum, cui nihil arduum et difficile; se proximos dudum Thracie fines esse tacturos rerum omnium feracissime; eo iam penetratum esse, ut, si retro cesserint, pre belli vastitate maiora longe mala remetienda sint, quam si ultra progrediantur; nihil patefacitis his faucibus instare laboris; ad populationes tantum hilares animum intendendum, in medio rerum successu non cessandum; quando non eadem semper fortune dexteritate uti licet, contemptum numinum favorem continuo averti; hactenus nil esse factum, si ultra non itur, quando omnia, quecunque capta sunt, facile ab hoste recipientur, nisi succensis domiciliis, quia Turcorum satis hucusque cesum est, pauci, qui supersunt, Thracia et Macedonia ac demum Europa eliciantur. Quare, dum miles Corvinum audit, facile quisque confirmatur, sed, cum mala, a quibus se circumventum intuetur, memoria repetit, temerarios principum ausus execratur. Interea Turcorum adventus ab exploratoribus nunciatur; congratulantur invicem legiones, quod honeste mortis occasio datur, quando multo pulchrius in acie quam inedia et algore mori existimabant. Premissus cum equitatu nonnullisque militum cohortibus est Corvinus, qui, cum ad hostes pervenisset, facili eos pugna fudit fugavitque. Octies hucusque cum hoste conflictum esse testantur, qui huic expeditioni affuere, sed non collatis signis et instructa semper acie. Nos autem, quemadmodum a quibusdam Corvini militibus accepimus, qui vulnera etiam eo bello suscepta ostenderunt, rem ita referendam esse censuimus. Dissentit ab his aliquantulum Callimachus poeta nostri temporis exultus ac scriptor egregius, qui, antequam noster exercitus pedem referre cepisset, cum Turco dimicatum et Carambum captum in Vladislai vita retulit. Sed, quid Ungari referant, audiamus.

Cum nulla vi fauces aperiri ac Hemus mons ob imposta Turcorum auxilia superari posset et egestate rerum algoreque intensissimo conficeretur exercitus, a Slatiza pedem referre ceperunt, ne irritis conatibus perire viderentur. Atque, veluti Corvinus et despotes cum suis copiis veniendo regia castra unius diei itinere precedebant, ita e contrario rex cum exercitu redeundo precessit Turci que in monte consederant, ut transitum inhiberent. Nunciato Christianorum reditu instauratis animis per iuga montium hostes subsequuntur rati oblata occasione cumulatas ab his penas, antequam Mysia egredentur, exacturos. Carambus Turcorum dux erat, quem Celepin alii dictum esse volunt; is Asie prefectus et bassei frater, qui inter ceteros apud ipsorum regem principatum fuerat assecutus, Amratis sororem legitimo sibi matrimonio coniugarat et imperatoris edicto ad hoc bellum accitus cum Asiaticis copiis in Europam traiecerat. Cum his angustiarum presidiis a rege prefectus esset, id imprimis fuerat admonitus, ne qua magna occasione, que certissimam victoriam polliceretur, manum cum hoste consereret; sat enim se victurum Amrates esse rebatur, si hostem a Thracie finibus arceret. Celepis huiusc precepti haud immemor Christiano-

rum castra sequitur et a montibus eorum iter observat. Cum nostri ³⁹⁵ terno agmine iter facerent, regia castra precedebant, Corvinus et despotes triginta milibus passuum succedebant. Hoc igitur ordine, dum idem iter remetiuntur, sane utebantur.

LIBER VI.

Victus his difficultatibus, quas enumeravimus, Christianorum ¹ exercitus cum ad quendam montem ex Hemi appendicibus, quem nunc Bulgari Cunobizum vocant, rediisset et Carambus sequens a montium iugis iter hostium observaret, milites e castris servato parum imperio temere egredi ac ex agmine quandoque in Turcos erumpere ceperunt, qui montibus insidebant et ex iniquo loco velutirabie quadam adacti pugnare nitebanit; suspecto hoste haud- ² quaquam bello contineri, prefectis et centurionibus temeritatem increpantibus parum auscultare, dicere malle bello, ne inulti moriantur, quam fame mori. Carambus ad bellum audax et glorie cu- ³ pidus hostium temeritate ad prelum invitatus, cum se numero, loco et viribus superiorem esse intelligeret, non aliter, atque si certam in manu victoriam haberet, a conserenda manu contineri non poterat ratus se victorie gloria contempti crimen imperii facile abolitum, quare cum hoste omnino confligendum esse decernit. Cor- ⁴ vinus et despotes ruituros dudum in se Turcos suorum militum insultibus irritatos conspicantur et regis absentia graviter anguntur, qui itinere unius diei, ut diximus, precedebat. Videbant se neque ⁵ bellum detrectare neque legiones regias habere neque pre desperatione a pugna militem coerceri posse. Proinde inviti post, ubi ⁶ Carambum nstructam in se aciem dudum dimissurum esse intel- ligunt, socio s exorant, ne temere intemperateque in hostem erumpant, sed in ordinem redigi patientur, ut, si vincere non daretur, ne incruentam hosti victoriam relinquant. Instruunt igitur extemplo ⁷ acies et divina magis quam humana ope freti in hostem signa tolli iubent.

Iam Carambus equitatum a monte demiserat et instructa acie ⁸ cum nostris pugnam init. Magna utrinque concurritur ferocia et ad radices montis inter colles et convalles congregiuntur, ubi in primo congressu multos cecidisse ferunt. Polonorum equitatus, quem rex paulo ⁹ ante cum Corvino premiserat remanseratque ad subeunda queque maxima belli pericula, et Ungarorum turme cum expeditissimis vexillationum alis, quibus despotes ipse preerat, citra vite rationem ita dimicabant, ut nihil morte vehementius appeterent. Turci aliquamdiu ¹⁰ pertinaciter obstitere, quare magna cedes a principio patrata; sed, postquam sibi cum desperatis rem esse intellectu, cepere sensim de ectis animis inclinari non cum hominibus, sed immanibus feris se pugnare rati. Accurrit a tergo Carambus, laborantibus subsidia ¹¹ lsuggerit, pusillanimes increpat, revocat fugientes, nunc maledictis, nunc hortationibus nutantes animo obfirmsat, instaurat ubique pre- ¹² lum et cuncta diligentissime curat. Ne minus quidem impigre cum

despote Corvinus, qui desperatis dudum rebus, ubi inclinatos esse hostes vidit, mox victos exclamat, suos admonet et precatur, ordinari et dimicandi rationem servent, ne temere pugnando sese mucronibus hostium obiectent, imminentem victoriam capessant scientque se sub divinis auspiciis et tutela dimicare. Mox cohortes quasdam peditum ad clivum montis inter virgulta submitit, qui cum venabulis cesim punctumque cedentibus discursantes a latere Turcorum equos subcidant. Maximam equitatui ¹³ cladem hec manus intulit, inclinatur hic acies et, qui subsidebant, in iugum montis, ubi presidium relictum erat, repente subfugiunt; audacie, qui in valles plane descenderant, circumventi a cataphractorum equitat¹⁴ egre se ad acclive montis latus referre poterant. Carambus a tergo in clamitans nunc fugientes revocare in aciem, nunc admotis laborantibus subsidiis opitulari, spem ubique et prelium pro viribus instaurare, omnia strenui militis impigrique imperatoris officia prestare, inter confertissimos hostes se ingerere et desperatis rebus hac et illac discurrere, animare trepidantes et sociorum fugam remorari. Ad postremum, cum extremo conatu dimicaret, nive deceptus in lacum indicit, qui glacie seva constiterat, unde cum nec se nec equum educere posset, a gregario milite capitur. Ceteri, qui effugere ¹⁵ e cruentissimo prelio potuere, ad reliquum presidii, quod in monte superfuerat, se receperunt. Subsequuntur per avia et inaccessa loca Christiani, sed, cum inclinante iam die et loci iniquitate remorati forent, dato receptui signo in castra rediere. Carambus cum magnatibus plurimis captus; multi in acie cesi, sed in fuga longe plures. Ex his, qui in montem fugam non rapuerant, pauci evasere; belli reliquias in diem posterum Corvinus differt. Interim hostem ¹⁶ venerando aspectu, habitu Asiatico Persicove a gregario milite preter viri dignitatem vinculum duci conspicatur; militem, ut captivum sibi hominem vendat, exorat. Decem postulanti quadragenos impedit. Carambus igitur prefectus Asie et artissima imperatori affinitate coniunctus tanti veniit. Ad Corvini tabernaculum adductus pro dignitate custoditur et bono esse animo iubetur. Forte ea nocte ¹⁷ despotes huc advenit de belli reliquiis consulturus; cum ad ignem liberali facie et gravi captivum vultu respxisset, exemplo Turcorum lingua virum alloquitur, cuius ob veterem illius gentis vicinitatem consueludinemque non erat ignarus, et repente virum agnoverit. Clam fortunam eius miseratur consolaturque et ad Corvinum ¹⁸ subinde conversus, ut hunc sibi mercari liceat, precatur. Quadragenis ille sibi constitisse respondit, se vero nemini pluris minorisve quam quadragenis aureum milibus venui daturum asseverat. Tantundem despotes se daturum interea pollicetur. Interea honorifice benigneque tractari iubet et diligentius asser vari. In auctione Carambum Asie prefectum fortuna posuit, ut variam inconstantemque humane vite condicionem ostendat et, quam gravi et non precipiti consilio semper sit agendum, aperiat. Poloni huic prelio Wladislaum et affuisse et prefuisse dicunt, Ungari regis id auspicis, sed absente rege gestum esse testantur.

In sequenti die de expugnando Turcorum presidio, quod in 25 arduo monte superfuerat, ac extinguendis belli reliquiis, ut illuxit, agi ceptum est. Wladislaus, ut militum saluti consuleret, quando 26 conatus irritos fore arbitrabatur, id omnino dimittendum et levande famis gratia ad redditum animos intendendos esse censebat. Cor- 27 vinus et despotes, qui hoc admodum bello et Carambi captivitate recuperaturum se regnum esse sperabat, deturbandum inde Tur- 28 corum presidium et, ne ex his suscitetur incendium, scintillas om- 29 nino extinguedas esse consulunt nihil militum robori et virtuti obstitutum esse affirmantes. Vicit tandem Corvini despoticque sen- 30 tentia. Rex quoque, ne ducum militumque virtuti quicquam adver- 31 sando detraharet, facile cessit; miles curare corpora et mox arma sumere iubetur. Tertia hora dici instructa regis acies montem prima 32 concendere cepit factura periculum, an arduum montis acclivum superare possit. Sepe a difficultate hirci saltus remorata substitit, 33 Corvinum obstinatus prosequende victorie animus experiri cuncta iubet, lustrato aliquantis per monte per obliquum iter clementius expeditiusque subit. Et, cum vertex montis, quem hostes insederant, 34 in prerupta prominenter eisque subeuntium despectum interciperet, Corvini sine ullo negotio in alterum montis huiusc iugum perve- 35 nere rati hinc in hostes facile ruituros. Sed, cum progredi contra 36 cepissent, abrupti saxi prohibentur hiatu, quem neque completere materia neque ponte transire licebat. Cum hostem comminus delurbare non possent, obiectis belli machinis oppugnare contendunt. Cata- 37 pultas, balistas et cetera tale genus tormenta intendunt, que insa- nos lapides emittant et fragore territent feriantque. Turci, cum ho- 38 stes in conspectu proprius adesse et horribili saxorum iactu se peti conspicantur, ne parum quidem animo consternantur. Alibeum su- 39 periori nocte Carambo suffecere; cum multos dira lapidum iactura lesos dissipatosque intuerentur, graviter se fluctuant, quando ab omni spe se destitutos intuentur. Alibeus consternate et in pre- 40 ceps iture dudum multitudini salubri consilio succurrit, omnes ad- monet iubetque, auditio mox fragore post cotes et saxa procumbere presentaneo pestem remedio averti posse docuit et hoc ad resi- stendum commento suos obfirmsat. Interea Corvinus per acclivum ma- 41 gis arduum, qua patebat in hostes ascensus, multas cohortes sub- 42 ire iussit, que, cum infra pugnarent, pre loci iniquitate et Turco- 43 rum occursu facile reiecte sunt. Demum, cum irritam tormentorum operam in vertice et in precipite acclivo calamitosam suorum ac regiorum operam esse intelligeret, desperata congregandi copia si- 44 gnum consulto rege tandem receptui dare iubet in planitiemque deducit agmina. Turci abeunte rege animos audaciamque pariter in- 45 staurant letanturque.

In sequenti die vesaniente hieme et increbrescente in dies 39 rerum omnium egestate rex cum ducibus legionumque prefectis de festinando reditu iterum agit, ut e sterili asperaque regione, antequam inedia conficeretur exercitus, in uberiora loca reverlerentur. Corvinus necessitatibus tandem cedendum esse ratus, quippe que ho- 40

nesti quandoque rationem haberi non patitur, a regis sententia non dissentit. Despotes tantum, cum idem alii plane sentirent, intercessit socios increpans, qui capto iam duce et profligatis fere hostibus victoriam in manu sitam desererent, exiguae belli reliquias non extinguerent, per metum et ignaviam superato hoste terga vertenter; polliceri ad hec se ad inhibendam famem tantum pecuniarum erogaturum, quantum satis superque forte censeatur. Legatus hec eadem pontificius iactabat vulgo. Sed, cum difficultates ac mala intolerabilia forent, nulla commodorum spe militum animi leniri potuere. Vulgo his obstrepere legiones et obclamitare non duces et prefectos, quibus nihil deest, sed milites fame confici; despotem recuperandi spe regni intolerabilia et ea, que prestari nequeunt, suadere; illum haudquaquam quotidiano militum et iumentorum interitu commoveri; necessitatem superari non posse; exacta se hieme ad sacram ultro militiam reddituros; interea seviente bruma et imperante fame cessandum; exercitum in hiberna dimittendum, ut corpora labore, frigore inediaque absumpta curent et reficiant. Quas ob res rex premissis iter impedimentis relegit, quod prius fuerat emensus. Et Turci prospecto eius redditu fugam potius esse rati ex insperata letitia vires instaurant et abeentes subsequi decernunt. Novissimum sepe agmen infestant et nunc a tergo, nunc a latere crebris insultibus adoruntur; mutuas clades inferunt accipiuntque, quibus mos erat occurrentibus cedere, mox in aversos, congregatos redire. Intercipiunt usque adeo quandoque iter, ut exercitus progredi non posset; accedebant onerata spoliis et rapinis impedimenta, que properare non sinebant.

In sylvam pervenere non arborum proceritate opacam, sed mira fruticum fecunditate completam, item inviam et stagnantibus sepe aquis torrentiumque defluxibus cenosam et inequalem ac ad faciendum iter perquam difficilem. Precesserat magna ex parte exercitus novissimum agmen ad sylve initium, quod cataphractorum erat equitum, ut pariter atque murus a tergo protegeret. Turci cum expeditissimo impelunt equitatu; velites in hos convertuntur, ut inhibeant; instant hi et gravem in sylva pugnam conserunt. Clamor ingens effertur, ad quem, qui antecesserant, recurrere, inter digladiandum in uliginosa loca divertere, ubi, quicunque equites inhererant, egre pre ceni altitudine se expediebant. Intercedebant vada quedam occulta et anfractus ac insidiosa locorum inequalitas, qua precipites equi agebantur; ad expediendas sylve difficultates pedibus dimicare cogebantur; qui retro in subsidium concurrerant, inconsulto succurrendi studio aut palustri solo impingebarunt aut in cecos alveos corriebant. Dirempto prelio equites circiter octoginta e Christianis desiderati, qui in postremo ordine capti sunt; e Turcis centum et septuaginta, quos Corvinus extemplo iussit obturari; ceteri fusi fugati. In sylva cum loci potius difficultate quam hoste dimicatum. Cum igitur fames quotidie instaret maior et gravitas multitudineque impedimentorum ac assiduus Turcorum insultus iter admodum remoraretur, ne inedia et lassitudine absumere-

tur exercitūs, regi ceterisque proceribus visum est sarcinas in me-
dium conferri; ex his, quecunque oneri potius quam usui forent,⁵⁷
publice concremari, desideratorum arma militum hostiumque terra
infodi, debilia supervacuaque iumenta cedi. Exercitus inutilibus le-⁵⁸
vatus oneribus expeditius properare potuit neque facilis subse-
quendi et incursandi copia posthac hosti fuit.

Longis igitur itineribus ad Albam Grecam, quam nunc Bel-⁵⁹
gradum dicunt, cum universis copiis Wladislaus pervenit; honori-
fice a suis exceptus dies aliquot per quietem et rerum copiam mi-
litēs et equos refecit recreavitque. Traecto deinde Savo cum Cor-⁶⁰
vino et despote ceterisque proceribus Budam properavit; cives et
prefectus, cum eum urbi cum copiis appropinquare nunciatum esset,
e senatus consulto, ut reducem pro dignitate regem exciperent, cum
omnibus ordinibus et collegiis sacerdotum in occursum effunduntur.⁶¹
Pontifices cum sacerdotum ordine ad primum lapidem substitere,
pretor urbanus et prefectus arcis cum ceteris magistratibus ultra pro-
gressi subsequente populo regem, qui a dextra Corvinum et Iulia-⁶²
num despotemque a leva tenebat, convenere; succedebant his pre-
fecti equitum, primipili ac hilares et exultabunde legiones, que non
modo capite, sed prefixas pilis hastisque coronas gestabant. In con-⁶³
gressu tantus editus est plausus et facta congratulatio, ut faustis
cuncta salutationibus resonarent. Publicam tubarum clangor et mili-⁶⁴
taris ingeminatio letitiam augebat. Deinde triūphi pompa explicari
cepta. Ante regem longus captivorum ordo preibat insignium im-⁶⁵
primisque Carambus Asie prefectus, qui catenatus ante victorem om-
nium in se oculos plane converterat; preferebantur signa hosti-
bus adempta et spolia, quecunque advehi potuere. Corvinus in⁶⁶
palmata veste inter legatum pontificis et despotem sequebatur, ut
ipse post regem non immerito triumphare videretur. Succedebat his⁶⁷
sanctissimum crucigerorum agmen, cuius latus pontifices et ma-
gistratus utrumque claudabant; continuabant ordinem subinde legi-
ones, quorum vociferam alacritatem Danubius et vicini montes re-⁶⁸
ferebant. Sed universum, quem diximus, ordinem sacerdotum pompa
precederat, qui sacro habitu et sollemni ceremonia incidentes pe-
nates et deos patrios, item aurea argenteaque divum simulacra pre-
ferabant; sacros pro agendis gratiis hymnos Iesu Christo optimo⁶⁹
maximo ac dive genitrici Pannonie patronē concinebant; a dextris⁷⁰
et sinistris promiscua populorum turba celum plausibus sane com-
plebat Wladislaum et Corvinum certatim ingeminans. Ast, ubi⁷¹
ad portam urbis processere, Wladislaus rex pientissimus, ut deum
tante victorie auctorem fuisse profiteretur, confestim ex equo desiliit
pedibusque ovans urbem ingressus dive genitricis basilicam cum
triumphali pompa prius invisit. Rex, ubi divinas ad omnia pulvi-⁷²
naria fecit sollemnes, maximo servatori et diis omnibus gratias egit,
hostilia templo cum signa spoliis apposuit tabellamque subtexuit,
que victoram a Turcis divina benignitate relatam plane testaretur.⁷³
Sollemnibus rite peractis in arcem pervenere, Corvino publice a rege
laudes pro meritis date, cuius virtute prudentiaque omnia pro-

spere evenissent. Laudati quoque pro dignitate ceteri proceres et prefecti; item his mandatum, ut sua quisque cum titulis insignia ad magnam aram in eadem basilica rite suspenderet, ne merita presentis victorie laude fraudaretur, que ad nostram usque tempestatem spectantur. Multo magnificentius triumphi spectaculum fuisse⁷⁴, si hostium spolia, que pre necessitate humi infoderant succenderantque, referre licuisset.

Secundum regis Corvinique triumphum, qui per universam paucis diebus Europam effusus est, Christianorum principum animi, qui Turcorum successu consternati fuerant, usque adeo erecti sunt, ut regnante Wladislao viventeque Corvino feritatem dire gentis, si bellum prosequerentur, non amplius expaverent. Quare congratulatum simul et hortatum legationes undique properabant. Imprimis Eugenius pontifex maximus, item Veneti, Genuenses et Philippus Burgundiorum dux legatos in Pannoniam misere, ut post insignis et sancte victorie congratulationem regem et Ioannem Corvinum ad bellum in Turcos redintegrandum hortarentur orarentque, pecunias et auxilia pollicerentur, classem quocque munitissimam promissis adiicerent ad Hellespontum, que Asiaticis copiis transitum inhiberet et Turci tot a Corvino cladibus affecti, qui in Europa superfuerant, ad internacionem facilius redigerentur. Advenit et Ioannis Paleologi Grecorum imperatoris clara legatio, cuius imperium Turcorum viribus ita fuerat labefactatum, ut ademptis tot provinciis parum sibi in Thracia et Grecia superesset; post gratulationis officium regem senatumque precatur, ut salutare piumque bellum primo quoque tempore prosequatur. Magnitudinem occasionis ostendit, quando attenuatas in Asia et Europa Turcorum res enunciat; hinc ab Ungaris, a potentissimis principibus illinc gravissime vexari; his miraculum adiecit eo, quo Carambus captus est,⁷⁵ die Constantinopoli ad portam Macedonicam visum esse iuenum candidatum equo insidentem gestient circum letitia discursare, nunciare Turcorum cladem et ineunde in dire gentis exitium expeditionis admonere. Demum, si a Wladislao bellum instauretur, imperatorem Grecum pollicetur cum validissimis copiis a Thracia verno tempore affuturum. Neque deerant instantissime Iuliani hortationes et lacrimose despotis preces, qui quotidie Corvinum ceterosque proceres ambibat, amplexabatur regis genua et ad persuadendam hanc expeditionem nihil studii, laboris et diligentie remittebat. Adversantur his acerrime Polonorum oratores, qui functi gratulationis officio regem ab externis bellis avertere nitebantur, donec intestina componeret; dicere ipsius absentia proceres publica commoda contempsisse, privata curare, e libidinis et ambitionis imperio cuncta gerere, per negligentiam et ignaviam omnia ruere; hinc tantum Tartaris audacie accessisse, ut magnam Russie Podolieque partem diripuerint; a finitimiis sub iusti belli specie populationes inferri; Boleslaum Opolie ducem licentius incursare et Casimirum e Lilvania Massovie bellum indixisse; proinde, ni ad pacandum Polonie regnum revertatur, perbrevi ruiturum.⁸²

Postquam Wladislaus cunctis oratoribus pro congratulationis officio gratias egit eorumque studia in religionem et orthodoxam fidem commendavit, respondit se propediem frequentissimum conventum habiturum ibique de instaurando bello decreturum, datum demum operam, ut potentatum postulationibus pro sua virili satisfaciat. Postero die legati omnes dimissi, conventus Bude frequens indictus, quo regiis diplomatis non modo Ungari, sed Bohemi quoque, qui in Hungaria consederant, promissa incolumitate acciti et imprimis Giscra eorum princeps. Et, quamvis Iulianus intercesserit, ne presentibus Bohemis de religiosa expeditione ageret, tamen adversante Franco bano eorum adventus et presentia tolerata. Coacto conventu de abrogando intestino bello a principio actum est, quod cum non posset, indutie in biennium prorogate et ea quidem condicione, ut captivi utrinque dimitterentur et exactis indutiis in captivitatem revocarentur, si pax ipsa non transigeretur. Adempto duobus annis intestini periculi metu ad externum perventum est. Iulianus et despotes, cum impensis de suscipienda nova in Turcos expeditione disseruissent, facile victoribus persuasere quam ut commodi gererent, novum provincialibus indigenisque tributum imponi et questores pii stipendii subinde creari placuit. Bellici apparatus cura Corvino tradita. Et mox, quecunque in hoc conventu decreta fuerant, Wladislaus omnibus Christiane reipublice principibus, ad quos ista pertinerent, ut in tempore parata omnia forent, nunciavit. Pancratius, cui a sancto Nicolao cognomen est inditum, in conventum venit Polonice factionis in Hungaria his temporibus assertor acerrimus. Violata sacrosancta consilia libertate facto nobilitatis impetu ex odio publico captus est in vinculaque coniectus. Pari quoque invidia socii ad supplicium rapti sunt. Furoris huiusc causam ferunt, quod regionem, quam Vagus preterfluit, assiduis infestam latrociniis teneret; unde publicam in se sociosque suos invidiam conflavit et eam quidem, que publice fidei sanctitatem violaret. Ne mitius quidem cum Giscra actum foret, nisi regis ope et misericordia obiecta Polonorum manus per posticum hominem eduxisset mutatoque laurinum habitu continuo transiulisset, quare servatorem et salutis auctorem sue Wladislaum posthac semper appellavit. Rex autem, quamvis rebus Pannonicis et futura expeditione admodum sollicitaretur, paterni tamen regni procellis misere vexabatur. Succurrebant procerum suorum discordie simultatesque, Tartarice incursions, intermissa reipublice cura et bellum, quod cum Hamaxobiis Casimirus frater gesturus erat. Sepe de repetenda patria cogitavit, ut regnum pacaret, cum fratre de rebus agendis recte decerneret, dum, Turcico quecunque bello sunt usui, comparantur et tribulum, quod huiusc rei causa fuerat impositum, exigeretur. Sed instantissimis Iuliani despoticque precibus et monitis remoratus, qui se in tanta rerum mole apud suos Polonos excusarent, legatos misit. Quin etiam magnus Pannones omnis timor incessit, ne rex Poloniā reviseret neve parentis pientissime suorumque charitate a belli studio revocaretur.

Ingruente iam vere Wladislao Corvinoqué placuit per legatos ¹⁰⁰ omnis principes admonere, qui in salutari hac expeditione classem, auxilia pecuniasve ultro promiserant, uti in primo tempore pro-missis prestarent; imprimis Constantinopolitanum imperatorem, ut, ¹⁰¹ cum se in Thracie Macedonieve finibus cum exercitu esse senti-ret, presto quoque ipse cum auxiliaribus copiis afforet; insuper ¹⁰² Eugenium pontificem maximum, Venetos et Genuenses ceterosque socios, qui comparande classis negotium ultro susceperant, ut in Hellespontum eam mitterent; quod et impigre ab illis factum est. Quippe qui ad Caietam septuaginta triremes instruxerant, classi ¹⁰³ Franciscum Albertum e patricio Florentinorum genere natum cardi-nalem ingenio et virtute prestantem prefecerant. Is continuo in ¹⁰⁴ Hellespontum navigavit, portus occupavit et litora, ne qua ex Asia Turcis auxilia transmitti possent. Ad augendam hanc inferendi belli ¹⁰⁵ occasionem fama felix accesserat Carmanie principem cum magnis exercitibus in Pontum ac Bithyniam properare, ut minorem Turcis Asiam eripiat Europe intentissimis.

Longe magis hac rumoris dexteritate succensa sunt ad hoc ¹⁰⁶ bellum Christiana studia, cum secum reputarent non modo Europi-cos per se maximum in hoc bello fedus inivisse, sed Asiaticorum quoque ex insperato auxilia accepisse. Quin etiam Amorates auditio ¹⁰⁷ Carmanici belli periculo ita animo consternatus est, ut de pace potius quam bello, si posset, cogitare cogeretur. Cum enim totiens ¹⁰⁸ se ab Ungaris et Polonis Corvino duce et sub ductu auspiciisque Wladislai-fusum fugatumque reputabat, pensatis quoque Carmani viribus omnem in Europa Asiaque victoriā desperabat. Succurre-bant Italorum opes cum Burgundionum viribus una coniuncte, que terra marique plurimum posse viderentur. Quare nihil utilius venie-bat in mentem, quam coniurante in se uno tempore simul Europa et non parva ex parte Asia de pace cogitare, quam propagandi olim imperii cupiditate semper abominabatur. De ea cum despote ¹¹¹ agendum esse censet, cuius ob liberorum captivitatem et regni pri-vationem anhelantissimum fore intelligebat. Itaque ad eum clam nuncios mittit, qui ita caute cum illo de pace agitent, ne eius cu-pidi videantur. Quare de Carambi prius redemptione agant et pro ¹¹² ipso liberorum regnique Mysie restitutionem polliceantur; de pace subinde veluti preter mandata regis mentionem sensim faciant. De-spotes primo, qui Turcorum artes non sine magna iactura calluerat, suspicione corripitur, deinde, cum de suis commodis agi intellige-ret, dictis eorum aures admovit, quin etiam id in rem Ungarorum admodum fore videbatur; ad Corvinum rem ipsam pertulit. Ille quo-¹¹⁴ que pensatis belli periculis et Ungarorum Polonorumque malis, qui intestinis iuxta discordiis laborarent infestumque Fredericum haberent opibus etiam et auctoritate pollentem, ne recusandam qui-dem pacem reputavit. Et, cūm condiciones omnis a despote edo-¹¹⁵ ceretur, quas ne fictas quidem esse intelligebat, eo impensius ad pacem animum intendit. Neque dispicebat illud, quod a despote ¹¹⁶ deferebatur, quippe qui, si eius opera pax ista fieret, quadraginta

aureum milia Turcorum nomine pro Carambo et quecunque a Sigismundo imperatore oppida in Ungaria sibi dono data fuerant, recuperato se regno Corvino daturum policebatur.

Amorates, cum acclinatum paci Corvini animum a despote accepisset, quem unicum in Europa perhorre videbatur, Idibus Iunii Segedinum ad eum legatos misit, qui pacem ibi omnino transigerent. At ille Wladislaus regem statim admonuit, ut ad eundem diem cum instructo illic afforet exercitu, ut, cum affuturi sint Turcorum legati de concordia secum acturi, motis dudum castris equiores pacis condiciones extorqueret. Condiciones omnis significarbat, rex autem eas conspicatus neque regno neque tempori iniquas fore et fluctuantibus presertim Polonie rebus neque tutis etiam Ungarie mentionem pacis letus audivit; ad prestitutum cum plurimis copiis diem affuit. Admissis Turcorum oratoribus Segedini diebus aliquot de pace ultro citroque acerime disceptatum, quando Turcus Bulgariam argenteaque fodinas, que in Servia sunt, pertinaciter sibi retinere nitebatur, contra Wladislaus legitimis cuncta dominis restitui contendebat. Tandem inter eos ita conventum est, ut Bulgaria Turco cederet, reliqua vero, que in Mysia occuparat, pristinis possessорibus redderentur; restituerentur insuper utrinque captivi et imprimis despolis liberi, restituendis autem oppidis, civitatibus captivisque dies prestita. In decennium pax transacta presente quoque Iuliano apostolici senatus legato, qui quamvis eam iniquo animo ferret, nihil tamen veniebat in mentem, quo ipsam facile improbaret; difficile futuris rebus erat certa commoda prefinire; cruciabantur nimis animo, quod litteris potissimum suis magnum in Italia fedus iustum fuerat et ingens parata classis; nunc videret apparatus omnis hac pace fore irritos et clarissime victorie immortalitatisque adipiscende spem deponere cogeretur. Contra Ungari, Mysi ac Daci letitia singulari complebantur considerantes sibi ultro dari, quod sine multo sanguine recuperare nequivissent. Compositis rebus omnibus de modo sanciente pacis agi ceptum est. Turci iuramentum in eucharistiam a rege postulant; Gregorius Sanoeus pertinaciter adversatur, ne arcana mysteria, que nulla ratione nisi fide tantum pura munita sunt, infidelibus prodantur. Conventum tandem est utrinque, ut in evangelio nostri, illi in Alcorano iurarent. Scriptis igitur eodem argumento, lingua tamen duplice, condicionibus pacis eas inter se perpetuas inviolatasque fore sanctissimo utrique iuramento asseverarunt.

Confecta iam pace abeuntibusque Turcis, ut ex composito promissa prestarent, Francisci cardinalis Florentini, qui in Hellesponto Latine classis prefectus erat, littere allate sunt, quibus significabatur Amoratem exinanita fere Europa cum omnibus copiis in Asiam adversus Carmanum traiecerisse; occasionem maximam oblatam esse facile recuperandi, quicquid in Europa fuerat amissum. Monere deinde impensis et hortari, ut cum suis quamprimum exercitibus in Macedoniam ac Thraciam erumperent; se ad Hellesponti fauces in tempore affuisse et ex federe promissa prestitisse atque, ne Turci

redeant, facile prohibiturum. Adveniunt quoque Coostantinopoli-¹³⁰
 tani imperatoris tabellarii, per quos festinandam is ob Turcorum
 absentiam expeditionem orabat efflagitabatque ne opportuniorem
 quidem ullam occasionem vindicande a fede gentis imperio Europe
 unquam affutaram et postulatam se a Turco pacem repudiassse si-
 gnificans. Demum instantissime precatur, ne ullam perfide gentis
 pacem rex accipiat neve Turcorum se favoribus obruendum relin-¹³¹
 quat. Recitatis utriusque in senatu litteris tanta regem cunctosque
 proceres facti penitentia mox incessit, ut nullius unquam rei vehe-¹³²
 mentius puderet pigeretque. Omnia immortalitatis fundamenta, que
 iecerant, inita cum Turco pace invitisi insciisque sociis iam irrita
 fore conspicantur, expectationem, quam de se in Christiana repu-
 blica suscitarant, fefellere. Vindices dudum sancte fidei, propugna-¹³³
 tores religionis, ultores Christi et gentium fidelium liberatores olim
 appellatos esse secum reputabant, contra nunc violatores socialis
 fidei et Latini Grecique federis immemores, contemptores immor-¹³⁴
 talitatis et proprietatum tantum commodorum amatores haberi. Ani-
 mos hac penitentia fluctuantes Iulianus tempestivus adoritur :

Si quis vestrum, inquit, proceres, fortasse miretur, quod de¹³⁵
 rescindenda pace ac violanda fide sim verba facturus, is primum
 intelligat me nil aliud hodie quam de servando federe vobiscum
 acturum et pari vobiscum penitentia corripi ; penitentia, dixi, non
 dolore. Quando hec, que me invito facta sunt et preter opinionem¹³⁶
 vestram acciderunt, veluti e specula cuncta prospexi, cogor pro
 legationis officio et Christiane professionis coniunctione iuxta atque
 vos animo fluciare et eo vel maxime, quod de communi honoris
 dignitatisque iactura hodierno die agitur ; quam nisi communi con-¹³⁷
 silio et solita virtute resarcire enitamus, o, quam verendum est, ne
 pre nimia infamia et vobis e Pannoniis egredi et mihi Romam red-
 ire liceat, ubi gravissima queque censura iudicantur. In quas pre-¹³⁸
 cepts miserias consilium nos plane coniecerit, considerate ; pacem
 cum Turco fecimus infideli, ut sanctam fidelium fidem violaremus
 et sacrosanctum cum summo pontifice sociisque principibus initum
 ante fedus rescinderemus ; et cuius, cuius, inquam, utilitatis gratia ?
 Nempe ut Mysiam diu populatam recuperaremus ; exigua profecto¹³⁹
 et calamitosa est ista utilitas, que ad breve tempus intercipi potest
 et cetera commoda, que perpetua fuerant longeque maiora, amo-
 vet et repellit. Quid enim deinentius et magis inconsultum dici pot-¹⁴⁰
 est, quam in deliberando privati tantum commodi et non publici,
 item neque honesti et sancti habere rationem ? Quid Turcorum¹⁴¹
 perfidie prestare debeatis, non id queritur hodie, proceres, sed a
 Iuliano pontificis et Latine societatis legato, actore et auctore irriti
 promissi, violate fidei et soluti federis ante conscientie vestre tri-
 bunal postulamini et vestro potius quam divino alienove iudicio,
 si mea equo animo dicta patiemini, reos vos efficiam. Respondete¹⁴²
 mihi, proceres, nonne, postquam sex menses in Mysia finibusque
 Thracie cum Turcis tot bella feliciter gessistis, deinde ovantes in
 Pannoniam rediistis, ab universa fere Italia et a Grecorum impera-

tore honestissimas legationes accepistis et congratulations fauste victorie et ad continuandum bellum adhortationes? Accepimus. Nonne cum Italos et Grecos, ut illi a Thracia cum auxiliariibus copiis occurserent et hi classem ingentem in Hellespontum mitterent, sacrosanctum ultro fedus me presente et auctore percussistis? Percussimus. Si percussistis, cur cum Turcis isto violato aliud transegistis? quo iure, quamvis transactum sit, servare poteritis? Ergo, si superiore anno cum pontifice maximo, qui dei vicem gerit in terris, fedus inivistis, si humani, si rationis compotes, si Christiani estis, secundum omnino vobis fedus rescindendum est, ne pri-¹⁴⁴ mum et divinum violetis. Quod ni feceritis, vereor, ne, veluti Iudas Christum, ita et vos eius vicarium prodere videamini neve deum, quem hactenus rebus vestris presentem et propitium semper ha-¹⁴⁵ buistis, vobis posthac infestissimum sentiat. Nunc autem, queso,¹⁴⁶ dicite, quid imperatori Constantinopolitano, qui ex composito iam a primo tempore fuit in castris et vestrum in tanta opportunitate exercitum expectat? quid pontifici maximo? quid Venetis et Ge-¹⁴⁷ nuensibus, qui classem instructam habent, ut constitutum fuerat? quid Burgundionibus, qui ardore fidei ex Oceano diu solvere et tot pericula maris emensi nunc in Hellesponto navigant, respondebitis? Commentamini, queso, si potestis, excusationem et colo-¹⁴⁸ rem aliquem, quo non penitus nostri dissimiles videamur. Si quid e recondita arte excudistis, expromite. Promisistis vos quoque primo tempore in castris affuturos; nunc vernant nostri milites et estivant et per calamitosam ignaviam et negligentiam tanta et tam salutaris occasio elabitur. O ingentem animorum cecitatem, o cras-¹⁵⁰ sam ignaviam, o execrabile fedus ad Christiane reipublice iustum ex-¹⁵¹ titum! Incusaverit me fortasse aliquis, cur id cum ceteris toleraverim? Affui, fateor, sed, quantum in me fuit, ne id fieret, intercessi, improbavi et, ut multi ex his, qui hic adestis, testes esse potestis, instantissime damnavi; victus sum Corvini sapientia et auctoritate despotisque commiseratione, ne regno ac liberis intercessione mea ultra infelix ipse carere videretur, et, ne me commodorum vestrorum contemptorem oppugnatoremque quisquam appellaret, tristis et invitius cessi haud inscius hinc salutem Christiane reipublice labefactari, spem glorie ac immortalitatis extingui et nos omnis pariter divini humanique federis violatores, perfidos et Christiane gentis proditores, ut vestra pace dixerim, appellari. Quare,¹⁵³ nisi, antequam perfidie nostre rumor longius effundatur, nos ipsi ab hac intamia vindicaverimus, nihil turpitudine scelereque hoc:¹⁵⁴ vestro maius aut miserius quicquam dici potest. Id si voluerimus, non tam facile quam iuste ac sancte facere poterimus; restituta Mysia redditisque captiuis quid aliud vobis agendum est, proceres, quam instaurare exercitus, parare, quecunque bello sunt usui, initum prius fedus cum Christianis servare, dicere Wladislaum regem post percussum cum Latinis Grecisque fedus nihil inconsulis sociis, quorum auspiciis commune bellum geritur, pacisci potuisse precipue cum hostibus Christiane professionis; si quid illi cum Tur-

cis convenerit, fore irritum, priori standum esse federi? Quisnam ¹⁵⁵ ita iniquus humanarum rerum examinator est, qui non facile iudicet initam cum utroque fidem Christiano potius quam Turco et fideli potius quam perfido esse servandam? Omni in perfidum ¹⁵⁶ hostem arte, vi fraudeque uti licet, ars arte eluditur et frauds circumvenienda est. Dolo Turcus a principio in Europam ¹⁵⁷ traecit, dolo pedentim regnum invasit, nemini unquam fidem servavit, artibus potius quam armis ad rerum fastigium evectus est et vos eone cecitatis pervenistis, ut Turco potius omnis fidei ac rationis experti quam fidelibus Christianis imprimisque pontifici sacro-sancto servandam esse fidem censeatis? Astu et consilio maxima ¹⁵⁸ queque geruntur; Romani maiores nostri semper sociorum fidem recte sancteque servarunt, perfidos pari arte elusere. Cesar impe-¹⁵⁹ randi causa ius quandoque violandum censuit atque Philippus dormitoris Asie parens et magister calliditate ac dolo sepe malo imperandi cupiditate usus est. Non tamen hi proditores appellantur. Fas est quandoque publice salutis gratia neque stare pactis neque ¹⁶⁰ perfidis servare fidem. Fas est iniqua iuramenta rescindere et presertim, que preter equum, fas et bonum esse censemur. Anne Dio-¹⁶¹ medi, quicunque in solo patrio primus occurreret, diis immortaliibus devoenti obvium sibi filium ex voto et iuramento maciare fas fuit? Nempe nefas. Equum igitur et iustum iusiurandum omnium iudicio est sancte servandum; quod autem non modo ad privatum, sed ad publicum facit exitium, illud irritum ac vanum esse debet. Quas ob res, antequam perfidia nostra late divulgetur, ¹⁶² vos queso et non sine lacrimis obtestor, proceres, teque imprimis, rex inclyte, ne datam pro salute Christiane reipublice sacrosancto patri ceterisque fidem ullo unquam pacto violandam censeatis. In-¹⁶³ itam cum Latinis Grecisque societatem fide sancteque servate, suscep-tam ex convento expeditionem sociorum exemplo prosequimini, facta immortalitatis et glorie fundamenta tueamini, provincias Turcorum servitute pressas liberate, collate in vos spei satisfacite, no-lite expectationem gentium nunc fallere, quo nihil turpius esse pos-set. Nulla vos initi cum Turco federis religio teneat; illud censem-¹⁶⁴ nefarium et detestabile pontificii et Christiani federis violare sanctitatem; deum, quod celesti benignitate prohibeat, si aliter feceritis, acerrimum violare fidei fore vindicem existimate et nihil reputate Christo optimo maximo gratius vobisque gloriosius futurum, quam occupatas a Turco provincias omnis humani divinique iuris experti a fera illius servitute vindicare. Nolite hanc opportunissi-mam occasionem preterire, qua nulla commodior unquam dari pot-¹⁶⁵ erit. Destituta a Turcis est Europa Carmanico bello, pontificia classe in Hellesponto interdictus est redditus, Thraciam, Macedoniam et Greciam Epirumque invisere tantum et lustrare opus est. Nul-lus hostis adest. Proinde pontificium, per deum queso, servate fedus et fausta feliciaque castra, veluti vobis cum sociis conven-tum est, in Macedoniam Thraciamque move-te.

Iuliani oratione abrogandam Turcorum pacem omnes exclau-¹⁶⁶

marunt; initam cum Christianis principibus societatem, a quibus ipsi opem implorarant, nullo modo violandam; malle extrema omnia perpeti, quam sancte promissa non prestare et, quamvis maxima commodorum omnium spes in Turcico bello sita sit, tamen, si res etiam parum prospere evenirent, longe satius esse pro Christiana religione mori, excitatam expectationem tueri, servare fidem, quam infamem turpemque vitam ducere. Quare ex consulto senatus et regis auctoritate pax cum Turcis inita abrogatur et malis, inquam, auspiciis antiquatur, quandoquidem sine auctorum abrogationis exitio numina, quecumque pacis ac fidei iura tuentur, id fieri noluere. Ne Corvinus et despotes intercederent, alteri Bulgariae regnum parta victoria ex diplomate promissum, alter belli felicitate remollitus est. Interea Turcorum legati repentine perfidie ne scii promissa ex convento presliterant; oppida, que in Mysia Serviave tenebant, ademptis presidiis pristinis possessoribus restituerant, pro Carambo, quem secum abduxerant, quadraginta Corvino aureum milia persolverant, Rascie regnum liberosque cum ceteris captivis despoti reddiderant. Wladislaus autem decretum abrogati federis Turcorum ad imperatorem Constantinopolitanum et Franciscum cardinalem Latine classis prefecum, ne cepta desererent, repente misit. Poloni rescissam pacem audientes egerrime tulere et, cum revisurum Poloniam regem hinc sperarent, e magna spe excidere neque ignorabant Lithvanorum et Hamaxobiorum gratia inter Casimirum et Boleslaum grave bellum perbrevi exarsurum.

Rex demum per legatum Polonus consolatus instigante Iuliano undecimo Kalendas Octobres Segedino castra movit non pari atque anni superioris exercitu, quando Turcice pacis fama ingens crucigerorum manus abierat; hac etiam causa multi e Polonis Vlachisque dimissi. Ast, ubi ad Orsavam Ungari devenere, pridie Nonas Novembres traiecere Danubium; postquam Bulgariam attigere, primo Florentinum, deinde Budinum in Danubii ripa sicutum venerunt. Quanquam nonnulla oppida presidiaque Turcorum preterirent, nihil usquam hostile factum est, ne minimis tempus preliis tereretur. Nullum inire certamen rex decreverat, nisi necessitas adegisset, donec ad Hellespontum exercitum suum cum Latina classe et auxiliaribus Grecorum copiis coniunxisset. Due ad Gallipolim sibi vie proponebantur, altera campestris et brevior per extremam Thracie oram, qua Macedonia coniungitur, inter Rhodopen Bistoniamque paludem; hac si iter facere pergeret, quia recta Hemus superrandus erat, clivi difficultate et angustiis currus deserere cogebatur; altera ad solis exortum in Pontum, mox preter Ponti litora et lustrata Thracia declinato ad meridiem itinere Gallipolim deducebat; hec, quamvis multo longior et in locis plerisque salebrosa, non tam usque adeo difficilis, ut agendorum curruum copiam interdicceret. Hanc Wladislaus optavit, ne currus dimitteret, quorum circumsepta insidiosos Turcorum impetus totiens inhibuissent. Cum ad Nicopolim Bulgarorum metropolim pervenisset, cuius pars Danubio abluitur, altera in montem assurgit, qua collatas illuc belli trepidationes.

tione provincialium divitias rumor erat, exercitus ab urbis oppugnatione contineri non potuit; primus in suburbana impetus factus est et continuo populata; cum autem menia attigissent, que strenue protegebantur, ab oppugnatione cessatum. Hic dies tres quatuorve reficiendi militis et iumentorum gratia castra moram fecere; regionis ubertate hic omnem inopiam resarserunt et reparata sunt omnia, que bello usui forent, quoniam et via difficilior salebrosiorve supererat ac iter ob frequentia Turcorum presidia longe periculosius. Hic etiam rex facta transvectione exercitum recognovit.

Antequam hinc castra moverentur, Wladislao Dracula Valachie, quam Montanam dicimus, princeps occurrit, vir non parva iustitia et equitate pollens et fortissimus in quoque bello imperator semper habitus; quippe qui modicis copiis, magnitudine animi et sapientia necnon excellenti suorum militum virtute Turcorum bellum vix Christianis omnibus tolerabile preter omnium opinionem sine ullis externe gentis auxiliis diu toleravit tantamque assiduo bello provincialium iacturam fecit, ut vix superessent, qui agros colerent. Hic, ne in Turci servitutem caderet, quando iam nimis attenuatis erat opibus, ad hanc expeditionem veluti ad presentem salutem evolavit. Conspicatus regis exercitum et militum paucitate consternatus eum continuo ceterosque principes orare ac obtestari cepit, ne ultra contenderet, pedem referret, quando non sine suo magno malo sat exploratas Turci vires haberet, quippe qui cum longe maiore servorum manu venatum prodire soleret, quam Ungarice nunc forent copie. Quin etiam adiecit sevitiam hiemis instare, que superari non posset; has ad primum tempus legiones reservandas esse et querenda interim cum supplementis externorum auxilia. Nonnulli Dracule verba in malam partem interpretabantur rati illum, quia ictum cum Turcis fedus haberet, preter animi sententiam ita fuisse locutum. Res tamen ipsa testabatur nihil Draculam dixisse a veritate et salutari consilio alienum. Verum, cum iam regis fatum instaret et Iulianus quotidie magis iter adurgeret, laudato Dracule consilio nequaquam auscultatum. At is, postquam regem ab itinere se revocare non posse cognovit, auxiliorum loco filium cum quattuor milibus equitum expeditissimorum cum eo misit, item duos strenuos iuvenes locorum peritissimos et in digressu ad belli usum duos mire perniciatis equos dono dedit, quorum opera, si qua mala fors adegerit, quod deus avertat, ex omni se periculo facile expedire possit. Adauxerant Dracule metum Bulgare cuiusdam anicule mage responsa, que ad Sulonum vicum belli exitum ab eo rogata respondit Wladislaum regem malis ad Varnam auspiciis pugnaturum et profligati exercitus reliquias adversus Turcum deinde felicius pugnaturas. Hic filium, antequam dimitteret, studiosissime monuit, ut, si parum prospere pugnaretur, ne cum fortune iniquitate colluctaretur, sed ad meliora se tempora reservaret.

In Thraciam deinde rex iter convertit et, cum ad Panisum amnem, qui ex Hemo monte ortus inter Mesembriam et Odessum Euxinum illabitur, pervenisset, deprehensam fluvialium cymbarum multi-

tudinem concremant; creditum hanc ibi esse classem idcirco a ¹⁹⁶ Turco paratam, ut preterlecto tranquilli Ponti litore in Danubii ostia ageretur, mox completa milite subiret Istrum et Pannonias infestaret. Post hec, cum via confragosa instaret et angusta, diviso exercitu ad inhibendos facilius improvisos Turcorum incursus Hemum concendere cepit. Corvinum cum auxiliaribus Valachorum ¹⁹⁸ copiis et tribus Pannorum milibus premisit; ipse longo post intervallo cum reliquo suo et crucigerorum exercitu rite subsequitur. Currus et impedimenta in medio collocata, ut a precedenti et subsequenti agmine munirentur. Iter per angustias ita factum, ut a tergo nihil relinqueretur, quo reditus obcludi posset. Ab utraque ²⁰⁰ parte proxima queque oppida Turcorumque presidia vi capta et succensa; miles non solum a profanis manum non abstinuit, sed ne a sacris quidem et Bulgarorum templis. Id egerrime rex tulit ²⁰¹ exclamans multo plus deo, quam armis confidendum et arma per deos sumpta non esse sacris inferenda; proinde oblata sacris reddi edixit sacrilegii penas interminatus. Per Turcos, quos captivos habebat, mox proximis presidiis eorum significatum est a rege cuique fore liberum aut oppidis tuto cedere, que tenerent, aut, si voluerint, cum Christianis licere stipendum facere; multi condicionem acceperunt, ne, si forte in manus hostium venirent, gravissimis cruciatus afficerentur. Sancte his est servata fides. Contra vero, qui ²⁰³ Sumium Pezechiumque tenebant preruptis utrunque rupibus obsitum, freti nature munitione validisque presidiis condicionem recusarunt. Rex, cum ab his iter a tergo intercipi facile posset, utrunque adoritur; utrunque tandem militum robore audaciaque captum, ubi quinque Turcorum milia cesa sunt et magna preda comperta militi distributa; pars magna hostium captis oppidis e rupibus turbata. In hac expugnatione Ioannis Tarnovini et Lesconis Bobricii ²⁰⁵ virtus enituit, dum alter portas non sine dupli vulnere confregit et alter Pezechii muros primus ascendit.

Vix hac non mediocri victoria Ungari potiti fuerant, cum a ²⁰⁶ Francisco cardinale prefecto classis redditte sunt littore, quibus significabatur Amoratem elusis astu largitioneve speculatoribus, qui infra Gallipolim Hellespontici freti litora servabant, cum maximo in Europam exercitu rediisse et prope Isthmum Thracii Cheronesi cum aliis, qui ex Europa illuc convenerant, coniunxisse. Ne parva ²⁰⁷ quidem Christianorum animos consternatio hoc nuncio incessit. Aliqui retrocedendum, alii munitissimum aliquem locum preoccupandum esse censem, donec iter numerumque hostium explorarent. A ²⁰⁸ Pezechio tandem per montes ac saltus, ubi sese optime tueri poterant (tanta enim vis fati fuit), ad plana descensum est; iter per obliquam vallem in Rhodopen biduo factum et sub Hemum ad sinistram decimo die ad Pontum deventum est. Cavarna reformidato regis adventu sevitiaeque, qua ad Pezechium paulo ante usus erat, dimisis ultro presidiariis deditioinein fecit. Turci quoque ²¹⁰ eodem exemplo, qui presidia per cetera oppida tenebant, aufugere. Quare Macropolis, Callacrium, Galata, Varna et maritima pleraque

oppida a Turcis destituta per ditionem accepta sunt et Christianis obfirmata presidiis.

Sed, cum de Varnensi clade dicendum sit, locorum situs breviter exponetur. Hemus a Mesembria fere oriens in Macedoniam et superiorem Mysiam perpetuo iugo protenditur et a Pannoniis in Pontum preter Danubium descendantibus e transverso porrectus obiicitur et, ni supereret ad Pontum, hac iter fieri non potest. Is ab utroque latere declinans in minora sensim iuga collesque ad Pontum usque desidit vallesque maritimas feraces et amenas facit atque pre ceteris Varne regionem, que iucundum undique circumspectum reddit. Varna vero in angusto sinu inter duo promontoria sita est; in altero Galata, Macropolis in altero presidet; hec a Gallis ex Asia pre infelici militia redeuntibus, veluti Gallipolis et Gallacrium, originem nomenque adepta est; a longitudine civitatis illa denominata. Circa Varnam ad litus usque vineta pomariaque, inferius ad dexteram vallis nonnullis vicis habitata, ad sinistram, qua Galata eminet, palustris porrigitur sub collibus lacuna.

Ad Varnam igitur Christiani castra posuere, ubi nihil militi defore videbatur. Ab Isthmo interea Turci Adrianopolim venerunt, qua Ungarorum nunciabatur adventus; mox continuatis itineribus septimo tandem die haud longius quam quattuor milibus passum a Varna consedere. Quod ubi ab exploratoribus nunciatum est, veluti in ea re fieri solet, nocturne stationes et vigilie redintegrate. Ad regem, qui furunculi molestia in sinistro crure diebus aliquot laborarat, universi proceres convenere, ut de prelio decernerent. Iulianus munienda curribus castra et tormenta circum bellica disponenda esse censebat, ut ab innumera Turcorum multitudine sese tutius protegerent; bellum quoque detrectandum, donec Latina classis afforet, a qua hostes omnino peti reputabat, ut, dum ipsi a fronte pugnarent, haberent, qui Turcos a tergo lassesserent. Eius sententiam Simon Rosgonius Agriensis episcopus, Francus Dalmatie banus et Ungarorum Polonorumque nonnulli sequebantur. Rex adhuc anceps ducebatur. Contra vero Corvinus et despotes consulebant; dicebant enim vallo, fossa curruumve circumspectu in castris muniri non aliorum esse quam consternatorum metu animorum et extrema queaque expectantium; ad inferendum se bellum, non repellendum descendisse, nunquam formidinem militi hostique indicandam; virtute, audacia et celeritate deterrendum hostem; si in castris se obcluderent negataque pugnandi copia obsiderentur, perbrevi extrema fame perituros, quando commeatus affatim non adsunt et in hostili regione comparari nequeunt; neque classis opem expectandam, quando classiarii in terrestri bello parum prodesse possunt et, si quid possent, in tempore fortasse non affore; proinde, cum eo descensum esset, unde sine victoria neque regredi neque quam progredi liceret, forti tandem animo ac extremis viribus cum hoste configendum. In consultatione inter Agriensem episcopum et Corvinum oboritur altercatio; nam, cum Simon detrectandam pugnam et ad munitiora loca confugiendum esse censeret a Cor-

vinoque Pannonice desidie et deliciarum argueretur, Ego, inquit, 225
Corvine, non fugiam neque prelium defectabo et, si vincere non
dabitur, hic me scito moritum; te autem terga versum augu-
rор et ad meliora te tempora servaturum. Rex autem ad hec haud 226
aliter atque instantе ac adurgente fato cum hoste fortissime dimi-
candum esse confessim exclamat et, cum speculatores Turcos sese
dudum armis accingere nunciarent, Corvinum acies parare et in
suis quenque locis ordinem disponere iubet. Dux circumspexus im- 227
primis, ne quid a tergo ex vallibus periculi immineret, fauces, que
inter lacunam et colles intercedunt, curribus precludit, quo se a
pugna, cum vellent, socii facile reciperent. Alterum vero aditum 228
tormentis obstruxit, ut hec eminus hostes exterrerent aut obtererent
infestantes. Post hec instructis aciebus medium regi aulicisque val- 229
lem dedit ad paludem, qui quidem locus tutior esse videbatur, eique
nonnullas Ungarorum Polonorumque legiones adiecit, dextrum vero
latus, qua Varna castris obiicitur, cetero fere equitatu munivit, cum
ea inter paludem et mare Turcis pateret accessus. Hic quoque Un- 230
garica signa statuit dextroque cornu Francum banum et Agriensem
episcopum prefecit. His quoque despotem cum Rascianis et Iulia-
num cum acie crucigerorum adiecit. A tergo apud munitiones et 231
curruum circumspetum subsidia vexillumque divi Ladislai colloca-
vit ibique Varadiensis episcopus cum suo agmine et parvo Lesco-
nis Bobricii equitatu constitutus erat. Corvinus denique cum ex- 232
peditissimo Valachorum equitatu nullum sibi locum definit, sed in
commune omnium subsidium disponit, ut, ubicunque socios labo-
rare senserit, presto adsit.

Contra vero Turcus sex equitum milia premittit, qui hostium 233
numerum et vires speculentur tententque. Imperata illi continuo fac-
titantes ad dextram in collibus apparent; prospectato Christianorum
exercitu veluti e contempta paucitate eminus pugnam conserunt.
Simon Agriensis et Francus, ne loci iniquitate pugnant, se suos- 234
que continent simulatoque metu hostes in plana deliciunt; adaucta
illi audacia descendunt comminusque in planicie manus conferunt.
Tunc Agriensis illico dato pugne signo socios exclamans hortatur, 235
ut pristine virtutis et continuatae victorie memores forti Turcos animo
adorirentur, intrepidi adversus fedam et profanam gentem irruerent,
scirent propitia sibi cuncta esse numina, quando pro aris ac focis
pugnarent. Tantus exemplo factus est impetus, ut sine multo nego- 236
tio terga verterent et in collem se reciperent. Mox ingens equitalus
a colle supervenit, fugientes in certamen revocat; huius pars in
clivo veluti presidiaria substitit, pars reiectis e colle Ungaris ad equa
descendit. Quod ubi factum est, Francus et Simon ex instaurata et 237
adaucta acie Turcos repetunt, nonnullos obtruncant, ceteros in pro-
ximum collis acclivum fundunt fugantque. Varadiensis prospecta 238
Turcorum fuga temeraria percitus audacia relicta statione cum suis
accurrit, veluti ne sine se victoria pararetur. Id ipsum despotes fa-
cit et Agriensis atque a tergo certatim fugientibus instant. Cum col- 239
lem attigissent, ab increbrescente Turcorum multitudine in sinistram

declinantur; despotes ad suos se recipit, Varadiensem pertesum temeritatis sue locorum inscitia in paludem precipitem egit ratum facile se illac ad proximum montem evasurum, sed, cum armatus palustri ceno cum equo inhesisset, ibi obrutum esse ferunt. Simon 240 Agriensis lustrata palude, cum Galatam effugere conaretur, ab hoste cesus est; aliqui captum fuisse ac in servitutem assertum pontificem ex fortune indignitate diu apud Turcos pasturam ovium ad mortem usque exercuisse memorant; plerique se vidisse impudentius affirmant.

Interea Turci turbatis Christianorum ordinibus ad divi usque 241 Ladislai signa pervenerant, quo se Francus, Iulianus et despotes a colle reicti reperant. Hic acre certamen instauratur, pari spe 242 aliquamdiu pugnatum et multi ad munitiones utrinque cesi, verum superveniente Turcorum multitudine sic a Christianis laborari cep- 243 tum est, ut confosso vulneribus plerisque Lescone etiam cum milibus ipsi currus oppugnarentur. Rex et Corvinus, cum apud munitiones presidium iam ad extrema redactum prospectarent, continuo cum maximo impetu accurrere. Horum adventu hostes usque 244 adeo consternati, ut illoco terga dederint. Instabat a tergo Wladislaus et truci in fugientes Turcos cede grassabatur. Ii ad propinqua 245 oppida fusi suorum cladem nunciarant. Sed rex continuo in vallem revocatus, ut Iuliano iterum et Franco succurreret, quos a recentibus Turcorum subsidiis circumventos audiverat. Superveniente rege 246 pertinax hic prelium redintegratur et huc undique Turcorum acies plane confluxerant, qui, cum numero multo superiores essent, continuatis hostem subsidiis defatigabant. Hic rex, cum inter confer- 247 tissimos hostes pre iuvenili audacia et victorie ardore sese ingere- ret, nullum militis et imperatoris pretermisit officium; quacunque se converterat, ingentem stragem agebat. Nemini occurrebat magno 248 equo inventus, quem non e vestigio protereret; hac et illac discursans occurrentem quenque cedere, verbis et exemplo suo socios hortari et passim exclamare, ut pristine felicitatis memores fortissime dimicarent; scirent se pro Christo optimo maximo certare, ul- 249 cisci Iesu Christi servatoris iniurias, pro focis item arisque dimicare; nihil cuiquam esse addubitandum, quando cum iisdem tunc 250 pugnam agerent, quos sepe fugarant; illum diem omnibus huiuscem belli laboribus finem allaturum, quando universa Turcorum natio eo convenerat. Contra e medio suorum agmine obclamatbat Amo- 251 rates; cum suos a Wladislao rege non sine magna cede fugari conspicaretur, ad expianda violate fidei piacula, ad ulciscendam Christianorum perfidiam et ad vindicandum ius rescisse pacis incendit; depromptum e sinu codicem initi sanctissime federis explicat; intentis in celum oculis, Hec sunt, inquit ingeminans, Iesu 252 Christe, federa, que Christiani tui mecum percussere; per numen tuum sancte iurarunt datamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfide suum deum abnegarunt. Nunc, Christe, si deus es, ut aiunt 253 et nos hallucinamur, tuas measque hic iniurias, te queso, ulciscere et his, qui sanctum tuum nomen nondum agnovere, ex violate fidei

penis ostende.

Vix hec dixerat, qui ultimum in se impetum expectabat, cum prelum, quod anceps ac dubium diu fuerat, inclinare cepit camelorum oneriariorum interventu; a cede ad predam Ungari animos revocarunt. Equi iumentorum peregrinorum insolentia perciti colluctari et expavescere occepere. Rex noster cum nonnullis equitibus ultra progressus ad pretorianas cohortes pervenit, quos ianizaros appellant; pedites sunt spectate fortitudinis et ad regis tutelam instituti. Corvinum interea cum subsidiario Valachorum equitatu laborantium sollicitudo distraxerat. In sinistro cornu socios prospexerat a magna Turcorum manu obduci gravissimeque premi. Accurrerat illuc et Turcorum illinc impetum plane represserat. Mox cetera circumspiciens regem nusquam visum disquirit, ad ianizaros usque pervenit; ibi nutantibus utrinque rebus et patrata magna cede regem comperit inter confertissimos sese hostes ingerentem et nulla salutis habita ratione difficillima queque pericula adorientem. Dum a ferventissimo regem prelio Corvinus eripere studet et, ut vite parcat, hortatur, ille nequ quam fidi verba ducis audiens Martio furore provehitur; dextro interim armo confoditur equus, qui, cum prolaberetur in preceps, inter medios ianizarorum enses regem eiecit et confluente ingenti pretorianorum manu, cum regia gestaret insignia, telorum sylva confossus est. Cum regie interim turme dominum nusquam viderent, veluti acciderat, occubuisse rate terga vertunt. Ianizari dudum inclinati conspecta hostium fuga continuo constitere et revocatis cohortibus, que dudum nutarant et confuse fuerant, pugnam instaurant. Mutata Christianorum fortuna, cum toto iam die dimicatum esset, lassitudine correpti misere trucidantur. Confunduntur ordines ac regium agmen in fugam effunditur. Quod ubi Corvinus aspergit, deserto regis corpore, quod recuperare non poterat, ad suos celerrime se recepit, ut superesset, qui hanc cladem et ignominiam haud invitis numinibus ulcisceretur. Despotes et Iulianus dudum ingruente nocte in proximas montium sylvas se receperant.

Varia et fortuna et opinione illo die certatum, nam Turci primum a rege fugati Christianorum victoriam in proxima oppida divulgarunt, qui ad serum usque tempus prelum pertulerunt non usquequaque se vicesse rati ac nescii, quonam locorum se Ungari recepissent, dum ad currus ob silentium insidias aliquas suspicarentur, biduo a castrorum direptione se continuere. In acie ac fuga innumera utrinque multitudo cesa. Ex Turcis multo plures in acie, e Christianis, quos ad XVI milia hominum fuisse perhibent, vix tertia pars rediit. Ex Turcis autem, qui ad hoc bellum cum sexaginta milibus hominum sane confluxerant, triginta circiter milia imperfecta fuisse fatentur. Ex his qui fugerant, locorum inscribia in varia mortis genera preter Valachos coniecti sunt. Multi fame ac siti, nonnulli frigore lassitudineque absumpti; alii ad hostilia loca delati in servitutem rapti; omnes tamen in acie quam fuga mori maluissent. Gregorius Labathan ibi capitul et in servitutem abductus apud Turcos diu fuit liberosque genuit. Iulianum malo-

rum omnium auctorem inter fugiendum cesum esse ferunt; non nulli in castris interfectum in confertissima pugna. Stephanus ²⁷⁰ Ba-
tor comes regalis curie summa virtute ac singulari fide preditus,
cui regia quoque signa commissa fuerant, fortiter oppetiit et inter
congesta cesorum hostium cadavera compertus est. Is Stephani vai-²⁷¹
vode pater fuit integerimi, sapientissimi severissimique viri, qui
tempestate nostra multo felicius cum Turcis in Transylvania cer-
tavit ac una cum Paulo Kinisio collega, ut cumulatissimis patri
parentaret inferiis, sexaginta hostium milia interfecisse dicitur. Hic
etiam Henricus vaivoda Themesii filius desideratus est. Miserrimus ²⁷²
in sequenti nocte sauciiorum ululatus in ea planicie collibusque pro-
ximis audit, qui mutilati letalique vulnera confecti, cum nondum
expirare possent, querulas in nocte voces emittebant. At, ubi ad ²⁷³
castra perventum est, quo crucigeri configere, nec ex integris nec
e sauciis quisquam superstes fuit, ad unum omnes fero more tru-
cidati castraque direpta.

Tales igitur penas exauditis Turci imprecationibus deus iu-²⁷⁴
stus a Christianis exegit. Infausta pleraque signa regis optimi fata
portenderant. Imprimis galea inter armandum servi manu delapsa;
insolens equi reluctatio et post instructam aciem ingens in tran-
quilla celi serenitate ventorum tempestas, regia signa dilacerata et
hastis exuta sunt; atque mox ventus ille desidit; item terre motus
vehemens, qui paulo post solutum rescindente pacis conventum
secutus est, et insolite fluviorum inundationes. Corvinus cum Va-²⁷⁵
lachis amissis castris et impedimentis ac ceso fugatoque exercitu
recta cum reliquo Ungarorum et Valachorum equitatu ad Danu-
bium cucurrit superatoque amne per Valachiam celerrime, ne quid
ob hanc cladem Fredericus imperator cum hostibus moliretur, quem-
admodum infra referemus, in Ungariam se recepit.

Quanquam Callimachus et Ungari bellum ita gestum retulere, ²⁷⁷
haud ingratum tamen fore existimamus, si, ut res verius enarretur,
Turcorum quoque testimonia subiecerimus. In tria utrumque exer-²⁷⁸
citum agmina in Varnensi agro divisum fuisse referunt; Amoratem
in uno cornu Asie, in altero Europe basseum cum suis utrumque
copiis collocasse, in medio se cum pretorianis cohortibus, id est
ianizaris et tribus equitum expeditissimorum milibus statuisse, suum
agmen altiuscula fossa valloque premunisse, ut, si quid adversi
accideret, veluti in tuta castra se reciperet, intra vallum onerarios
camelos et iumenta loco muri simul perpetua catena coniunxisse;
contra apud Ungaros in dextro Corvinum, in sinistro cornu Mi-²⁷⁹
chaelem ex cognomento Nigrum prefuisse, regem Wladislaum in
medio constitisse; antequam collatis signis congrederentur, in ca-
s'sris fuisse deliberatum, ut Corvinus et Michael cum duobus bas-
seis eodem tempore prelium inirent et regium cum regio agmen
congrederetur. Ex composito pugna conseritur; Michael Asiaticum, ²⁸⁰
Europicum basseum Corvinus magno impetu adoriantur; in corni-
bus utrisque diu anceps ac pertinax pugna fuit. Quamvis multi ²⁸¹
utrinque cecidissent, Corvinus tamen prior Europicum inclinavit;

Asiaticus college exemplo consternatus ipse quoque terga vertit.
Mox ambo palantes in fugam versi, dum in colles se recipere co-²⁸²
nuntur; instant a tergo duces et inter fugiendum multos obtruncant;
decem circiter milibus passuum ad proximum usque flumen inse-
quuntur. Dum hec ita feliciter ab utroque duce geruntur, in regio
agmine prospecta istorum victoria de adorienda Amoratis acie, qui
contra fortune varietatem se muniverat, aliquantis per contrariis est
sententiis disceptatum. Alii fugatis basseiis, ne rex victorie expers²⁸⁴
videretur, adoriendum Turcorum regem esse censebant; nonnulli
dissuadebant et expectandos esse socios, ut castra tutius expugnari
possent, affirmabant. Rex glorie cupidus, ut, veluti duces cum du-
cibus, ita rex cum rege congrederetur, more impatiens quadrato in
Amoratem agmine contendit. Ille intra munitiones ac vallum cum
ianizaris se continens non occurrere neque manum conserere ausus
est. Quin et paulo ante de fuga cogitarat, nisi fortia cuiusdam
militis dicta, quem opibus et honoribus deinde multis affecit, remo-
rata fuissent. Wladislaus primo impetu pro fossa et vallo vehemen-²⁸⁷
ter insultat, ad invadendas munitiones suos hortatur. Mox, dum
circuit castrorum aditum, apertum invenit, quem ab utroque latere
longa ianizarorum acies plane vallabat; rex iuvenili tractus audacia
vix cum equitibus septuaginta per aditum ostensem intra castra
prosiluit et in primo plerosque congressu proterit confoditque.
Phalanx Macedonica hunc exemplo circumvenit, ut virum miro²⁸⁸
decore roboreque prestantem et armorum fulgore coruscantem ca-
peret, rata haud aliter, atque evenit, illum fore regem. Rex dum²⁸⁹
strenue se tuetur et hac et illac insultat ceditque, ianizari equi la-
tus pedesque subcidunt, procumbens in medios hunc equus ef-
fundit; subducta galea, cum ex vultus maiestate et prestantissima
armorum celatura a plerisque confestim agnosceretur, e vestigo
Amoratis imperio caput abscidunt hasteque prefixum pro vallo sta-²⁹⁰
tuunt. Quod ubi conspexere sui, dicto celerius animo consternati
terga vertere; quicunque cum eo castra invaserant, pari fato oppeti-
erunt. Cum fugientes Christianorum legiones Turci confestim inse-²⁹¹
qui voluissent, Amorates inhibuit ratus multo tutius fore oblatam a
fortuna victoriam accipere, quam cum periculo ab hostibus extor-
quere; quare neminem e castris prodire permisit. Cum autem Cor-²⁹²
vinus et Michael sub crepusculo fugatis hostibus redirent, fusum
fugatumque regis agmen inveniunt, exultantia Turcorum castra pro-
spiciunt, iniqua suorum fortuna consternati ipsi quoque in fugam
versi ad Istrum recta contendunt; e militibus itinere defatigatis fa-²⁹³
tum regis et belli exitum coniiciunt; re cognita multo magis exani-
mati superato amne in Valachiam traiiciunt, ut hac in Transylva-
niam iter faciant. Turci in sequenti die, cum hanc non fugam, sed²⁹⁴
Corvinas insidias esse reputarent, ut a proximis, ubi illuxerit, sylvis
prelium redintegraretur, omnia circum loca instructa acie premis-
sis speculatoribus disquirunt; quin et castris hostium, que curribus²⁹⁵
circumvallarant, adherere non audent; ast, ubi omnes longius au-
fugisse compertum habuere, castra invadunt; quoscumque invenere,

ad internectionem trucidant. Eodem die basseum Asiaticum cesum 297 esse cognoverunt, quod egerrime tulit Amorates. In castris ianizariorum prefectus a Wladislao superiore die confossus interiit. Is fuit huiusce belli exitus, ut a Turcis nonnullis audivimus.

Varnensem igitur cladem anno quadringentesimo quadragesimo 298 quarto ultra millesimum et pridie Martinarum feriarum gestam esse perhibent. Ob commissum ingens violate fidei piaculum ad placandum iratum numen hanc sanctam et immaculatam regiamque victimam devovi sibi deus voluit, ut, quem ipse terris iudicaret indignum, exuta mortalitate referret inter deos. Quarto Ungarici regni 300 anno et in florentissima etate Wladislaus occidit; princeps omnium regum, si vixisset, omni probitate, iustitia et integritate peditus, cui animus insons et excelsus, continentia magna, fortitudo ingens, ingenium ad imperandum et ad bella queque gravissima promptissimum, laudis cupidum et immortalitatis; preterea tam mite, clemens et benignum, in quos opus erat, et ad officia queque paratum, ut neminem a se dimiserit, qui mansuetudini illi regie se perpetuo non profiteretur obstrictum, item suorum amantissimus, omnium morum nobilitate precellens. Procero fuit corpore et laboris ac 301 inedie tolerantissimo, fusca facie, nigris crinibus et ingenti robore, vultu autem venusto et tacitam sibi venerationem exposcenti. Promulgata eius morte multo vehementius ab Ungaris quam Polonis deploratus est, quando illi se ab eo desertos, hi vero sanctissime gubernatos existimabant. Omnes Christiane reipublice potentatus gloriostissimi principis interitum defleverunt imprimisque pontifex maximus, qui ad primum mortis nuncium collacrimavit et in divi Petri basilica sollemnes illius manibus inferias persolvendas edixit. Quin 302 etiam inimici ad mentionem sui nominis ingemuere atque ex huius interitu ferum Amoratis animum aliquid commiserationis incessit, quippe qui, ubi in castris suis oppetiit, ibi in perpetuum sue fortitudinis et magnanimitatis monumentum sepeliri iussit ad caputque columnam statuit, cui nominis honestissimeque mortis excisa est inscriptio. Casimirus frater pientissimus ipsum diu cum universa 303 Sarmatarum nobilitate deploravit ac sollemnia iusta persolvit. Nostris quoque temporibus nusquam eius mentio facta est, quin ad ipsum nomen auditores ingemerent divinisque dignum honoribus omnes, etiam et hi, qui adverse factionis fuerant, procul dubio iudicarent. Classis pontificia auditio conflictu in Italianam vela reflexit, 304 cum tristem lacrimosamque victoriam Turcis Ungari reliquissent, vano quodam metu inscitiaque correpti.

Cum in Valachiam Corvinus traiecerisset, quam Transalpinam 305 vocant, in amica provincia a Dracula vaivoda preter opinionem nefarie capitur; dies aliquot non parum honorifice ab eo retinetur. Dracula tandem facti pertesus, cum se virum temere cepisse ac 310 societatis iura lesisse videretur, multis eum muneribus donatum in Transylvaniam remisit. Quare id Dracula fecerit, nondum compertum habeo; multi, ut Turco aliquantulum gratificaretur, quocum paulo ante fedus iniverat; alii, quia filio nondum reverso timebat,

quem cum quattuor milibus equitum Corvino vel maxime persuadente in hanc expeditionem regi dederat, id in causa potissimum fuisse arbitrantur. Postquam in suam Corvinus provinciam se receperat, curatis refectisque militum corporibus, quando adulta hic bruma hibernare cogebat, Budam ingruente vere pervenit.³¹²

LIBER VII.

Post, ubi Wladislai regis interitum et vix tertiam e Varnensi clade partem exercitus superfuisse pontifices optimatesque cogerant, ad inhibendas mutuas in regno iniurias de vi, de dolo malo, de latrociniis, cedibus et rapinis severa decreta promulgarunt, ut, donec procerum nobilitatisque reliquie, que e bello superfuerant, redirent, tranquillum quietumque regnum servarent. Nihil vehementius expavebant, ne qua in tanta rerum perturbatione ex pristinis factionibus seditio interim oboriretur. Mors tandem optimi sanctissimique regis, quem vulgo sexus et etas omnis deplorabat, ita cunctorum animos consternatos habebat, ut, qui de eiiendo ex Europa iam Turco spes maximas plane conceperant, nunc ipsum pro menibus insultantem cernere videantur. Id pacatum eo tempore regnum habuit. Cum Wladislao mortuo regalia comitia instarent, patres ad proxima festa Pentecostes frequentissimum conventum apud campum Racon, qui Pesti menia circuit et nomen a cancro inditum adhuc servat, indixere.

Corvinus, postquam in Ungariam se receperat, ob rem ex violata fide quadam fati iniquitate male gestam nunquam ea hieme, ut iacturam sui nominis resarciret imminentiaque pericula repelleret, quietem ullam habere potuit. Crucibatur Turci audacia, quem non robur, non prudentia, sed fortuna victorem effecerat; et is ad Savum usque expeditissimos equites post victoriā plane dimiserat, qui omnia incursarent. Succurrebat ingens rerum metus, quando hinc Amoratem hostem acerrimum et illinc Romanum Cesarem infestum habebat; augebat curas intestini belli timor, quod diu regnum male vexarat, et Bohemorum iniurie, qui Transdanubianam regionem erectis in locis plerisque presidiis latrociniis infestam tenebant, quamvis hec futura Ladislai electione cito pacatum iri sperabat. Cum autem nullum formidolosius quam a Turco discrimen instaret, ad hoc imprimis repellendum sanctissimus ille Pannonice reipublice pater regnique servator animum advertit. Quare, cum duabus legionibus, que non parum superiore bello diminute fuerant, supplementa adiecisset, extemplo versus Mysiam superiorem iter intendit; in itinere nunciatur Turcos ad Sarnon usque oppidum venisse, incursare, populari passimque omnia diripere. Id oppidum XX milibus passuum a Savo amne recedit. Ne minore quidem quam ante audacia Corvinus hostibus occurrit, continuatis utique itineribus in Savi tandem ripa e conspectu Turcorum castra posuit et, cum audacia et celeritate e Iulii Cesaris instituto deterrendum semper hostem esse arbitraretur, rem consilio muniendam et novis

instans prelum auxiliis ingenii obfirmandum esse censuit. Multos ¹¹ in castris ignes ea nocte, qua cum hoste congregati decreverat, excitavit, ut prospectis e regione ignibus nihil ille mali ea nocte, ab Ungaro iam timeret. Mox in prima Corvinus vigilia militem ¹² armari et amnem instructa continuo acie superare iubet; tertia vigilia universus in aduersa Savi ripa consederat, deinde continuatis ordinibus adversus Turcorum castra, qui nihil tale verebantur, pleno gradu contendit; incautos et sopitos adoritur. At illi repentinio tumultu et clamore consternati alii arma querunt, pars ignobilior fugam molitur; nonnulli in primo congressu saucii cum somno ac hoste pariter collectantur. Pre nimia ulciscendi libidine ¹⁴ Corvinus ita sevit, ut, dum primos eque obtruncare pergit, aliis fugiendi spatium dare cogatur. Multi a principio cesi, mox ceteri ¹⁵ in fugam versi suffragante nocte se in sylvas receperent. Corvinus fuso fugatoque Turcorum exercitu in inferiorem Pannonię se recepit.

Interim, ne qua Corvine virtuti cessatio detur, nunciatur Ulrichum Celie comitem post Varnensem cladem nova moliri et quadragesime resipiscentie tempore universam Croatiam Sclavoniamque hostiliter infestare; multa in utraque provincia oppida occupasse et, ni provideatur, per brevi totam Dalmatiam in tyrannidem redacturum. Item a patribus exoratur, ut post fusum Turcum in Ulricum arma deflectat. Corvinus, ne interregni tempore Pannonice res periclitarentur, haud mora, preter Dravum amnem ductis his copiis, que ad hanc expeditionem sat esse viderentur, iter facit; supra Petoviam, que in Dravi ripa sita est, ascendit, ubi Celie comitatus e conspectu fuerat. Hi quondam reguli magnis olim opibus et auctoritate pollebant, quando Sigismundum imperatorem Barbarum Hermanni filiam uxorem ducere non puduit. Ulricus, de quo agitur, Frederici filius et Hermanni nepos erat et Zagoriam, Varasdinum Caprunciumque oppidum preter alia multa tenebat. Corvinus igitur preter Dravum subiens, ut in hostis conspectu fuit, proxima nocte tumescentem fluvium cum quattuor milibus equitum natando traxit, mox infestam Celie regionem incursat, vastat agros, vicos incendit, incauta nonnulla castra capit; tanta regionem trepidatione complevit, ut de publica deditione cogitaret. Ulricus sevo repentinio bello in sue temeritatis penitentiam adductus a Corvino pacem supplex postulavit, qua data se corone Ungarie perpetuo paritum esse pollicetur. Supplicem Corvinus comitem ad regni partumque obsequium redactum benigne tractavit. Cum regalia ad campum Racon comitia instant propediem, pacata provincia relictaque ibi magna parte copiarum ad indictum conventum proficiscitur.

Cum in tempore ad comitia descendisset, imprimis de rege ²³ eligendo agi ceptum est; id sine ulla secessione transactum. Nam ²⁴ una omnium voce suffragioque, ut par erat, Ladislaus postumus Alberti filius rex Ungarie declaratur, qui annum tunc quintum agebat. Cum regno autem per etatem foret immaturus, de gubernatore eligendo agitatum est. Quanquam plures in comitia competitores ²⁵ descendissent, qui se tali honore dignos esse credebant, veluti Ni-

colaus Uilacus aliique nonnulli, Ioannis tamen Corvini virtus de Pannonica Christianaque republice semper optime merita omnes ambire, omnium sibi suffragia comparare videbatur neminemque sibi patiebatur anteferri; quin etiam et invidorum favorem plane ²⁶ sibi conciliabat; memoria rerum tam preclare gestarum oculis omnium obversabatur. Si qui pre livore aliter sentire voluissent, cum ²⁷ cessante Corvino iam de publica salute actam esse videretur, nequaquam refragari cogebantur. Quare patrum ceterorumque ²⁸ sensu, quounque Ladislaus regni compos esset, Corvinus tradita reipublice summa gubernator Ungarie pronunciatur, quod anno salutis quadringentesimo quadragesimo quinto supra millesimum festisque diebus Pentecostes factum est. Cum maximo plausu ²⁹ gubernator ab omnibus consalutatur idque, ut faustum ac felix ei Pannonieque foret, omnes passim congratulabantur et pro ipso ac reipublice salute vota magna nuncupabant; pro eo supplicationes indicte ac omne hilaritatis genus editum.

Soluto conventu exigende primum a Dracula Transalpine Va- ³⁰ lachie duce pene succurrunt, quippe qui lesu hospitis societatisque iure a Varnensi clade redeuntem interceperat. Quare delectum confestim habuit coactoque exercitu in provinciam contendit. Superatis ³¹ deinde Alpibus hostili animo Valachiam adoritur, vicos oppidaque multa succedit, perbrevi bello universam occupat Draculamque in oppido quodam cum duobus filiis capit. Patrem nequ quam depre- ³² cantem cum filio, qui natu maior erat, ad supplicium educi iubet, ambo capite multati dignas perfidie sue penas exolvere; alteri autem filio, qui natu minor erat, utraque sunt exerta lumina. Dra- ³³ cule aliud vaivodam, ut aiunt, Corvinus tunc suffecit. Demum pacata provincia Budam ovans rediit. Paucis post diebus pontifices et proceres convocavit, ut de rebus agendis consulteretur. De po- ³⁴ stumi regis et corone repetitione ad patres retulit; illi censuere mit- tendos esse ad Cesarem legatos, qui imprimis decretum regie elec- ³⁵ tionis exponerent, deinde suum dominum et coronam repeterent, ut alter in Pannoniis educatus Ungaros vehementius amaret, altera apud eos esset, quorum reges illa carere sine nefario scelere ne- queunt. Legati designati Viennam veniunt et Cesari mandata rite ³⁶ exponunt. Respondit imperator optime tandem ab Ungaris factum esse, qui suum ac verum regem recognoscerent; electione opus non fuisse super eo, quem ius hereditarium et natura regem ge- ³⁷ nuiisset; puerum autem et coronam haudquaquam adhuc restitui oportere, cum ille regni sit impos et semel coronatus rite fuerit; tutore quoque adhuc egere eodemque fidelissimo et, qui se artius attinente fidelior inveniri possit, haud facile dari; maturam regno etatem manere oportere, ne immaturo rege res male gerantur, proinde, quando interregem habent, suis Ungari auspiciis regnum ad- ministrent. Legati reversi Cesaris in senatu responsa retulere, que quidem patribus parum grata fuere. Intelligebant enim, nescio, quid improbitatis pristineque malivolentie responsa talia subolere, quare legionibus biennio sepe repetitis Fredericus imperator, ut

puerum coronamque sibi ab Elisabetha creditam redderet, nunquam adduci potuit. Ex abnegato rege coronaque non parve ob-³⁸
 oriuntur inimicitie, que nonnullorum quoque oppidorum repetitione,
 que imperator in Ungaria sibi usurparat, augebantur. Quare Cor-³⁹
 vino interregi gubernatorique e senatus consulto expeditio in Au-
 striam adversus Romanum imperatorem plane decernitur, ut verbis
 olim postulata bello repeatantur. Comparato exercitu non mediocri⁴⁰
 is Austria hiberno tempore invadit, ferro ac igni vicos et oppida
 vastat. Sempronianum, Viennensem et Neapolitanum agrum incur-
 sans omnia diripit, populatur et inflammat. Neapolim obsedit⁴¹
 natura et arte munitissimam, ubi, ne frustra tempus terere vide-
 retur, soluta obsidione ad populandam incendendamque provinciam
 animum advertit. Pari sevitia incommodisque Styriam et Carin-
 thiā afficit. Tot rerum rapinis ac tanta pecorum hominumque⁴²
 preda castra compleverat, ut se quoque patrate crudelitatis com-
 miseratio subiret. His tamen malis invitū hostilem regionem affe-
 cit, ut imperatorem ad reddenda postulata redigeret. Contra ille⁴³
 multo pertinacius proposito suo perstare, foris nil contra moliri,
 oppida tantum obfirmata presidiis pro virili sua tueri, malle mori
 quam cedere, proinde neque precibus neque minis neque vi deni-
 que ac metu ullo moveri. Corvinus autem, ne plus equo sevire⁴⁴
 videretur, populata vastataque provincia ingenti preda onustus
 ovansque Budam rediit.

Duos circiter annos in regno quievit, ut civiles lites dirimeret⁴⁵
 optimatumque causas componeret. Interim ius omnibus eque dixit,
 iudiciis integrerrime prefuit, multas a foro procul controversias dir-
 emit. Nulla iniquitatis unquam suspicio in illo viro deprehensa;⁴⁶
 in negotiis expediendis usque adeo festinus et ardens, item in au-
 diendis in omni genere hominibus patiens et indefessus, ut sedens,
 stans, incedens equitansque rogatus ius diceret. In miseros, sup-⁴⁷
 plices ceterosque virum adeuntes pius admodum et popularis; nec
 officio ab amicis nec ab inimicis maleficio se facile vinci patiebatur.
 In hoc brevi otio ad futura se bella preparabat; congregebat pe-⁴⁸
 cunias et quecunque bello sunt usui. Ne quid interea discordiarum⁴⁹
 inter optimates oboriretur, miro studio, arte diligentiaque in recon-
 ciliandis procerum nobiliumque animis utebatur. Ceterum non diu⁵⁰
 sibi quiescere licuit, quando se ab Amorate acerime peti senserat.
 Ne mitius quidem ipse se gerebat in eum, quippe cui nihil erat
 antiquius sollicitantiusque, quam Varnensem cladem nominisque
 iacturam ulcisci. Interea per speculatores sibi nuncialum est Tur-⁵¹
 cum nova moliri, delectum habere in Asia et Europa, magnos fa-
 cere apparatus et in Ungaros arma sumpturum rumores passim
 diffiri.

Corvinus igitur, qui otii tempore nil magis sollicite agitarat,⁵²
 quam Turcice expeditionis apparatum, quarto sue gubernationis
 anno, salutis vero Christiane quadragesimo octavo supra millesi-
 mum et quadringentesimum cum duobus et XX milibus hominum
 ex Ungaria castra movit. Valachie nanque Montane vaivodam, ut

aiunt, in huiusce belli societatem asciverat. Corvinum magna semper cepta auspicantem legatus imprimis apostolicus sequebatur Coronensis episcopus, e proceribus autem Ungarie Emericus Pelusiensis vaivoda Transylvanus, Ladislaus frater eius, Emericus Marzalius ianitorum regalium magister, Raynaldus Rosgonius, Thomas Zeech, insuper Francus Talomicius Dalmatie Croatieque prefectus, Ioannes Zechel Corvini frater, Benedictus Losoncius, Stephanus Pamphi Nicolai Pamphi pater et bani quondam filius, quibus quidem omnibus de Lindva cognomen erat. Preterea Georgius Ciacus, Robertus Garrus, Ioannes Corothna quadrumvir, quem nunc regni iudicem appellant, et innumera nobilium multitudo secuta. Iter Transdarubium inivere; superato Tibisco amne per Daciam in Mysiam descenderunt, sed, ubi ad Cubin in conspectum Mysie pervenerunt, paulo infra, ubi Morava fluvius per Mysiam currens in Danubium fertur, Istrum traicerunt, ad Severinum oppidum alii transmisere. At, postquam in adversa Danubii ripa constitere, Corvinus despotem, qui clandestinis cum Turca internunciis recuperato Mysie regno pacem servare nitebatur, per legatos hortatur et orat, ut sepe a se rogatus ad sacram expeditionem veniat beneficiorumque, que ab Ungaris acceperit, memor esse velit et ingratitudinis infamiam caveat, qua nihil boni viri dignitatem magis dishonestat. Insuper affirmabat de bello bene sperandum, quando neque pecunie neque copie deforent; duorum et viginti milium se ductare exercitum, accessisse Valachorum auxilia; nihil huic militiae preter despotem Rascie principem deesse, cuius consilio ac viribus si presens expeditio adiuvetur, nihil ultra exoptari posse. Proinde impensis orare, ut coactis continuo equitum turmis expeditissimorum sua castra sequeretur. At ille male sentiens, ut honestius militiam detrectaret, variis se modis excusat. Imprimis pacem causatur, quam cum Turco initam, quamvis invitus aliquantis per Varnensi bello violasset, adhuc tamen Amoratis indulgentia servatam continuare studeret, ne in pristinam miseriam recideret. Item importunitatem temporis arguit, quia precipiti autumno Severinum applicuerant, et quam difficile sit, dum hibernant alii, in frigidis regionibus bellum agere, quod sat e superiore bello haud impune didicere. Hec et multa alia, ut se iturum honestius abnegaret, despotes communis scitur. Sed virum livor magis incesserat; egerrime nanque ferebat data sibi repulsa Corvinum gubernatorem fuisse creatum. Suppudere quoque se despotem ac Mysie regem imperatoris genere natum sub gubernatoris ductu et auspiciis militare multoque maiore se honore dignum esse censebat, quam gerere potuisset; invidia sese recognoscere et aliquid in hac re pensi habere minime patiebatur. Corvinus ad hec responsa succensus admodum interminatur se suis omnino manibus ingratissimum hominem Indorum exemplo capite multatrum, Rascie regnum digniori traditurum, si ex hoc bello victor evaserit. Mox per Mysiam haud aliter atque per infestam regionem iter in Bulgariam intendit,

Despotes abeunte Corvino ad perfidiam illico conversus cele- 65
 ribus internunciis Ungarorum adventus et copiarum multitudinis Amoratem admonuit, quin et quotidiana significat itinera cum invi-
 die tum gratificationis gratia, qua pacem cum eo facile servatum iri confidebat. Item edocuit Corvinum cum modicis illac copiis tra- 66
 liecisse, nil ipsi timere oportere; preterea hosti haudquaquam occur-
 rendum, sed permittendum ultra progredi, mox a tergo iter ob-
 struendum; quod si fecerit, illum nunquam inde redditum asseve-
 rabat. Corvinus autem gravissimo bello intentus iter pro virili sua 67
 properare, creberimis Sandarobechum Albanensium principem litteris vexare, quocum adversus Turcum paulo ante fedus percus-
 serat, approperaret, quando iam ipse hostibus appropinquabat; ita 68
 enim cum eo consilium iniverat, ut ipse cum Ungaris a Rascia Bul-
 gariaque, ille ab Illyrico Turcis pariter occurrerent, ut a fronde tergo-
 que vexati facile vincerentur. Quod haud ab re fuisse, si San- 69
 darobechus, quem illi barbare Alexandrum dominum vocant, prelio in tempore affuisse. Sed immatura pugne festinatio recti consilii finem intercepit.

Amorates despotis consilia nequaquam aspernatus Corvino re- 70
 gnum invadenti non occurrit, permisit hostem ultra progredi atque ipse duorum triumve dierum itinere subsequitur a tergoque, ne retro pedem referre possit, iter obstruit. Iam in planitiem uterque per- 71
 venerat, quam in Rascie Bulgarieque finibus longe lateque spatian-
 tem Rigomezenem Ungari, Rasciani Cosovam nunc vocant, nos Cam-
 pum Merule interpretamur. Hanc fluvius interfluit, qui Scithniza 72
 nunc dicitur et ab Illyrici montibus defluens aliquamdiu vagatus Istrum influit. Campi huiusc longitudo passuum est XX milium, 73
 quinque milia contra latitudo. Circumvallatur utrinque montibus amenissimis in circi speciem et fluvius ac montium appendices re- conditeque convalles proxime haud iniucunda vicorum frequentia celebrantur. Cum in campum haud aliter atque in agona prius Un- 74
 gari, deinde Turci descenderent, ad pagum amnis accolam, qui in aditu situs est, anus exclamavit: Euge, quam vereor, ne parum equis 75
 Ungari nunc dimicent auspiciis, quando traiectus eorum vado exer-
 citus vix unum, Turcorum vere dies tris fluvium perturbavit; veluti futuram cladem ex inopia copiarum hariolaretur. In media fere pla- 76
 nitie collis modicus assurgit, cuius radices Scithniza lambit. Non multo ulterius ad caput equoris quedam turris erat cuiusdam olim Amoratis tumulus et pyramis, qui profligato exercitu ibi cesus et sepultus est. Illud quoque nunc Amorates verebatur, ne Corvinus, qui 77
 precesserat, in malum hostis auspicium pyramidem preoccuparet. Quare pleniore gradu subsequitur, ut prius cum eo manum con- 78
 serat, quam is turrim attingat. Ad collem igitur Corvinus venerat in medio campo surgentem et in eo castra locat Sandarobechi auxilia expectaturus, qui in horas accurrere dicebatur. Amorates ve- 79
 ritus, ne proxima turris occupetur et Illyricorum auxilia superveni-
 ant, Corvinum irritat ad prelum; detrectat ille, donec ab Illyrico auxilia superveniant. Hic multo impensius instat, aquationem ligna- 80

tionemque inhibet, pabula proripit et, qua potest, arte vique laces-
sit; addebat Turce audaciam ingens copiarum multitudo, quas octo-
ginta circiter hominum milia esse ferebatur. Invitus in certamen ⁸¹
Corvinus descendere cogitur, quando aqua ceteraque necessaria in-
terdicebantur. Tandem in divi Luce sollemnibus ac die lovis ex-⁸²
ercitum armari iubet eumque in duo et triginta agmina dividit;
munitiones omnis in colle adversus hostes parat et intendit. Acies ⁸³
sic instructas sacris deo servatori operari, mystica inter se conces-
sione ac terrestri communione uti imperat et in contione militem
ad prelum hortatur:

Venit tandem, inquit, dies, o socii, quo, si quid e Varnensi ⁸⁴
fuga dedecoris et ignominie contraxistis, hodie pristinum fidei
et virtutis vestre nomen recuperare et acceptam cladem ulcisci licet.
Si viri esse volueritis, e tot cladibus, quas a vobis accepit hostis, ⁸⁵
has vobis reliquias obiecit, que, etsi numero potiores, spe tamen,
causis et viribus multo inferiores. Quidnam illis sperare licet, qui ⁸⁶
non pro suo, sed alieno pugnant imperio et, dum vicerint, in hac
servitutem et in altera cruciatum, in utraque vita perpetuam miseriam
consequuntur? Vobis contra, utro se res vertat, pro regno vestro, ⁸⁷
pro liberis, pro patria, pro focis et aris sane pugnantibus eternam
ac solidam utriusque vite felicitatem sperare licet. Cause quoque ⁸⁸
vobis longe vehementiores, quippe qui nisi hostem fortissime ce-
cideritis, de salute fortunisque vestris omnino est actum. Utrarum-⁸⁹
que vires explorate satis superque. Ad Varnam semel male pugna-
tum est, ubi, si partis quandoque utriusque fortunam commutare
liceret, maluisset fortasse Turcus suorum cedem cum nostrorum
fuga commutare, cum fugientes insequi nequierit gravissime cesus,
quam tot suarum gentium fecisse iacturam. Illis plus detimenti, ⁹⁰
vobis plus turpitudinis illatum, quamvis illi vi coacti damna, vos
ultra fuge ignominiam subivistis. Verum illius fortasse cladis irata ⁹¹
potius numina, que violatam a nobis fidem ulcisci voluere, quam
vestram ignaviam in causa fuisse crediderim. Nam perfidie illius
auctores ad unum omnes capitales illic penas exolvere. Nos, qui ⁹²
inviti ad id bellum venimus, una vobiscum adhuc divina benigni-
tate vivimus ad Christiane republice tutelam reservati et im-
primis Ungarie, ne Turcorum armis ac rabie obrueretur. Ho-
stium numerus vobis nequaquam reformidandus, quando cum ⁹³
multis pauci sepissime pugnare ac vincere didicistis. Divinis po-⁹⁴
tius quam humanis viribus hucusque dimicavimus, in nomine
Iesu servatoris nostri profanas facile acies dissipavimus. Quocun-⁹⁵
que pedem tulimus, in prepotenti nomine victricibus semper armis
viam aperuimus, quia divino ductu et auspiciis militavimus; hinc
mortalium servatorem, hinc divam genitricem semper nobis affuisse
sensimus. Neque hodie nobis before credimus, si celestis charitatis ⁹⁶
et virtutis vestre memores esse volueritis. Adiutor deus semper
adest sancte ac strenue dimicantibus. Accedit tutus pugnandi mo-⁹⁷
dus, cataphractorum equitatus, qui in arcis munite speciem haud
facile expugnari potest. Cohortes he sunt nobis militum, que et ⁹⁸

facile regi et hostibus sat esse videantur ; innumera multitudo confunditur. Accedunt varia tormentorum ac munitionum genera, quibus illi carent. Preterea in horam Sandarobechus cum auxiliaribus ⁹⁹ copiis affuturus est. Periculum non est ita magnum, ut timeatis, neque ita parvum, ut contemnatis. Retro sine victo hoste cedere ¹⁰⁰ non possumus, quia per has montium angustias exercitus egre duci potest, et, si omnis daretur regrediendi copia, re infecta ac sine solita gloria redire non licet. Fortissimis ardua cuncta viris proposita sunt. Proinde, quando novissimus vobis iste labor ¹⁰¹ imminet, quo universe Turcorum vires ad extremum recidi possunt, vos per eum deum, sub cuius nomine militamus, oro et obtestor, socii, item per patriam, liberos et fortunas vestras, ut dato pugne signo ita strenue dimicetis, ut divinas humanasque iniurias a feda gente susceptas et Varnensem imprimis cladem abunde ulciscamini. Sanctum ibi regem amisimus, qui pro salute nostra, pro commisso ¹⁰² lese fidei piaculo se devovit. Regali victima divinus furor ille desedit. Date vos, queso, operam, ut illius manibus opipare parentatis. Ulciscende sunt ceterorum mortes, qui eo prelio occubuere. Recidendum semel ac hodie metus iste Turcorum et ita recidendum, ne amplius repullulet, et ab hoc immanissime periculo servitutis vindicanda Pannonia, ut perpetuam hodie quietem ac gloriam ad utriusque vite felicitatem comparemus. Extremis itaque viribus est, ¹⁰⁵ socii, dimicandum, quando necessitas cogit, honestas invitat ac varia hortatur utilitas. In vado res est et in portu navigamus ; ut- ¹⁰⁶ cunque res acciderit, bene nobiscum agetur. Si vicerimus, perpetua patrie salus et incolumitas ac nobis immortalitas parietur. Sin oc- ¹⁰⁷ cubuerimus, hic pulcherrime moriemur sempiterna apud superos vita functuri. Quamobrem ea, queso, mente pugnemus, ut vincamus aut, si res tulerit, honestissime moriamur.

Accensi sunt admodum gubernatoris oratione cunctorum animi ¹⁰⁸ et ad strenue dimicandum verbis ac suapte natura sat animati omnes. Ne minus quidem impigre Amorates rex contra in ordines ¹⁰⁹ redigebat exercitum et dictis, promissis ac iussibus obfirmabat. Educte Turcorum acies et in planitiem effuse latus utrumque montium attingebant, unde haud parum Christianis stuporis incusserant. Tertia hora diei signa inferri iubet. Corvinus utraque ex colle ad ¹¹¹ plana cornua demiserat longasque utrinque vexillationum alas a fronte protenderat. In medio Zechelem e sorore fratrem cum quadrato agmine cataphractorum collocarat, in colle presidia curribus munitionibusque obfirmarat. Dato pugne signo milites, qui animos corporaque curarant, ardentes eminus primo pugnam ineunt, deinde adacta blandiente fortuna utrinque audacia magno comminus impetu congregati cepere. Tribus circiter horis acerrime pugnatum ; deinde ¹¹⁴ Turcorum acies a Benedito Losoncio, qui in dextro cornu preerat, inclinata. Et a Stephano Pamphi, qui in sinistro erat, ne minus quidem ¹¹⁵ impigre agebatur, quippe qui basseum Europe pertinacius instantem multis plane cedibus affecerat. Amorates nutantes in utroque ¹¹⁶ cornu suos conspicatus valida submittit auxilia prelumque instaurat,

Ungari et Valachi expeditissimi equitatus irruentibus denuo Turcis 117
 haud parum defatigati ad cataphractorum se ordines receperunt,
 qui veluti pro muro stantes maximos quosque hostium incursus
 facile excipiebant. Multi utrinque cadunt, sed e Turcis longe plu- 118
 res, quando nec talibus armis nec eo equorum robore sese mu-
 niunt. Corvinus a colle munitionibus, quas intenderat, procul Tur- 119
 cos obterit dissipatque. Quod cum Amorates vidisset, quantum
 fieri potuit, suas colli acies admovit subegitque, ut irritos ab alto
 machinarum ictus exciperet. Hac igitur arte munitionum elusa est
 opera. Hoc ubi a Corvino intellectum est, ad succurrentum labo- 120
 rantibus animum adiecit; suggesterit utrique cornu subsidia, nunc
 voce, nunc manu rem agit. Suppeditat fessis auxilium, trepidanti- 121
 bus inclamat, fugientes in ordinem revocat, acerrime irruentibus
 occurrit, nihil ex optimi imperatoris et militis officio remittit; nunc
 fortes hortatur et laudat, nunc corripit ignavos et territat; omni- 122
 bus presto adest. Quare ita fervet ubique Martis opus, ut cuncta
 sanguine feda conspiceres. Amorates subsidia crebra acciri iubet
 neque suorum cede consternatur multitudine magna fretus, cui rite
 pugnare certum erat. Haud dubie sperabat omnino se hostem longa 123
 subsidiorum successione defatigaturum neque spe sua falsus est;
 unum Ungarorum agmen quattuor et quinque Turcorum acies ante
 lassare cogebatur, quam sibi subsidia rite succederent. In acie pran- 124
 sum et cenatum ambulatoriisque cenis relecta corpora. Eo die ubi-
 que Turcica acies inclinata, sepe in castra usque fugata; sat pro-
 spere ab Ungaris pugnatum, magnus Turcorum numerus cesus.
 Christiani quamvis eo die bello superiores essent, tamen ita ob- 125
 stinatis utrinque animis prelum agebatur, ut utrique aut vincere
 aut mori omnino decreverint. Certamen ad serum usque productum; 126
 nox prelum diremit; utrique se in castra recepere his animis, ut
 postero die pugnam instaurarent neutrique terga verterent, donec
 ius imperandi Marte iudice definiretur; ea nox insomnis acta, utra-
 que castra crebris vigiliarum stationibus obsita.

In sequentem omnes diem solliciti expectabant veluti Martem 127
 sue vite mortisque arbitrum audituri; vixdum illuxit, cum utrinque
 instructe acies affuere, redintegratur prelum, sed ab Ungaris ne
 eo quidem ardore ac robore, quo superiori die, pugnatum est;
 nemo ex his fuit, qui extremis pridie viribus non dimicavit. Qua- 128
 draginta fere Turcorum milia superfuerant, que aut in certamen
 non descenderant aut levi prelio luserant. Corvinus tamen suos 129
 hortatur, ne initam superiori die victoram per desidiam et igna-
 viam interciperent, pergerent vincere, ut occuperint; item obsecrare,
 ne sibi patrieque desint; considerent, pridie quam bene pugnarint,
 quot hostium milia pauci protriverint, quotiens inclinarint et fude-
 rent; precaseant, ad extremum turpiter ilia ducant et sudores hac- 130
 tenus effusos tolerataque pericula omnia sint irrita habituri; non,
 qui magna occiperint, sed, qui cepta pulcherrime terminarint, hos
 gloria dignos existimari putent; preponant ante oculos, quecumque 131
 ipsos detrimenta manebunt, si male dimicarint; imprimis varia mor-

tis et cruciatus genera, item servitutem matronarum liberorumque, ultima regni excidia, raptus virginum et humanarum divinarumque incestationes infandaque piacula affirmare ; hec omnia unius diei ¹³² labore evitari posse ; proinde orare et obtestari per deum hominumque fidem, ut solita se, patriam, liberos, coniuges et fortunas virtute redimant et in perpetuam libertatem cuncta vindicent. Nihil ¹³³ hilo secius Amorates suos premiis, pollicitationibus ac minis incendit, ut omnia perpeti quam eo die Europa cedere malint. Lustrat ¹³⁴ utrumque cornu et gravissimis cunctos dictis ad pugnam hortatur. At, ubi collatis utrinque signis concurrere, ne minore quidem ferocia impetuque, quam superiori die, pugnatur. E Christianis quam ¹³⁵ plurimi e sauciis in aciem rediere suscepta dudum vulnera aut morte aut victoria curatur ; nihil tamen segnus pugnasse dicuntur. Magna ubique cedes oboritur et Ungarorum impetus nusquam ¹³⁶ repelli poterat, quos cum pari pertinacia Turci reiicere haudquam possent, arte robur indomitum eludere expeditissimi ac recentes eorum equitatus occepere. Irruentibus in se Ungaris mox ¹³⁷ terga vertebant, a tergo aliquantis per insequi et instare patiebantur, palantes et diffusi fugiebant seque late dissipabant. Hi veluti arridente victoria pellecti impensius insequi, multos in fuga cedere, contra illi dato signo congregati dissipatos circumvenire ordines et multa cede conficere, incursu et recursu Pannonicas lassare vires, ingentes conatus eludere et perturbatis ordinibus toto die sine aliqua intermissione dimicare. Magna Ungarorum ea die patrata cedes ¹³⁸ et Turci fuere superiores ; defatigato utrinque exercitu nox et lassitudo prelium diremit. Utrique se in castra revocarunt, vigilie stationesque summo studio in castris habite.

Cum ad diem sabbati pervenissent neuterque cederet, prima ¹⁴⁰ luce pugna redintegratur. Corvini frater Valachorum prefectus cum expeditissimo equitatu primus in aciem prodiit. Secuti sunt reliqui proceres et eodem modo ordines instaurarunt. Reparato cerlamine ¹⁴¹ aliquamdiu spe pari dimicatum ; magna ubique strages oborta et presertim Ungarorum, qui longo bello defatigati multisque confossi vulneribus triduo in acie ob ipsam paucitatem perstare cogebantur. Zechel in primo ordine obstinatissime pugnans e prefectis ¹⁴² legionum primus inter confertissimos hostes occubuit. Emericus Marsalius Stephanusque Pamphi a Turcis circumventi in media acie trucidantur. Cum Amorates iam prima signa, que in Zechelis ¹⁴³ agmine constiterant, iam esse capta et ceso prefecio milites terga vertisse conspicaretur, extemplo omnes, quecumque in castris acies forent, in Christianos edixit effundi, ut paucos et triduano labore confectos obruerent. Promulgato tunc regis edicto, ut omnes in ¹⁴⁴ hostes una ruerent, utrumque Ungarorum cornu, ubi cuncti labrabant, confessim obducunt, prelium instaurant, ceduntur proceres, a numerosa multitudine et sagittarum imbris obruuntur, capiuntur signa et in fugam omnis ordines plane vertuntur. At, ubi ¹⁴⁵ Corvinus fratrem interfectum, capta signa nonnulla et versum in fugam exercitum accepit, continuo relictis castris impedimentisque

conscenso fugam equo solus proripit, ne fida regnum tutela pri-
varet. Fusos fugatosque Ungaros a meridie ad intempestam usque ¹⁴⁶
noctem hostes insequuntur et cedunt; mox a tenebris remorati in
castra per noctem rediere. Ceteri, qui in acie remanserant, Unga- ¹⁴⁷
rica castra circumvenerant, in quibus, quicquid calonum fuit et li-
xarum, item essediariorum, accensorum saucieque turbe, quamvis ad
mortem usque certassent neque hostem admitterent, quounque mi-
nima sagitta telumque superfuit, ad unum tamen omnes trucidati
sunt nullusque in castris Ungarus est agnitus, quem tria quat-
tuor Turcorum cadavera non attingerent. Amorates, ne maxima ¹⁴⁸
suorum cedes extaret, nobilium continuo sepeliri, gregariorum vero
militum corpora in profluentem proiici statim edixit, quare Scith-
nize fluminis accolae diu eius piscibus abstinuere. In saxorum mo- ¹⁴⁹
rem campus adhuc ossibus opertus est, terra coli citra crebram
armorum inventionem ullo pacto nequit. Locus ex insigni clade il-
lustris est habitus.

Quamvis Turco cruentissima victoria cesserit fusis fugatisque ¹⁵⁰
hostibus, eorum tamen cedes multo maior quam Ungarorum, quippe
cum Turcorum quattuor et triginta hominum milia, Christianorum
tantum octo milia cesa referuntur. Universa hic Pannonie nobilitas ¹⁵¹
occubuit. Nam hic Emerici duo, Ladislaus, Thomas Zeech, Francus
banus, Ioannes Zechel Corvini e sorore frater, Benedictus Loson-
cius, Stephanus Pamphi, episcopus Coronensis legatus apostolicus,
Georgius Ciach et Robertus Char innumerique proceres ac nobiles
oppetiere. Multi capti et ante Amoratem postero die ex edicto ob-
truncati. Ioannes Corothna quoque captus est in Asiamque trans-
latus Byrse servitium semestre perpessus mox Egeum, Creticum,
Ionium Adriaticumque pelagus emensus per Dalmatiam in Panno-
rias se recepit. Octo Ungarorum milia in hoc bello cesa Corin- ¹⁵²
thiis Amorates eodem mense significavit. Ex his qui evaserant, ¹⁵³
quicunque per Illyricum effugere, per Dalmatiam incolumes redie-
runt; qui per Rasciam, qua venerant, reverti contendere, sic in-
festam ubique latrociniis provinciam invenere, ut pauci evaserint,
qui aut spoliati aut cesi non fuerint.

Corvinus, quem expeditissimum aufugisse diximus, infestam ¹⁵⁵
ac variam fortunam invenit; dies tris equo invectus per avia loca
iter fecit cibi et potus expers; quarto incidit in duos latrones di-
misso dudum equo, qui pre nimio labore defecerat. Cum esset ¹⁵⁶
inermis, se spoliandum dedit; direptis vestibus ex aurea cruce,
que e viri collo pendebat, inter latrones oborta contentio; dum
salutis viam circumspicit, promptum sibi gladium latronis intuetur,
quo mox rapto litigantes adoritur, alterum letali vulnere conficit
conculcatque, alterum petens in fugam vertit. Hac igitur crucis oc- ¹⁵⁷
casione vir sanctissimus se a rapina morteque redemit. Quod haud
ab re divina benignitate factum, ut, qui pro cruce affixi servatoris
nomine dimicaret, crucis quoque auxilio liberaretur. Ultra progres- ¹⁵⁸
sus ac itinere, siti inediaque confectus quinto die pastorem offendit,
qui audita Ungarorum fuga spe prede late vagabatur; in primo

ambo congressu constitere; pastor prospecta Corvini vultus maiestate, quemadmodum de latronibus et Scipione legimus, ab iniuria remoratur. Corvinus quoque fame iam absumptus hunc nequam audet adoriri. Mox consalutatione primum conciliati sine suspicione mutua inter se verba conserunt. Alter non sine divine charitatis prefatione panem exorat; nomen et casum alter percontatur. Audita viri fortuna pastor commiseratione percitus et promissis 159 oneratus Corvinum in proximam casam ducit; panem cum cepis et aquam apponit hospiti, qui in iucunda sepe miserie memoria nunquam lautius se quam ibi cenesse affirmavit. Hinc ad Syndroviam a pastore ductus est, ubi, postquam id despotes accepit, eius imperio a prefecto arcis capitur. Beneficiorum ille immemor perpetua ingratitudinis nota sugillatur. Dies aliquot de liberatione 160 ibi agitatum; conventum tamen inter eos, ut ea gubernator condicione dimitteretur, uti Mathias eius filius despotis gnatam, comitis Celie neptem uxorem duceret et, ut conventa utrinque tutius prestarentur, Ladislaus alter Corvini filius daretur obses. Proinde 161 gubernator dato obside dimittitur.

In servitoris igitur nostri natalibus postliminio reversus in non 162 parva procerum nobiliumque frequentia ad Segedinum recipitur. Certatim salutem incolumitatemque omnes congratulanter, tristem 163 consolantur et bene sperare iubent; sat eis cum fortuna bene actum dicere, si gubernatorem receperint; militum adhuc copiam neque 164 ex indigenis nec externis defuturam; talem se ducem nusquam gentium, si amisissent, reperturos; nihil hinc Ungarice genti turpitudinis accidisse, quando ad unum omnes strenue pugnarint, cruentissimam lacrimabilemque hostibus victoriam reliquerint; neminem suorum inventum, qui non pulcherrime occubuerit; triduo 165 sine intermissione pugnatum et a paucis adversus innumeram multitudinem qualtuor et triginta milia ex hostibus cecidisse, ex Ungaris vix octo desiderari; paulo meliorem recte iudicantibus ac 166 non iniqua potentibus victoriam optari posse. Demum omnes eum impensius exorare, ut se sibi, patrie Christianeque reipublice servare niteretur, revocaret animum et obfirmaret, quod si fecerit, perbrevi ipsum et Turcum et despotem meritis utrumque penis affectuum ceteraque prospere cessura. Corvinus procerum consolationibus 167 haud parum confirmatus est. Augebat sibi animum, quod multo plures ex eo bello reduces quotidie videret, quam sperare liceret, Nam, quicunque ante Turcos in Illyricum aufugere, redire incolumes, quin et ad XX milia passuum Sandarobechum cum auxiliaribus copis occurrentem in itinere offendere, cuius occursu ductuque tuto sese in Illyricum recepere.

Curatis corporibus et instauratis viribus multo acrius Corvini 168 animum despoticis ingratitudo quam Turci odia exercebat; captivitatis iniurias tolerare non poterat. Quare coacto repente exercitu 169 ad despotic oppida, que a Sigismundo quondam dono acceperat, proficiscitur, vicos incendit, vastat agros, oppida vi capit ac brevi tandem expeditione, quecunque in Ungaria despoti parebant, in di-

cionem suam accepit. Mox Rasciam adorituro despotis oraiores ¹⁷¹ occurunt, qui Ladislauum obsidem ac bene donatum ultro reddunt, supplices pacem petunt. Gubernatore tandem ab optimatibus ex- ¹⁷² orato pax despoti data, remisse penitus iniurie inimicitieque; pacatis deinde rebus in Ungariam revertitur. Nunquam fortem virum ¹⁷³ fortuna quiescere patitur, sed in dies vexat et exercet, ne impune laudibus et immortalitate decoret. Hec omnia salutis quadringentesimo quadragesimo octavo supra millesimum et quarto gubernationis anno gesta sunt.

Nono autem Turcorum iterum bellum exarsit. Amorates enim, ¹⁷⁵ cum a Georgio despote dimissum esse Corvinum accepisset, cuius captivitate nihil erat antiquius, in eum nimis excanduit; prereptam voti sui spēm esse senserat, Corvini liberatione indignabatur acer-
rime, quod pro restituō regno captivo dono dato cumulatissimas sibi gratias non retulisset. Proinde, quod tanti occasionem beneficii contempsisset, ingratitudinis ab eo penas exigere constituit. Frigibechum prefectum trium legionum in Rascie fines immittit, ¹⁷⁶ Chrysovicum oppidum ad Moravam amnem situm et gravi olim bello dirutum instaurare iubet atque hinc despotis regionem im-
petere, vastare agros et late igni ferroque grassari precipit, ut exin contempe gratificationis penas luat. Frigibechus mandata facit, im- ¹⁷⁷
primis coacta magna ex finitimis cementariorum artificumque manu ad Moravam oppidum reficit, interim inhibet iniurias, bellum dis-
simulat, ne Rasciani sibi impedimento forent; id aggere, fossa, ¹⁷⁸ vallo muroque circummunit atque, ubi eo perventum est, ut im-
posito facile presidio per se maximum quenque hostis impetum per-
peti possit, provinciam despotis incursat, diripit et latissime po-
pulatur. At ille inopinato malo consternatus, quid potissimum fa- ¹⁸⁰
ceret, haud facile succurrebat; Turcum sibi citra scelus nefarium et ingens suum malum conciliare non poterat. Si resistendum esse ¹⁸¹ censeret, Corvini opem, cuius amicitiam ex captivitate leserat, om-
nino desperabat et, quorsum ipse confugeret, non veniebat in
mentem. Ceterum malebat omnia perpeti, quam immitissimam Turci ¹⁸² servitutem. Postremo ad gubernatoris opem configuit, quem sup-
plex non sine summa verecundia exoravit. Auxilia gubernator haud ¹⁸³ invitū promisit cum ulciscende proxime cladis gratia, tum re po-
stulante, quandoquidem plane cernebat occupata superiore Mysia Turcum pro foribus ac edibus Pannorum statim insultaturum. Ita- ¹⁸⁴
que mox comparato exercitu non sine decenti apparatu is Mysam, quam Rasciam dicunt, descendit. Reipublice gratia factus immemor iniuriarum non per legatos et prefectos auxilia misit, sed ipse ductu auspiciisque suis expeditionem hanc accepit. Ad Synderoviam Danubium traiecit. Rasciam ingressus despotis copiis sua castra complevit. Iter die noctuque fieri ceptum est, ut incautum hostem adorirentur. Quarto die Turcis appropinquant. Cum Chry- ¹⁸⁶
sovici agrum attigissent, continuo illuxit; obore sunt inter utrosque, ut assolet, nubes, que ultro citroque prospectum inhibitorent. Resolutis subinde a sole nubibus armate in conspectu hostis acies ¹⁸⁷

emicuere et Corvina signa longius agnoscuntur. Conternantur illico Turcorum animi repentina ac inopinata Christianorum adventu et, cum suis Corvinum cervicibus instare cernerent, ita examinati sunt, ut non de instruenda acie, disponendis stationibus et conserenda manu, sed de fuga tantum omnes cogitarent, quare suscitato mox tumultu fugam cuncti retro capiunt. Expeditissimus hos equitatus insequitur, multos in fuga cedit capitque. Instat a tergo pro viribus et ad noctem usque fugientibus succurrentem inseculus cedem continuat; illi mox in sylvas effusi delitierunt atque haud facile ultra impetri potuere. Cataphractorum equitatus pre gravi armatura lento gradu subsecutus est, ne quid forte mali ab hoste sociis, qui precesserant, inferretur. Nisi cedem nox ipsa intercepisset, multo maior clades patrata foret. Frigibechus cum magna nobilium turba caplus. Corvinus victoria potitus Budinum Bulgariae metropolim venit, que ad Danubium sita est; urbem belli causas crebro serentem subcendit, mox per Rasciam retrocessit et captivis despoli dono datis ovans Budam rediit.

Post, ubi reversus est in regnum, Bohemorum sollicitudine vexari cepit, qui Transdanubianam regionem erectis in plerisque locis presidiis et occupatis oppidis latrociniis infestam plane reddiderant. Et, quamvis antea istorum audaciam sepe represserit, nunquam tam domitiae potuerat. Obstiterat huic profecto rei non mediocris quorundam optimatum invidia, qui excrescentem quotidie preter omnium opinionem viri gloriam egre ferentes, ut Corvine virtuti negotium facesserent, clam latrocinantium Bohemorum audaciam tuebantur. Ad remorandam nominis accessionem hos ad bellum solicitabant, quorum facinora propter externa gravissimaque bella, que cum Turcis gesta sunt, gubernator diu sane dissimularat; nunc adaudiam pre viri patientia aut coercere admodum aut prorsus extirpare decernit. Quare anno quadringentesimo quinquagesimo primo supra millesimum coacto tumultuario exercitu et evocato undique gregario quoque milite rusticaque turba Ioannem Giscram haud procul a Losoncio oppido facinorosorum omnium principem imprimis adoritur, qui ad divi regis Stephani fanum presidium olim erexerat, aggere ac vallo cinixerat, multo milite variaque munitione complerat. Giscra forte tunc aberat; cum suum presidium acerrime a gubernatore oppugnari senserat, clandestinis socios admonet internuciis, ut pro se quisque locum fortissime tueantur, donec ipse cum auxiliis propediem advenerit. Iam Corvinus presidium tam acri oppugnatione vexarat, ut in dies deditio speraretur, cum Giscra coactis in superioribus Ungarie partibus auxiliis et ingenti exercitu presto affuit. Multi nanque proceres ad labefactandam gubernatoris magnanimitatem copias gratuito dederant et cum aliis optimatibus coniurarant, qui in Corvini castris erant, ut prelum detrectarent et, ut elatum eius animum facilius attenuarent, se ultro vinci patrentur. Nunquam defuit virtuti livor. Initia coniuratorum consilia e sententia successere; nam, cum acies instructe utrinque constissent ac nondum pugne signa data forent, ecce ex composito

nonnulla coniuratorum agmina, ut honestius a Corvino deficiant, simulato metu in fugam se preriipiunt. Irruunt data occasione Bo-²⁰¹
hemi et desertum gubernatoris agmen collatis signis invadunt. Cor-
vinus intellecta suorum perfidia cum suis terga vertit et, quamvis
a tergo acer instaret hostis, in proxima tamen oppida incolumem
se recepit. Stephanus Pelusiensis, qui in presidii obsidione a sul-²⁰²
phurea machina letali vulnere Iesus obiit, pridie, quam moreretur,
coniurationem confessus est. Multi ex optimatibus in eo bello cesi²⁰³
imprimisque Ioannes Compoltii, cui de Nava cognomen est; item
Ladislaus Hedervara episcopus Agriensis, cum claudus esset, ibi
captus in hostis deditioinem venit. Giscra castris impedimentisque²⁰⁴
potitus veluti insigni tunc Victoria elatus ad Gede oppidum castra
movit, ubi Lorandi filii dominabantur. Sed, cum oppidani se for-²⁰⁵
tissime tuerentur, spe sua frustratus Agriam proficisciatur ratus ob
episcopi captivitatem prefectum arcis deditioinem continuo esse fac-
tum. Sed longe aliter, atque sperarat, evenit; nam, quamvis²⁰⁶
episcopus in conspectum adductus prefectum suum arcem Giscre
dedere iuberet, preces adiiceret ac deinde interminaretur, ille tamen
ceterique presidiarii, cum omnes nobili Ungarorum genere nati for-
rent, ne quam nobilitati perpetuam notam inurerent gravique de-
trimento regnum afficerent, publicam unius miserie utilitatem pre-
tulere irritosque Giscre conatus effecerunt.

Iniquissimo prodictionem illam Corvinus animo tulerat et, ne²⁰⁷
inultam Bohemorum audaciam pretermitteret, exercitum reparat, ve-
teranas legiones, quas in inferioribus Ungarie partibus adversus
Turcorum incursus collocarat, acciri iubet, mox instaurato ex fi-
delissimis copiis exercitu in Giscram iterum castra movet. Presidia²
varia, que ad templum Saag, ut aiunt, Ipollo fluvio proximum et
in monte Calchure, item ad Rosnavum Scepusiumque oppidum olim
erexerat, gravissima hec obsidione vexavit et, ut quamprimum de-
ditionem sibi facerent, adegit. Expugnatis his deletisque presidiis²⁰⁸
temporarium aliud castellum adoritur, quod in valle, quam Deren-
chen appellant, Giscra olim fecerat cum validoque presidio Val-
gatam Bohemum imposuerat. Id vallo et aggere, preterea omnium²¹⁰
munitionum genere obfirmatum, ut militi parceret, non manu, sed
arte expugnandum esse censuit. In valle nanque situm est, quam²¹¹
fluvius parvus influit. Paulo infra alto vallem aggere obstruit, ut
remorato amne restagnantibusque aquis castellum obrueretur. In-²¹²
itum haudquam consilium hominem frustratur, nam, cum pre-
sidiarii milites sese in dies ab excrescentibus aquis obrutum iri
cernerent, usque adeo presenti morte perterriti sunt, ut corporum,
fortunarum et castelli denique deditioinem supplices fecerint. Ad²¹³
Zolium repente profectus malorum omnium officinam asylumque
latronum civitatem continuo succedit, arcem armis, comeatibus,
presidio bellicisque machinis communivit. Expugnatis demum his²¹⁴
Bohemorum asylis in Giscram castra movet, hominem usquequa-
que insequitur, armorum denique vi sic vexat exercetque, ut pacem
is precario impetrare cogeretur.

Preter longam Giscre vexationem alia quoque bella ab aliis 215 Bohemis in Ungaria pullularant, qui inita simul societate, quam fraterna charitate sanxerant et se mutuo hinc fratres appellarent, multa latrociniorum gratia in Ungaria iam castella erexerant, que militibus et munitionibus obfirmarant et longe lateque grassati rapinis et latrociniis vicitabant. Ulteriorem Ungariam, que ad Bohemiam Poniamque spectat, sic infestam reddidere, ut nemo tutus ibi terram incoleret aut illac iter faceret, quin et adauctis hi viribus vicis et oppida multa in dicionem suam asseruerant. Preter hos et alii vim impudentius exercebant, ut puta Petrus Comoroucius, qui Liptoviensem sibi comitatum occuparat, Pancratius Ungarica gente natus Thurocium dominatum usurpavit, Ovar insuper, Berrenchum et Strechen oppidum cepit; regionem is omnem cedibus et rapinis 218 infestum fecit. Mutuis isti sese odiis ac preliis impetebant, mutuis quoque rapinis utebantur. Sed ad fratres redeamus.

Facinorosum et ignobile hoc erat genus hominum e gregario 219 tantum milite conflatum, cui partim castella erant, que vi ceperant, partim, que nuper erexerant. Monachorum rilu se fratres appellabant, feris tamen moribus utebantur, quippe quibus nihil aliud placere videbatur, quam raptu vitam ducere, vastare agros, late populari, cedes passim agere, nihil equi sanctique dignoscere. Duces crearant, quibus in agendis latrociniis rite parerent, et, quicunque apud eos maiori facinorum gravitate claruerant, hi potiores habiti. Finitimas igitur regiones cedibus, flammis et populationibus infestabant, vexabant omnia et aut ad pendenda stipendia aut ad emigrandum colonos adegerant. Gubernator comperta optimatum invidia, qui superiores Ungarie oras incolebant, a propugnandis eorum oppidis inhibendisque iniuriis animum aliquantulum avertit et, ut per se quandoque resipiscerent, proprio et alieno facinore vexari puniriisque permisit. Sed, cum de his satis hactenus dictum sit, ad postumum revertamur, ne Ungarici regis immemores historiam depravemus.

Quanquam ab Ungaris equae ac Bohemis abnegante hactenus 225 Cesare Ladislaus repeteretur, ad duodecimum tandem annum res prorogata est. Cum rumor esset Cesarem in Italiam suscipiente corone gratia profecturum, antequam iter iniret, ab utrisque vel honestissimis quidem legationibus sollicitatur, ut regem redderet. Quin 227 etiam Australes pari ambitione ducem suum postulant. Bohemi hunc imperiosius exposcentes, cum iuxta sibi atque ceteris negaretur, propediem comitia regalia interminantur, ubi de alio rege eligendo se acturos esse profitentur. Cesar ad hos censuit mittendos esse legatos, quibus Sylvius Eneas imperatoris secretarius adiectus est. Cum Prage conventus seviente pestilentia non posset haberi, a Georgio Pogiebracio in Benessowiam translatus ibique frequentissimus est habitus. Pium Eneam Procopio collega interprete ibi ornate et composite contionatum fuisse legimus, cuius oratione sedati sunt Bohemorum animi atque eis persuasum, ut imperatoris redditum expectarent, qui Ladislaum itineris honestandi

gratia secum ducturum esse dicebat. Et reversum Pius tam Bo-²³⁰
hemis quam Ungaris Australibusque se regem redditum pollicebatur. Cause ad persuadendum optime sunt adducte, imprimis de-²³¹
ducendi regis pompa, impendiosus regie apparatus, ingens sumptus,²³²
erarii inopia, exigua vectigalia, insuper quam grave ac molestem sit e collata stipe insanos sumptus edere; item intempe-²³³
stiva regis restitutio, quippe que nil aliud, quam discordiarum se-
minarium esse potest; si nunc rex reddatur, gubernationis impos-
aliene cure committetur; quicunque eum rexerit, invidiosus is do-²³⁴
minus habebitur; hinc, cum Bohemis multi se hoc honore dignos
censeant, si sortiri non poterunt, egre ferent; Frederici gubernati-²³⁵
onem contentiones has dirimere. His igitur causis Bohemi non so-
lum sedati, sed missis oratoribus Cesari gratias egerunt, quod ce-
teris preferantur; expectaluros se faustum, felicem utriusque redi-
tum promittunt. Quin etiam ad honestandam profectionem Cesa-
ris eximiam nobilium iuventutem mittunt. Ungari quoque et Au-
strales imperatoris redditum expectare iussi ac interim exorati, ut so-
lita regnum diligentia gubernarent.

Barbaram imperatricem ea tempestate Grecii diem obiisse fe-²³⁶
runt indomite mulierem libidinis, que inter adulteros publice vitam
duxit protitutoque pudore viros sepius petiit, quam peteretur. Cum
ab omni religione destituta foret, superos ac inferos esse negabat;²³⁷
religiosas ancillas ieuniis aut orationi rebusque divinis intentas
gravius increpabat nullis asseverans molestiis ac inedia corpus
esse macerandum, immo laute pascendum in deliciis et voluptati-
bus alendum et post mortem, cum nihil supersit, nullum deo-²³⁸
rum animorumque curam esse subeundam. Bohemi profane tamen
Barbare corpus Pragam tulere elatoque sollempni funere inter regum
monumenta condiderunt.

Compositis Cesar Bohemorum motibus et reclamantibus Unga-²³⁹
ris Australibusque simul cum Ladislao rege ac honestissimo Germanorum
principum equitatu in Italiam contendit Romamque pro-
fectus a Nicolao quinto pontifice maximo augustali diadematate rite
coronatur. Hinc Neapolim progressus Leonoram Alphonsi regis
neptem et Eduardi Lusitanie regis filiam prestantissimis moribus
ac fausto genere precellentem uxorem duxit. In hoc itinere Ladis-²⁴⁰
laus puer, cum se suis populis abnegari egre ferret, injecta suspi-²⁴¹
cione pedagogique consilio fugam molitur; cum e sententia res
minime succederet, reiecta est in pedagogum culpa et perpetuo is
carcere cruciatur.

Australes interea auctore Ulrico Ezyngher ab imperatore de-²⁴²
ficiunt suscitatoque tumultu omnes provincie magistratus a Cesare
institutos vi deiiciunt, duodecim viros creant, qui provinciam gu-
bernent; summam rerum Ezynghero tradunt. In societatem Ulri-²⁴³
cum Celie comitem admittunt, e finitimis auxilia cogunt, quo facilius
imperatorem pertinaciis agentem ad reddendum sibi ducem
impellant. Interea ex Italia Cesar revertitur, cui quamprimum Au-²⁴⁴
stralium oratores occurrere, Ladislaum exposcunt atque reddere

recusanti bellum indicunt; postulata non reiicit, sed responsa Cesar differt, ut longa conatus mora leves eludat; contra illi more impatientes abeunt. Provinciales intellecta Cesaris pertinacia arma ²⁴⁵ sumunt Neapolimque, quam Civitatem Novam appellant, infestis petunt signis; primo urbem adventu adoruntur, pro portis pugna confestim inita, ubi magnam tormenta bellica temere insultantium stragem patrarunt. Mox, ubi erumpentibus ex urbe Cesarianis iam ²⁴⁶ comminus pugnari ceptum est, sic ab hostibus cesi ac reiecti sunt, ut parum abfuerit, quin urbem, cum una commixti forent, illi caperent; unius tantum militis virtute servata est, cui Andree Paum- ²⁴⁷ circheri nomen erat, quippe qui, donec a fugientibus porta obcluderetur, hostilem impetum audacter pro menibus in ponte sustinuit et ob servatam virtute sua civitatem multis a Cesare honoribus exornatus est. Cum se Cesariani intra menia recepissent, hi gravissima eos obsidione circumveniunt, muros interdiu noctuque quatunt. E Bohemis Henricus Rosensis aderat, qui cum ducentis equi- ²⁴⁸ tibus octingentisque peditibus validissimis advenerat; nondum Ungari venerant, cum indutiarum tempus nondum foret exactum; quare duodecim hominum milia in castris erant. Interea Georgius Pogiebrac- ²⁴⁹ chius, qui Cesaris in Bohemia partibus favebat magna fide et ob- servantia eum prosequebatur, exercitum mox XVI milium hominum, ut Augusto succurreret, comparavit ac iter ingressus audita concordia retrocessit in Rosensiumque agrum copias convertit, incendit vicos et cuncta late populatur. Caroli Badensis marchionis, ut aiunt, ²⁵⁰ Sigismundique Salssburgensis metropolite interventu pax facta.

Ladislaus e Cesarea manu Australibus restitutus, qui duce potiti nonnulla deinde pacta abnegarunt, nam, cum ex pacto statutum esset, ut ad tertium Idus Novembres Vienne conventus haberetur, ubi presentibus Ladislai cognatis, item Ungaris et Bohemis de pueri gubernatore decerneretur, interea Viennam non adiret, in potestate Celie comitis teneretur, nihil ex propria ante decretum conventus auctoritate gereretur. Nihil ex his Australes prestitere. ²⁵² Contra vero puer dimissus postero die Viennam ingressus cum faustis acclamationibus et singulari pompa omnium ordinum exceptus est ibique e vestigio in urbe magistratus et in tota provincia prefecturas instituit, pontificatus et sacra munera pro suo et amicorum arbitrau distribuit, curiam ad regni speciem revocavit. Advenere continuo Ungari imprimisque Corvinus gubernator, quem ²⁵³ honestissimus procerum nobiliumque ordo sequebatur, ut suo regi nuperrime restituto debitos honores legitimaque obsequia persolverent. Confluxere e Bohemia, Moravis et Slesitis spectatissima ²⁵⁴ regulorum et nobilium multitudo, legati populorum et varii magistratus congratulationis officio commoti.

Frequentissimus igitur utriusque regni Australiumque conven- ²⁵⁵ tus Vienne est habitus, ubi ad prestitutum quoque diem Augustales legati affuere Lodovicus Bavarie et Guilelmus Saxonie duces, Albertus Brandenburgensis, Carolus Badensis, preterea multi e Germania principes antistitesque. Primus in concilio locus Corvino ²⁵⁷

datus post regem, qui regalibus excultus insignibus presidebat. Im- 258
 primis Augustales oratores audit et iniquis usque adeo animis,
 perinde atque si victi, ut Pius Eneas, qui affuit, memorie tradidit,
 a victoribus audirentur. Eorum expostulationes de pactis condicioni- 259
 busque pacis, quas ipsi contempserant, egre ab auditoribus excepte.
 A comite his Celia responsum est, cuius arbitrio omnia gereban- 260
 tur, victorem nec legibus nec pactis obligari posse; ius in Martis
 potestate consistere; nullam in carcere obligationem legitimam
 licere fieri; condiciones pacis Ladislai gratia regis initas, qui in- 261
 iquo tot annos carcere obductus est, haudquaquam valere, immo
 secundum ius et fas irritas haberi oportere. Proinde repulsa Augu- 262
 stalibus data. Quin etiam Nicolaus cardinalis legatus pontificius
 componende pacis gratia missus, cum de concordia agere occepis-
 set, illico reiectus est. Sed, ubi ad regnorum et provinciarum con- 263
 gratulationem dispositionemque devenit, Ioannes Corvinus,
 qui iam annos octo decreto patrum Ungariam gubernarat strenue-
 que a cunctis periculis plane protexerat, cum sua gestarum rerum
 gloria omnium in se principum oculos convertisset, primus obse-
 quiuum compositis verbis Ungarorum nomine detulit ultroque gu-
 bernationis munere se abdicavit. His enim verbis elocutum fuisse
 dicunt :

Apparuisti tandem, salutare nobis astrum, et post varias Ion- 264
 gasque procellas exortu tuo nos e medio naufragio omnes eripuisti.
 Ne minore quidem desiderio te diu expectavimus, quam publicum 265
 maiores nostri servatorem ad inferos anhelasse traduntur. Et, cum 266
 interdicta per se desideria vehementius incendantur, quanto magis
 nobis abnegabarisi a Cesare, eo ardentius te principem dominum-
 que nostrum precario, vi, largitionibus et armis repetere cogebamur.
 Et, ni bello tandem Cesarea pertinacia victa foret, adhuc fausto ac 267
 salutari te duce et moderatore nostro careremus. Agnoverunt oves
 pastorem suum et restitutum ac veluti postliminio reversum semper
 audient. Quia eum non mercennarium, sed legitimum, fidum et 268
 vitam pro suis ovibus postulanre re deponere minime recusantem
 intelligunt. Proinde restitutioni tue, rex faustissime, immo saluti 269
 nostre ex corde nunc universi congratulamur. Quando nullum nos
 ceteraque gentes, que tue dicioni parent, otium sentire potuimus,
 donec tuo ductu auspiciisque regi cepimus verumque dominum re-
 recuperavimus. Salve igitur, rex Ungarie, civium dux Australium 270
 bellicoseque Bohemie princeps potentissime, salve, spes hominum
 et salus humaneque delicie, salve, tot gentium et regnum pacator
 unice; faustus ac felix sit hic tuus adventus et restitutio perpetuo
 salutaris. Sicque salvator Iesus optimus maximus te semper in- 271
 columen nobis efficiat, ne regalibus procellis quotidie fluctuemus.
 Te non tam e sacro nostrorum regum genere datum quam e celo
 demissum credimus. Si matris tue pientissime originem intuemur, 272
 quatuor inter maiorum eius stemmata imperatores Romanos re-
 censemus; si paterna, quinque domus Austrie Augustos edidit. Hu- 273
 mano genere altius haudquaquam oriri potuisti. Magna sunt profecto

hec, sed, que in te omnes intenti cernimus et auspicamur, nimis
multo maiora; divinum ingenium, intempestiva sapientia, ingenita
probitas, regalis observantia, decus non arte parta, sed a natura
tradita. Plures in te Cesares et Augustos inueniuntur; te celestem ²⁷¹
angelum internunciumque ad salutem populorum a deo missum
esse credimus, quem sanctum et immaculatum plus divinitatis quam
mortalitatis habentem haud temere reputamus. Proinde, quando ad ²⁷⁵
regendum natus es, tuorum regnorum curam forti animo cape. Nos
compascue tue oves ad pastorem te convenimus, ut lupos ovilia
tua die noctuque lustrantes audacter abigas, nos fida et perpetua
pollicemur obsequia, studia, vires, fortunas. Item humana et divina ²⁷⁶
omnia tibi offerimus, tuum observamus imperium, ut dicto celerius
tua iussa prestemus. Nihil tibi deest, quod ad explendam gentium
expectationem et ad comparandam faciat immortalitatem. Numerosa ²⁷⁷
tibi est populorum multitudo, opes amplissime, omnium rerum co-
pia, artes innumere, fida et preclara hominum ingenia, indomita
quoque virorum robora. Capesse igitur forti animo, quod tibi fau- ²⁷⁸
stum, felix sit, rempublicam Christianam et expectationem te
maioribusque tuis dignam suscipe. Ungaria dicioni imperioque tuo, ²⁷⁹
ut par est, se totam dedicat et addicit, quem tot annis lugens ac
tristis expectavit, tuum supplex postulat adventum, ut desiderium
ex Alberto patre tuo suscepimus fausto aspectu tuo consoleetur, quo
si frui licuerit, se beatissimam arbitratur. Ego autem, postquam re- ²⁸⁰
sipiscere teque dominum nobis abnegatum armis repetere cepimus,
iam annos circiter octo sub tuis auspiciis regni gubernationem gessi,
quantum in me fuit, Ungariam domesticis externisque bellis defend- ²⁸¹
dere studui, divina benignitate domi peregreque cuncta pacavi. Fo-
ris quod superest, id tue asservatum est glorie. Vicies cum Turco
prospere confliximus, bis tantum pre militis inopia cedere coacti
sumus, nunquam tamen cessimus, quin cruentissimam hosti victo-
riam relinquemus, ut, quos fuga victos ostenderat, eos illata clades ²⁸²
hostili quoque iudicio victores esse fateretur. Itaque divino
freti presidio semper felicissime dimicavimus. Postquam Iuliani car-
dinalis oratione et auctoritate seducti initam sancte fidem Turco
violavimus, bis commissi piaculi penas expendimus, satis superque
facinus illud expiavimus. Nunc autem, quando sat tua fausta in- ²⁸³
doles precoquque sapientia te regno maturum pollicetur et Turcorum
bella maioribus sunt viribus et apparatibus ineunda, me quoque
graves perpetuique labores iam effetum reddidere, imprimis, quia
tempus est et ius ita postulat, ultro me gubernationis munere abdico,
vero domino legitimoque regi delegatam mihi potestatem resigno,
in privatam me vitam redigo, ius omne meum fortunarumque me-
arum tibi hodie, Ladislae, dedico et ita dedicationis mee testem
sanctissimum hunc conventum esse iubeo, ut tua maiestas perpetuo
Corvini iure potiatur.

Gubernatoris oratione omnes obstuپuere principes, qui ad- ²⁸⁴
erant, clarissimi viri maiestatem modestiamque admirati de Christi-
ana republica semper optime meriti. Rex imprimis in eius obser- ²⁸⁵

vantiam amoremque succensus eum ad sua genua procedentem, ut obsequentissimi procuratoris prestaret officium, amplexatus, Salve, ²⁸⁶ inquit, Ungarie pater, vindex Christiane gentis, pientissimi loco parentis mihi semper habende, quo his temporibus si Pannonia caruisset, iam de communi salute fuisset actum. Utinam talem me ²⁸⁷ principem divina clementia prestaret, qualem spes hominum et Corvini sententia postularet. De me tamen cunctos bene sperare ²⁸⁸ iubeo, quando te semper moderatore utar et magistro. Accedit et fidelium sapientiumque hic ordo principum, quorum consilio cuncta bene gerentur. Te sponte tuo munere abdicantem minime patiar, ²⁸⁹ maximis quibusque honoribus ac premiis mihi haud immerito exornandus es, cuius virtute ac sapientia in Pannoniis salva sunt omnia.

Quare consulto, cum hec dixisset, Celia comite gubernatore ²⁹⁰ suo in frequentissimo conventu Ioannem Corvinum omnium procerum consensu comitem Bistricensem declaravit, perpetuum regni gubernatorem esse iussit virumque magnifice donavit. Magni Corvino plausus a cunctis cum honorificis acclamationibus editi, multe congratulationes reddite, laudata sunt et predicata passim Corvina gesta, fides, religio, virtus et sapientia, commendata quoque vulgo modestia. Rex Corvinum comitem declaratum in divi Stephani basilica ex alto suggestu et regali presidens apparatu in summa nobilium principumque frequentia tradite dignitatis insignibus decoravit, gentilicia corvi confirmavit insignia et, cum ruentem Ungarie coronam fortitudine sua sustinuerit, ardui leonis diadema regium subeuntis insignibus donavit. Ad postremum conventus huiusc ²⁹³ decreto factum, ut instante adhuc regis pueritia triumviri crearentur, qui omnia gubernarent; Corvinus Ungariam, Pogiebracius Bohemiam, Ulricus Austriam sortitur. Summa tantum rerum apud Ulricum moderatorem regis plane remanserat.

Cum Ungari certatim et Bohemi regis adventum instantissime ²⁹⁴ postularent, hunc propediem Ulricus utrisque promisit Ungarisque prius satisfaciendum esse censuit. Prestituto regalis adventus die ²⁹⁵ Pisonii conventus a Corvino indicitur; convenere frequentes Ungari regemque suum ingenti plausu et faustissimis acclamationibus exceptere. Festi ob regis adventum plures ibi dies exacti in publice ²⁹⁶ leticie monumentum. Deinde comitis consilio rex non ultra progressus Viennam rediit. Bohemis quoque indicta dies, qua coronandum regem exciperent. Interea, dum de faciendo itinere agitur, ²⁹⁷ Ioannes Smiristheus inter Bohemos nobili genere natus et Germanice non expers eloquentie, dum regie vite studere contendit, suam amisit, quippe qui ad Ladislaum Bohemiam ingressurum ita scripsisse dicitur: Venturum te quamprimum in regnum suum probo, ²⁹⁸ si modo veneris imperaturus et non pariturus; iuvenem impotenterque te intrare non laudo, nisi bicipitem te forte mater peperezit, ut ex duobus unum Vienne apud amicos dimittas, alterum dubie Bohemorum fidei caput temere credas. Vale. Epistola comiti ²⁹⁹ redditia perfectaque ad Georgium extemplo remittitur; ille coacto

senatu presenteque Ioanne litteras recitavit, quare capitale repente supplicium de litterarum auctore sumptum est. Nulla virtus fortunaque sublimis invidia urquam carere potuit. Cum autem exhaustum Bohemie foret erarium et iter coronationisque celebritas citra pecuniarum copiam honeste ac pro dignitate fieri non posset, ad accipiendas mutuo Celie comiti advertendus erat animus; cum ad eam rem neque proceres neque negotiatores sat esse possent, ad Australium morem confugit, quippe qui in repentina principium necessitate e civibus pro census ordine pecuniam mutuo accipere solent, quod provincialium iniussu fieri non licebat. Huc ergo recurritur, ad Novum Tritici Burgum, ut aiunt, veluti consuetudo postulat, conventus e quatuor hominum ordinibus habetur sacerdotum, proceum, nobilium, equitum. In media contione presidente rege comes Celie de itinere faciendo et pecuniarum inopia multa disseruit; ut sponte suo principi succurrant, hortatur oraque, ne ad suscipiendam coronam inopem et mendicabundum ire patientur. Optimates consultandi tempus exposcunt. Ezyngerus, qui iam pridem comitis opera e regis gratia plane deciderat, oblatam ulciscendi occasionem haudquaquam contempserat. Cum ad deliberandum secessissent, is cum primariis de comitis incontinentia, rapinis et iniuriis locutus eum in tantam cunctorum invidiam adduxit, ut pedem loco non moverint, donec decreta regi pecunia perniciosa in comitem coniurationem iniverint. Mox Ladislaus absente comite adeunt, pecuniam coronationi supra, quam opus est, pollicentur, itaque principis animum presentaneo nummorum auxilio mirum in modum sibi conciliant. Mox Ezyngerus de comitis tyrannide, cedibus et rapinis multa subiicit, cui ni regia prudentia occurratur, asseverat omnia funditus ire perditum. Facinora multa refert, suspiciones iniicit ac demum provincialium nomine regem credulum exorat, exemplo virum detestabilem et perniciosum abigat in exiliumque mittat. Persuadetur facile puer et accito repente comiti curiam per Ezyngerum interdicit, potestatem abrogat, consiliarii familiarisque regii nomen antiquat et, quo uelit gentium abire, iubet. At ille, quamvis non sententia regis, sed invidorum maledictio se regia explodi clamitaret multaque sese purgando iactaret, cum summa tamen ignominia ire cogitur. Tacitus demum et gravissima quaque capitum diminutione multato similis cum quattuor tantum equitibus in patriam concessit. Albertus Brandenburgensis princeps hunc, ne saxis a Viennensi populo peteretur, ad portam usque secutus inhibuit, probrosa tamen convicia coercere non potuit. Hoc quidem haud ignobile fortune inconstantis exemplum tempestas illa tulit.

Rex autem paucis post diebus, cum magnificentissimis apparatus in Bohemiam contendit et summis Prage honoribus exceptus rite coronatur. Sumptus omnes e collata Bohemorum stipe facti, quin et exuberante hinc pecunia nonnulla castella regie dicionis redempta sunt. Ne paucō quidem tempore Ladislaus in Bohemia mansit et illud adhuc puer divine pretulit pietatis, quod nunquam

etiam sepe rogatus fana hereticorum invisit, nunquam eorum sa-
cra interfuit. Sacerdos quidam Rochezane factionis in sacello ar-
cis sacro habitu instructus iam altare presente rege concenderat ;
quod ubi ille conspicatus est, continuo abire aut forte reluctantem
e proxima rupe immisso equitum magistro precipitari iussit. At ille
vite timens facile cessit imperanti. Rochezanam hereticorum prin-
cipem in corporis Christi sollemnibus eucharistiam publice et
longa pompa gestantem e fenestra conspicatus nullum veneratio-
nis signum edidit. Percontantibus causam amicis respondit au-
gustissimum Christi corpus tam immense esse prestantie, ut eius
gloria nulla veneratione augeri et nulla dehonestatione possit im-
minui, sed, cum populares e principibus pendeant, sibi fuisse ca-
vendum, ne tali veneratione hereticorum sectam approbare videre-
tur. Cum aliquot ibi menses permansisset, iam regis mora heretice
multitudini gravis esse ceperat, quippe que videbat in dies regis
exemplo alios a suorum templorum frequentatione deficere. Quare
factum est, ut in Austriam redire cupienti ex Husitarum nemo per-
fidia intercesserit. Antequam pedem retro ferret, Wratislaviam Schle-
sitarum metropolim invisit. Pogiebracius Bohemie prefectus eum
sequebalur. Ab Wratislaviensibus rex cum eximiis honoribus et
populari plausu exceptus est. Regem enim nondum e pueritie fi-
nibus excedentem supra etatem usquequa sapientem faustoque
aspectu et venusta facie spectatorum facile animos conciliantem
tanta populi admiratione prosequabantur, ut divinum potius quam
humanum reputarent.

Verum ad comitem Celi redeundum. Hic enim ex aula re-
gnoque Ladislai iam exactus, ut diximus, et a reliqua spe destitu-
tus in Cesaris gratiam redire contendit, quem Ladislai causa gra-
vissime lesерат. Per internuncios erratorum veniam precatur, peni-
tentiam fatetur; ceterum offert perpetuam fidem seque sua opera
ademptam Frederico Austriam propediem, si ignoverit, redditurum.
Cesar, qui rebus, non verbis capiebatur, multa, que acceperat,
damna commemorat; se indemnem prestare dicit oportere, quare,
quecunque ille possideret, sibi tradi postulat. Comes, ubi nullo pe-
nitentie modo condicioneque in Cesaris gratiam restitui posse in-
telligit, alio animum intendit. Audit gravissimum Venetis cum Fran-
cisco Sfortia Mediolanensi duce bellum intercedere; hic se cum
ingentissimis Bohemorum copiis venturum Venetis pollicetur, si equa
sibi stipendia penderentur. Sed, cum res intercendale pace non
prospere successisset nullumque exilio presidium inveniret, spe sua
frustratus ad recuperandam Ladislai gratiam animum convertit.
Ezyngerum intelligit procerum obtrectationibus regi parum esse
gratum, cum illorum avaritie rapinisque obstinatius adversaretur.
Clam cum illis agit, quos infensum sibi Ezyngerum habere sen-
serat, uti cum Ladislao de revocando comite, qui indigne fuerat
electus, caute tractarent; dicent ipsum viri sapientissimi ac pro-
pinqui opera, fide et consilio diutius carere non posse; indignum
esse, cuius opera rex iam pridem restitutus erat, eum turpiter eiec-

tum diutius evagari. Quare clam comitem Ladislao conciliant illi- 332
que regis nomine significant, ut cum honorifico pro virili sua ap-
paratu Viennam redeat. Ubi gratissimo se a principe vultu excipi 333
senserat, ab amicis is eductus cum expeditissimo mille hominum
equitatu Viennam properat; quem ubi rex menibus appropinquare 334
sensit, cum universa aulica et populari turba ac honestissimo pro-
cerum et nobilitatis ordine obviam occurrit, ut honorificantius ex-
cepitus de turpi exilio triumphare videretur. Ezyngerum haudqua- 335
quam insipientius egisse ferunt, qui ne, quod in alterum statuit,
invitus subire cogeretur, intrante urbem comite is ultro cum amicis
exiit in exilium. Quod postquam comiti nunciatum est, eum non 336
parum invitum laudasse memorant, qui fortune ludibrio se sub-
traxerit; se quoque in posterum aliquanto modestius egisse ac eos
assiduo sapientes appellare solitum, qui aulica discrimina declina-
rint, cum nihil principum gratia inconstantius esse videatur.

Ungari, postquam regem in Austriam reversum e Bohemis et 337
Schlesitis accipiunt, legatos exoratum continuo mittunt, ut suum
regnum nequaquam contemnendum invisat neque tam parvi id mo-
menti faciat, ut populorum desideria misere cruciet. Erat ea tempe- 338
state in Corvina manu summa reipublice ac universa Ungarie po-
testas, item regales arcus, presidie exercitusque omnis; nec plus 339
quidem fortune, quam tunc accesserat invidie, quippe quod non
nullis Pannonie principibus invidiosum et molestem erat et preser-
tim Celie comiti, qui eius locum occupare avebat. Pactam quotan- 340
nis largitionis loco pecuniam post exilium a gubernatore non acce-
perat. Criminibus igitur gravissimis falso virum afficere cepit, ut
regi redderet infensem; non Ladislaum, sed Corvinum esse regem;
illum honores, sacra munia, prefecturas ceterosque magistratus pro 341
libidine sua tribuere; illi vectigalia cuncta pendi, parere legiones et
prefectos, illius arbitrio iudicia fieri, illius denique ductu et auspi-
ciis cuncta geri; in potestate Corvina munitissima oppida, arcus, 342
erarium, arma ac demum omnia esse sita; nihil preter nomen et
coronam regis illi defore; quin etiam nemini esse dubium in dies
eum ad tyrannidem aspiraturum; si Christianorum ope id sperare 343
non licet, ad Turcorum auxilia configiturum, quibus iam bis vali-
dissimos Ungarorum exercitus plane prodiderat; clandestinam cum 344
profanis amicitiam olim inivisse, item perniciosiora crimina commi-
nisci; eum bis violasse fidem, reginam introducto rege Polonie
preter equum et fas repulisse, Polonum, quem acciverat, in acie
deseruisse; nunc Ladislaum in Ungariam advocare, ut vi aut in- 345
sidiis petitum e medio tollat; proinde regie saluti consulere opor-
tere, scelus in auctorem esse convertendum; id facile fieri posse,
si promisso adventu is interim sub pacandi regni pretextu ad re-
gem prius evocetur. Perniciosis puer consiliis audit et, cum veri- 346
similia nonnulla videantur, pro iudicio comitis iniquas in Corvinum
insidias intendit. Ex composito gubernator paucis post diebus Vi- 347
ennam regiis litteris evocatur. Variis indicibus deteguntur insidie,
quando difficulter magni arcana momenti coecentur. Quare Cor- 348

vinus prodigionis admonitus se regi semper in Ungaria paritum et facturum, quecunque iusserit, extra regni fines, quando nulla officii condicione cogatur, nunquam egressurum esse respondit.

Postquam Corvino haud facile verba dari posse intelligunt, pri-³⁴⁹
mores aule cum comite Celie mittendos esse censem, qui in Un-
garie finibus ad Cocze oppidum cum gubernatore convenient col-
loquanturque; virum aut Viennam trahere conentur aut, si neque-
ant, intra oppidum blandis verbis adductum obtruncent. Is ad op-³⁵⁰
pidum in colloquium accersitus cum duobus equitum milibus ad
prestitutum tempus advenit atque vir ille sapientissimus de diis
et hominibus iuxta benemeritus divina tutela non caruit. Cum dif-³⁵¹
fusi rumores prodigionis suspicionem auxissent, haud inscius, quo-
cum sibi res esset et quod aliena potius virtuti quam labori suapte
natura homines invidere solerent, veluti divinitus admonitus sibi
diligentissime precavendum esse censuit. Cum oppido appropin-³⁵²
quasset ad sagitte iactum, etiam invitatus intrare noluit. Comes
Celie prodigionis auctor et delegatam sibi regis potestatem gerens,
ut e sententia res ipsa succederet, uti oppidum ingrediatur, invitat,
ubi gratissimo exciperetur hospitio ubique melius quam sub divo
esse poterit; officii admonet et decori se collegasque suos, cum re-³⁵³
giam personam gerant, regis quoque dignitatem servare oportere;
gubernatorem hos adire, qui principis mandata ferunt, haudqua-
quam indecorum esse; si privataram sit habenda ratio personarum
vel maxime nobilitatis, se Ioanne non esse inferiorem; in oppido
colloquium quietius et honestius haberi et utriusque dignitatem com-
modius servari posse. Ad hec Corvinus respondere, cum ad ipsum
legatio missa sit, oratores, ad quem mittuntur, eum adire oportere;³⁵⁵
de nobilitate hoc tempore non esse disputandum; illius tamen rei
hominem admonere miserum et ignobilem eum fore, qui non a pro-³⁵⁶
pria, sed aliena virtute nobilitatem sibi vendicare studet; ad extre-
num comiti significare se nullum unquam munitum oppidum sub-
itulum, nisi impositum eque presidium habeat. Proinde infectis
utrique rebus abierte.

Cum parum ista succederent, rovas in Corvinum insidias li-³⁵⁷
vidus comes excudit; ferebant iniquo animo proceres gubernatorem
nequaquam parere regi, cuius beneficio et auctoritate summo mu-
nere fungebatur. Quare communes eum amici pervicerunt et eo vi-³⁵⁸
rum adduxerunt, ut Viennam se profecturum reciperet, si per di-
plomata promissam a rege principibusque suis incolumitatem as-
sequeretur. Offeruntur, quecunque postularat; his tandem adductus
Viennam iter intendit. Cum ad octavum urbi lapidem appropinqua-³⁵⁹
set, confestim Lambergerus eques profecto insignis occurrit, eum
properare iubet, quandoquidem cum frequenti ac honestissimo La-
dislaus equitatu obviam dudum prodiisset et cum eo Celie comes
cum promisse incolumitatis litteris festinaret. His credens Corvinus
ad quartum usque lapidem progreditur. Mox, cum late campos pro-³⁶⁰
spectaret neminemque in occursum prodire cerneret, suspicione re-
moratus in proxima villa consedit. Vix ibi aliquantisper forte de-³⁶¹

sederat, cum Celie comes cum quadraginta equitibus occurrit; con-scendere statim equum et properare iubet, quando egressus rex inter pomaria et vineta pre ferventissimo esu latitans in patentes campos exire non audet; litteras incolumitatis apud eum reman-sisse subiicit. Gubernator collocatas extemplo sibi ratus insidias ad 362 Lambergerumque conversus, Certo, inquit, mihi mentitus es, amice. Cui Lambergerus, Mandata, inquit, comitis tantum ipse retuli; si 363 qua fraus inest, is est in culpa et adest; ipse, qui mandavit, cau-sam suam agat. Corvinus intellecta repente fraude in comitem con-versus: Siccine bonos viros perdere contendis? Dolo me petis; at 364 ego te vi queo perdere, veterator scelestissime. Nimirum in foveam, quam aliis paraveras, incidisti et, ni me reverentia regis et mea pro-bitas inhiberet, dignis te penis afficerem, quando nemo est, si vel-lam, qui e meis te manibus eriperet. Proinde non tibi, sed regi 365 vitam dono do tuam. Si unquam posthac meum veneris in conspectum, moriar, ni ultimo te suppicio multatum dedero scelus. Pate-factis Celianis insidiis tollendi e medio Corvini spes omnis adempta.

Ladislaus deinde mitius cum Ioanne agendum esse censuit; 367 puduit piguitque non parum dolo se malo fortissimum clarissimum-que regni propugnatorem Celiano consilio petuisse, quod ei digni-tatem regiam dehones are et de se opinionem hominum ledere vi-deretur; per fideles probosque internuncios cum Corvino ceteris-que Ungaris agendum esse arbitratur. Ex optimatibus nonnulli ultro 368 citroque missi rem ita scite et commode tractare occuperunt, ut gu-bernator munitissimas plerasque arces regi ultro reddiderit, Mathiam filium adhuc puerum servitio regio dedicarit, quem grato inter intimos cubicularios animo rex accepit ignorans illum non multo post tempore in utroque regno adiectisque provinciis sibi esse suc-cessurum; inferiores tantum partes sibi auctoritate regia reservate, quas a Turcorum furore protegeret. Quare factum est, ut Ladislaus 369 cum honorificantissima aulicorum turba Budam venerit, quem Ul-ricus comes ceterique principes longo ordine secuti sunt. Anno 370 igitur etatis sue tertiodecimo, salutis vero quadringentesimo tertio supra millesimum ac Idibus Februariis Budam ingressus est cum ingenti plausu ac faulis acclamationibus exceptus. Aberat tunc Cor-vinus et, ut comitis insidias ac invidiam declinaret, inferiores Un-garie oras lustraba: recensebat exercitum et, ne quid a Turcis mali 371 inferietur, summo studio prospiciebat. Audito regis adventu, ne a 372 regia fide deficere neve tyrannidem, ut a comite obiiciebatur, mo-liri videretur, absque litteris incolumitatis liberique itineris et suo 373 et amicorum consilio visendum regem et suo officio satisfaciendum esse censuit. Eo tamen comitatu et usque adeo instructo ad regem venit, ut citra diplomata libertatis sat ubique tutus esse posset. Euni nanque magni proceres sequebantur, eximius nobilitatis ordo, 374 validissimus etiam equitatus; imprimis Thomas Zechel, prior, ut aiunt, Aurane, Wlada Montane Valachie princeps, item Ladislaus Canisia, Sebastianus Rosgonius aliquae quamplurimi, qui sub Cor-vino ductu et auspiciis diu militarant et multos hinc honores fue-

rant assecuti. Cum regem gubernator cum nobilissimo procerum com- 375
itatu adivisset, honorificantissime hilarique vultu a Ladislao ce-
terisque principibus excipitur preterquam a Celie comite, qui os
pre labore obducere cogebatur; debitam a cunctis reverentiam et
honorem exigit. Complures in aula dies familiariter et amice ver- 376
satus, ad colloquia queque abditissima semper admissus; nil ipso
inconsulto actum est. Sed, cum Turcorum oborta suspicio revocaret, a 377
rege cum sociis prefectisque legionum honorifice dimissus ad in-
feriores Ungarie partes Themesvarum descendit, ubi quid cum
Ioanne Capistrano in Turcos gesserit, est rite dicendum.

LIBER VIII.

Cum Amorates ad Cruim, ut res altiuscule repetatur, Adriano- 1
polim transvectus anno salutis quadringentesimo et quinquagesimo
supra millesimum diem obiit, qui quidem annus, cum sacer esset,
iubileus apud nos dici solet. Maumethes eius filius ex Ottomanni 2
genere septimus rex Turcorum imperium suscepit patre maioribus-
que suis, rebus bellicis, animi magnitudine, ingenii feritate, consi-
lio, calliditate et gestarum rerum gloria longe prestantior. Potius 3
regno, cum longe maiore imperandi cupiditate estuaret, cum de-
spote et Paleologo imperatore pacem fecit, mox in Asiam traiecit et
in Carmanum Iconii tyrannum castra movit, quem semestri fere 4
bello magnos in Asia tumultus excitantem profligavit. Pacata pro-
vincia, ut grandia cepta, que mente conceperat, prosequeretur, se
cum exercitu in Europam revocat et initam cum imperatore despote-
que pacem violare cepit Euripidis dicta secutus a Iulio Cesare 5
sepius usurpata licere ius quandoque imperandi gratia violare. Im-
primis, ut belli semina sereret et Byzantium simul obsideret, ad 6
Bosporum Euxinum geminas utrinque arces statuit miraque celeri-
tate perficit, ut urbi Pontum et Meotim obstrueret omniaque au-
xilia non modo a Pannonibus et Mysiis, sed ab universa denique 7
Scythia prohiberet. Imperator, ne sociarum sibi aditus provincia-
rum obstrueretur, primum litteris, deinde legatis queri ceperat;
at nihil segnius cepta ille prosequi, obaudire querimonias, multa 8
dissimulare, purgare se quandoque et nonnulla causari; demum
Paleologum graviter laccossum aperto Marti petit. Quascunque
ex Asia et Europa potuerat, copias et auxilia coegit haud in-
scius, quante urbis obsidionem moliretur. Crepitantibus deinde
machinis mari et terra sic obsessa menia quat, ut civibus ne
curandis quidem corporibus otium daretur. Procidunt tures et
magna pars murorum; reparantur intus munitiones, consurgunt
celeri manu aggeres et diris hostibus laborem instaurant. Ac-
cita mari classis partim repulsa, partim tormentis obruta, irrita fu-
ere auxilia et elusi demum diurni nocturnique conatus. Hostis
urbe tertio sui regni anno et quinquagesimo obsidionis die potitus
magna cede grassatur, cuncta diripit, etas omnis et uterque sexus
nulla hostili iniuria caruit. Polluta et incestata oninia et templo- 9

quidem studio longe maiore. Patratis nulla piaculis accessio fieri potuit. Paleologus Constantinus ab Helena genitus, ut honestius 10 occumberet, inter confertissimos hostes dimicans cesus est et solo paludamento agnitus. Urbs igitur quadringentesimo quinquagesimo 11 tertio salutis anno supra millesimum exacto Romano non sine maximo Christiane reipublice luctu barbarum et profanum imperium subivit.

Ad Constantinopolitani excidii nuncium omnium fidelium animi 12 consternantur et precipue finitimorum, qui instantem proprius ruinam intuebantur. Nicolaus pontifex maximus studiorum parens et 13 catholice plebis pastor pientissimus, cum Pannoniis admodum My-
siisque timeret, quibus amissis iam de Christiana republica actum esse rebatur, sacrosancte militie saluberrimum promulgavit edictum, quo quidem omnes, qui sanctissime crucis tesseram in Turcos ul-
tro sumerent gratuitaque stipendia facerent, integra delictorum om-
nium impunitate donavit. Quin et Ioannem Capistranum e Samni-
tibus editum ac divi Francisci sacris initiatum, preterea virum sanc-
tissimum et ad excitandos ad id populos dicendi copia et vite
probitate nimis indoneum in Alemanos, Ungaros Polonosque mi-
serat, qui ad salutarem expeditionem sacris declamationibus homi-
nes hortaretur. Hic ne minore quidem sanctitate peditum Iacobum 15
Picentem eiusdem collegii sacerdotem sibi socium adscivit, qui in
sacra peregrinatione, cum Padum ambo traiicere vellent et a por-
titore pertinacissime repellerentur, quia interdicta e divo dogmate
pecunia carerent, quam pro naulo darent, in diffusum super undas
pallium cum comitibus consedere et veluti quadam naufragii tabula
in ripam alteram non sine avari stupore portitoris divina ope tuto
translati sunt. Cum in Austriam et Germaniam venissent, imprimis 16
divi Francisci religionem mirifice propagarunt. Multa in Noricis,
Germanis, Sarmatis et Pannonibus huiuscce religionis collegia tem-
plaque fundarunt, languentem iam dei timorem cultumque divinum
instaurarunt. Sed, cum Ioannes Corvinus vir divina charitate suc-
census ad exhibendum Ladislao obsequium Viennam profectus Ca-
pistrani Iacobique sanctitatem pregustasset et ad inferendum Tur-
cis bellum ab his veluti a divum interpretibus inflammaretur, com-
positis ibi rebus ambos in Ungariam secum adduxit. Dum Ce-
lianis artibus et criminibus cum Ladislao puero fluctuavit, maxi-
mam illi cruce signatorum manum coegere. Mox Constantinopoli-
tanum exitium intercessit, quo viri sanctissimi ad contrahenda ex
edicti auctoritate undique auxilia multo vehementius excilabantur,
quin et pecunias oppidatim cogebant, ut e collata stipe communi
saluti succurreretur.

Maumethes Grecorum imperio nimis elatus spes multo ma- 20
iores concipit, suas vires emensus navali bello se Italiam inferiorem
esse non ignorat, a sollicitanda mentem amovet Italia; se terra 21
prepotentem intelligit, Illyricum et Dalmatiam regulis obnoxiam et
in pagos parvaque oppida diffusam quotidianis incursionibus et
labefactari et facile capi posse intelligit. Despotem tantum Unga- 22

rumque veretur, cum auro militeque utrunque prepollere sentiat. Quos si expugnare contingat, audacius reliqua adoriri posse refur. Itaque superiorem prius Mysiam ingressus fodinas argenti, que de- 23 spotis erant, occupare nititur; Novum montem, Trepnam et Prisen eius oppida argenti metallorumque feracissima obsidet et expugnat. Despotes graviter angit, quod eius viribus obstare non 24 potest et optimi proventus pretiosaque sibi vectigalia intercepta sint; in munitiona se castella recipit et Ungarie vicina, ut sua cum Ungaris mala communicet, quos propugnatores optimos sepius esse noverat. Differuntur mox usquequaque rumores Turcum ad Albam 25 Grecam, quam Belgradum nunc dicunt, in dies castra moturum; maximam fortune successum audaciam addidisse; ni occurratur, cuncta propediem ruitura neque ullam ab hoste veniam tolerabi- 26 lemve condicionem sperari posse; Constantinopolitanam cladem omnibus exemplo esse.

Corvinus autem, qui ad protegendas inferioris Ungarie oras 26 regia auctoritate constitutus erat et in puer rege ac perniciose comite parum sperare poterat, in tanto tumultu neque animo exci- 27 dit neque consilio defit. Imprimis Capistranum ad hanc obsidionem sibi collegam adsciscit, ut alter humanis, divinis alter viribus ni- 28 teretur; consultit, quid potissimum videatur agendum. Ille bono animo esse iubet, quando non mediocrem cruce signatorum exercitum e Germania se conflasse fatetur. Quamvis hec gens Ungarice 29 infesta ab antiquo sit bello, in communi tamen causa et necessitate minime defuturam arbitratur. Quin et totam se Ungariam post Con- 30 stantinopolitanam captivitatem in Turcos concitasse gloriatur. In- 31 terim Corvinum cetera, que ex usu belli sunt, curare iubet. Hec se in tempore auxilia daturum pollicetur, demum ad hanc capessende 32 immortalitatis occasionem incendit. Is veteranos omnes ac alios spectate virtutis milites cogit, classem mira celeritate in Danubio parat, quando Turcum quoque multa in ponto navigia parasse mandasseque per exploratores acceperat, ut Istrum propediem sub- 33 irent et, ubi castra esse senserint, ibi consistenterent.

Calistus pontifex, qui Nicolao successerat, imminentis peri- 33 culi non ignarus Ioannem sancti Angeli cardinalem, virum sapientia et magnanimitate prestantem in Germaniam Pannoniamque miserat, ut septentrionalis plage gentes, quantum in se foret, in dirum hostem concitaret. Interim rumor affertur Maumethem iam 34 superato Hemo per Triballos et Istrum centum et quinquaginta milia hominum ad obsidem Albam ducere. In summa rerum 35 omnium trepidatione versatur Ungaria. Corvinus et Capistranus forti animo cum suo uterque exercitu ad protegendarum Albam prope- 36 rarunt. Classem commealibus militibusque oneratam deducunt. Car- 37 dinialis Bude substitit, ut apud regem cetera curaret. Ladislaus et Celie comes auditio Turcorum adventu usque adeo consternati sunt, 38 ut simulata venatione Buda egressi Viennam continuo se receperint. Quin et Budinam arcem omni presidio destitutam reliquere, que diebus circiter triginta etiam hosti patuit.

A Turcis interim Alba obsidetur, quod Idibus Iuniis accidisse 39 ferunt. Urbs est in angulo sita, ubi Danubium Savus illabitur; a septentrione Danubio, ab occasu vero Savo alluitur. Arx monti presidet loco et arte munitissima; ad radices montis civitas in amnis utriusque ripas effunditur; crasso muro confluentibusque obfirmata a continente duplci vallo, fossa menibusque munitur. Maumethes 40 in duo castra exercitum dividit; altera preter Savum, quibus basseus Asie, altera preter Danubium, quibus ipse prerat, rite locat. In suis castris tormenta cuncta bellica a fronte disponit, locum 41 vallo fossaque circumvenit, ne eruptionibus hostium foret obnoxius. Reliquam multitudinem per campos effundit, que omnia completere 42 videbatur. Cum a continente continuatis fere castris urbem obse-disset, ne quid efferri inferrique posset, Savum et Danubium classe compleverat. Cum expugnatio civitatis insanam machinarum ma- 43 gnitudinem postularet ac ille ob itineris difficultatem facile trahi non possent, hoc barbarus animus commento usus est. Machinas dif- 44 fregit, antequam iter iniret, ut in levia frusta redacte facilius per ardua loca veherentur; mox, ubi in Mysiam superiorem ventum est, ad Chrysovicum statim e conflato ere instauravit, quas cum urbi proprius admovisset et munitionibus, quibus opus erat, obfir- 45 masset, mox oppugnationem adoritur; quatit die noctuque menia, nihil oppidanis iam otii indulget.

Corvinus et Capistranus urbem acerrime dudum obsessam esse 46 sentiunt, classem Ungaris cruce signatisque completam secundo amne deducunt, ut Albanam arcem aqua terraque obsessam facto impetu ingrediantur. Cum appropinquavere, urbem assiduo quat, arcem 47 iactis in altum lapidibus sublidi, regionem sulphureo late fumo caligantem perpetuas servare tenebras conspicantur. Sociorum mi- 48 seratione correpti, qui acerrima obsidione torquebantur, animos ingentes sane concipiunt et ad certamen irritantur. Trecenti e Po- 49 lonis erant, qui religionis ardentissime gratia sumpta crucis tes- sera stipendia faciebant, item Germanorum ingens numerus, qui sacram expeditionem ultro susceperant et certatum utrique obsensis accurrendum esse censebant. Tormentorum crepitus aeneorum ad 50 Segedinum usque exaudiebantur. Quare instructa classe terrestribus que copiis in aciem eductis secundo amne descenditur. Maumethes 51 his occurgere ausus suam classem opponit, ne quid laboranti civi- tati afferant subsidii. Collatis in Danubio signis fluvialis pugna conseritur. Effertur immensus utrinque clamor et crepitantium fra- 52 gore tormentorum Danubius intonat ac utriusque classis gravitate subgemit. Christiana in quadratum agmen effusa ripam utranque 53 legebat. In ripis quadrata cataphractorum equitum agmina utrun- que cornu classis protegebant; in dextro Corvinus, Capistranus in levo presidere. Hic a prora crucifixum amplexus et supplex ad sa- 54 lutare prelium suos hortari, promittere divinam opem et profanis hostibus maledicere. Corvinus acerrime pugnare ac exemplo suo 55 ad pugnam Ungaros incendere, iubere, ut remis incumbant et suf- fragante Danubio comminus dimicent. Quod ubi factum est, mu- 56

tuis navigia catenis utrinque colligant. Corvinus in pretoriam navim insiliit, sequuntur socii, ensem late ducunt Turcosque saucios semi-necesque in Danubium deturbant; idem reliqui faciunt. Fervens ⁵⁷ ubique collectatio cernebatur, multi utrinque cadunt et, cum dira se omnes cede competenter, cruore Danubium totum inficiunt. Cum ⁵⁸ secundi amnis subsidio nostri niterentur, Turcorum classem inclinant ceduntque. Illi obstanti fluvio cedere coacti proras avertunt; multa inter fugiendum intercepta navigia undisque demersa, ceteri ad suorum presidia confugere. Corvinus fusa fugataque classe, cum ⁵⁹ Albe appropinquasset, eam reserat urbemque ingreditur, quam armis, milite commeatisbusque complet, saucios egrosque oppidanos educit, arcu supplementum suggerit validissimum, obsessorum animos recenti victoria instaurat et ad propugnandam civitatem una cum Capistrano viro sanctissimo omnes horlatur.

Maumethes ad nuncium profligate classis, Quamvis gravius, ⁶⁰ inquit, nostro tamen voto omnino potiemur. Quod e classe superfuit, incendi iussit atque obstinatissimum ad expugnandam urbem animum intendit. Cum paterni sibi amici retulissent Amoratem ⁶¹ olim septem in Albana obsidione menses trivisse ac irrito tandem conatu abiisse, multis paternos manes probris affecit et ante quintum decimum se diem urbe potiturum gloriatus est. Basseus forte ⁶² aderat Asiaticus; hic, ut gloriose principi magis assentaretur, certam imminere victoram pollicetur, quando Byzantium ipse vi coperit veteri arte ac munitione quaque maxima preditum; neque ⁶³ ab Ungaris validius muniri magisque strenue protegi quam a Grecis oppida soleant, quibus non immerito non solum eloquii sapientieque, verum etiam discipline militaris gloria suo iure tribuitur; preterea multe dirute turres, complete fosse et iam equata solo menia forent; proinde haudquaquam diffidendum esse affirmabat. Maumethes his verbis accensus in sequenti die omnes arma sumere iubet ac, veluti decreverat, nunquam etiam cessare constituit, donec ⁶⁴ Alba potiatur. In tot ordines digerit exercitum, ut perpetuum premium continuare et fessas subinde acies instaurare possit, uti nulla quiete data oppidani deficere cogerentur.

Sacer divo Sixto erat ille dies octavo Idus Augusti, quo de- ⁶⁷ turbatis dudum propugnaculis ruderibus completa fossa et obtritis patentibusque menibus hostes in occasu solis urbem adorluntur. Obstant oppidani et, cum completos innumera multitudine campos ⁶⁸ ab arce prospectarent constrataque late menia cernerent, salutem desperare cogebantur. Nulla maior spes et consolatio succurrebat, ⁶⁹ quam desperata corporum salute, pulcherrime mori. Ioannes cum divi Francisci collegio crucigeros ad salutarem pugnam hortatur et servatoris nostri crucem amplexatus ac supplex dei presentiam operisque pollicetur. Illi appetere magis quam formidare gloriosam ⁷⁰ mortem visi ad pugnamque promptissimi Turcis occurrunt. Unum his oberat, quod animo potius quam corpore armati erant. Gladiis ⁷¹ tantum et lanceis obnitebantur, pauci se galea et thorace protegerant. Dira nimis et cruenta supra murorum ruinam pugna con-

seritur, summa vi utrinque pugnatur. Hostilis clamor, tympana ⁷² classicaque celum sonitu et fragore complebant. Rudera magna cede fedantur, quando illi vi ingredi, reiicere isti connituntur. Corvinus, ⁷³ ubicunque laboraretur, accurrens nunc verbis, nunc factis omnibus opem suggesterit, timidis et ignavis inclamat corripitque, strenuos extollit, fortissimos quosque commendat et hortatur, ut urbem hanc Christiane reipublice propugnaculum fortissime tueantur; sciant sibi cum his rem esse, quos totiens olim profligarint, vicerint et ad internectionem sepe ceciderint et in Danubio tot superiore pugna confecerint; non deesse divinum auxilium Iesu Christique presentiam, sub cuius nomine, ductu, auspiciis dimicatur. Mox cum globo ⁷⁵ veteranorum instruclus usquequaque discursare, instaurare ordines, pro fessis validos, vivos pro mortuis, pro sauciis integros, pro inermibus armatos, veluti opus erat, sufficere, quandoque, ubi plurimum laborari sentiebat, succurrere, inter confertissimos sese hostes inserere, ingressos reiicere hostes et imperatoris militisque optimi officium prestare. Contra Maumethes a tergo suis instare, grandia ⁷⁶ militibus premia polliceri, retrocedentes revocare in ordinem et quandoque falcato ense cedere, orare, ut strenue pugnant, exclamans eam iam urbem captum iri et suos intra penetrasse; proinde, ut facto magno agmine progrederentur, hortari.

Variante diu fortuna pugnatum est, quando Turci sepe in ⁷⁷ urbem penetrarunt et a Christianis non sine magna utrinque cede reiecti. Supra cadavera murorumque ruinas diu nutante ancipitique ⁷⁸ victoria dimicatum. Et hinc, veluti spes utrinque surgebat, ita extremis indefessisque viribus pugnabatur. Sepe Turci cum maximo ⁷⁹ impetu in urbem irruperant, sepe etiam reiecti arridente subinde Marte instaurato cuneo amissam obstinatissime victoram repelebant. Itaque, cum pari spe utrinque pugnaretur, Maumethes presenta- ⁸⁰ neum consilium init, quam validissimo potest, agmine in urbem irrum- ⁸¹ pere pertinacissimeque tenere. Quod si nequeat, hinc reiectum fu- gam simulare, qua oppidanos affectos in campos educat moxque ⁸² irrumpente a tergo dimissa equitum multitudine redditum intercipiat, uti a tergo et fronte Christiana gens iuxta cedatur; quare validissi- ⁸³ sum agmen instaurat. Superata mortuorum strue, que in ruinis excreverat, in civitatem inclinati oppidanis irrumpit. Penetrat in forum et in medio foro prelum redintegratur. E Turcis plerique ⁸⁴ in forum signa inferunt, altis nonnulli turribus vexilla regis depo- nere conantur, que adhuc in menibus integre superfuerant. Subeun- ⁸⁵ tem cum vexillo Turcum memorant, qui, ut signa sui regis ad irritandos in urbem sociorum animos, qui nondum intro penetrarant, pinnaculo turris imponeret et ad exanimandos Christianos Ungarica deturbaret, turrim altissimam repente subit. Hunc Unga- ⁸⁶ rus repente subsequitur ac, antequam patria signa deponeret, cum hoste in turris fastigio collectatur. Cum alio modo id prohibere non posset, se cum Turco, quem apprehensaret, ex altissimo ver- tice precipitem dedit. Corvinus in summum periculum adductam urbem conspicatus accito Michaele Zylago avunculo suo et Ladis-

Iao Canisa, item Sebastiano Rosgonio ceterisque fortissimis proceribus Ungarorum ab arce ruens in forum Turcos inclinat. Hi tanto ⁸⁷ furore congreguntur, ut multis in platea vicisque cesis extra menia extemplo reiecerint.

Crucigeri divina se ope adiutos rati adauctis animis extra me-⁸⁸nia prodeunt et in hostes seva cede grassantur. Maumethes, ubi se ⁸⁹iterum iterumque reiectum esse cernit, ex composito fugam simulat et plane terga vertit ac eos ducit. Instant a tergo crucigeri et arri-⁹⁰dente victoria pellecti pertinaciter insequuntur. Iamque ad bassei Asiatici castra pervenerant, que in Savi ripa collocarat. Capistranus ⁹¹prospeclis ab arce Maumethis insidiis confestim suis exclamat, ut retrocedant. Cum pre strepitu et tumultu magno exaudiri non posset, a tergo receptui signa dat; contra illi victorie intenti nihil exaudiunt, hostilia castra adoriantur et incendunt. Pater cum sa-⁹²cerdotium collegio illuc per medios enses ab arce decurrit revocat-que. Maumethes, qui ad machinarum bellicarum munitiones con-⁹³fugerat, cum bassei castra cremari diripiique respiceret, cum equitat, quem a tergo reliquerat, ut redditum oppidanis obstrueret, eo succurrere contendit. Ad hec dies iam inclinabat. Corvinus deser-⁹⁴tas a Maumethe munitiones et bellica tormenta conspicatus cum sociis ex urbe prorumpens repente capit, machinas aeneas adacto mox clavo partim obstruit inutilesque reddit, partim in hostes convertit intenditque. Turcus reiectis e castris crucigeris, qui a Capi-⁹⁵strano revocati facile cesserant, ad munitiones reddit, eas a Corvino occupatas comperit. Cum instante crepusculo recuperandi gratia pre-⁹⁶lium instauraret, obversas in se machinas invenit, a quibus cum gravissime socii lederentur, ingruente nocte se in posteriora castra non sine feda fuga recepit. Alii pectore saucium sub papilla in ⁹⁷castra pedem refulisse memorant. Corvinus munitionibus potitus eas incendit. Cum adurgente nocte, machinas aeneas exportare non posset, obclusis foraminibus irritas prestitit victorque ac ovans in urbem rediit.

Turcus, ut se ab urbe sepe reiectum et Asiaticis castris ac ⁹⁸munitionibus exutum conspicatur, intempesta nocte versus Mace-⁹⁹doniam iter intendit. Referunt nonnulli eum sagitta saucium semi- necemque in castra relatum aliquantis per iacuisse; Turcos ad Sarnon oppidum motis hinc castris imperatorem trantulisse veritos, ne intercedente ipsius morte postero die ad interitum cederentur; ad Sarnon cum ille aliquantulum respirasset, de belli exitu fuisse ¹⁰⁰percontatum; cum illi respondissent basseum Asiaticum et cunctos fere proceres oppetiisse, magnam partem exercitus esse cesam, Curtidoan pretorianarum cohortium prefectum sub menibus fuisse trucidatum, item munitiones omnis ab hoste captas; ad hec hominem, ut aiunt, usque adeo ingemuisse, ut venenum pre vite molestia propinari sibi iusserrit, quod cum amici recusarent, timidum et demissum incensis castris turpem arripuisse fugam neque tam elatum animo venisse, quam consternatus abiit, et, qui se terrorem orbis edixerat appellari, a parva manu fusum fugatumque fuisse.¹⁰¹

Basseum Asie, cui Caracie nomen erat, ad munitiones paucis ante diebus ab urbe ictum obiisse plerique ferunt. Sexto igitur et quadragesimo obsidionis die divina potius quam humana ope urbs Al-¹⁰²
bana Turcorum manibus liberata. Quanquam multi utrinque ceci-¹⁰³
dissent, plurimi tamen e Turcis occubuerent; multi quadraginta hos-¹⁰⁴
tium milia periisse prodidere, viginti milia nonnulli nec desunt, qui
quattuor tantum milia fuisse affirmant. Sed, quanta clades illa fuerit,
potentissimi regis fuga testatur. Turci quoque ingentem et incredi-¹⁰⁵
bilem nequaquam fuisse diffitentur, quin et deorum ex se plures
quam Christianorum manu eo die cesos fuisse asseverant, quia
multa mortuorum corpora sine vulnere comperta fuere, que divina
potius quam humana vi cecidisse reputabantur.

Capistranus et Corvinus insigni Victoria potiti per se uterque ad Calistum pontificem de hoc bello scripsere, suis uterque litteris tam clari facinoris gloriam sibi vendicare nititur, cum alter mentionem alterius minime fecerit. Prestantes nimirum viri potius se regnis, quam debita laude defraudari patiuntur. Verum, cum duo duces, alter oratione, manu alter strenue dimicaret, idcirco hoc sanctissimo viro plerique factum arbitrantur, ut in eo prelio divine potius quam humane vires, quod Turci non infinitantur, enitusse viderentur. Prelium id atrox et inauditum fuit, quando horis quatuor et viginti sine intermissione ulla pugnatum fuisse tradunt. Ne quid utriusque ducis felicitati posset adiici, ne multis quidem post diebus divina utrunque benignitas non modo mortali, sed celesti quoque gloria donavit; at Corvinus id prius assecutus est, quippe qui longo intolerabilique labore belli defatigatus in estuantissimam febrem incidit, qua paucis diebus absumpsus est. Medicorum iussu, quorum adminicula cuncta irrita fuere, in Semplen oppidum amici contulere, ubi celi benignitate se corpusque multo facilius a languore redimeret. Aderant filii duo, Ladislaus feroci animo et robusto corpore iuvenis et Mathias adolescens divino ingenio et prestanti indole preditus, item cognatorum et amicorum numerus non mediocris; Capistranus a latere non discessit. Sevit ipsa febris in dies et nulla medica arte sevitiam remittit; desperatur viri salus et medicorum eluditur opera. Capistranus demum Corvinum hortatur, ut, quando divine fortasse tempus evocationis instaret, testamentum edat, humana disponat, saluti consulat et, que ad animi emigrationem pertinent, veluti sacra munia iubent, cuncta paret, ne minus nunc, cum opus est, quam olim industrius et prudens sibi esse videretur. Arrisit ad hec vir ille fortissimus et pia patris consilia commendavit, se tamen cuncta multo antehac disposuisse respondit, ignavum et imprudentem illum reputavit, qui ad extremum vite, ubi sui compos pre formidine mortis nemo esse posset, officia ista distulerit.

Ne me, inquit, velim, usque adeo incautum et imprudentem, Capistrane, putes, ut, que probe suades, hec ad mortis agonem et tempus emigrationis ipse distulerim; multo ante hec cuncta constitui, iam diu, que ad emigrandum facerent, comparavi, testamen-

tum diu condidi, ubi, quid liberis et amicis, quid diis immortalibus legandum sit, sat bene, ni fallor, pro facultatum copia provisum existimo. Curam salutemque animi mei nequaquam liberis ¹¹⁷ delegandam esse censui, pro facultate nonnulla templa fundavi. Erogavi in pauperes, que humanitas et pietatis ratio iusserat. Et ¹¹⁸ ad peragendum, quod instat, iter viaticum quoque mihi comparatum, firma constansque fides et spes ingens, item et tot excepta pro fide orthodoxa vulnera laboresque et presertim divina mihi totiens explorata benignitas et presentia me bene sperare iubet haud inscum Corvinum in hac misera vita mortalium tot insidiis petitum, tot periculis et tempestatibus agitatum felicem demum quietem inventurum. Id unum me angit et cruciat, quod pro temporis angustia ¹¹⁹ nondum profuse in me divine beneficentie mihi satisfacere licuit. Verum in hac Iesu Christi servatoris exuberans clementia pietasque ¹²⁰ succurrit, quippe qui sine animi versura a me sibi satisfieri patiatur. Totam vitam sub eius ductu auspiciisque militavi; quamquam ¹²¹ stipendia gratuita facerem, multo plus tamen reppendit in vita, quam merita postularent; fidelissimi veterani fidem dux ille non deseret. Vos autem, filii amicique charissimi, huiusc me vite miseriis ex- ¹²² auxiliari equo animo, queso, patiamini; fluxa hic et caduca sunt omnia; nihil est, quod quicquam preter umbram habeat boni. Mi- ¹²³ litavimus hic satis superque, militie premia apud superos exigemus et ea quidem commoda a divina liberalitate consequemur, que sunt perpetuo duratura. Si recte sapitis et stolida mortalium charitas ¹²⁴ vos non fallit interturbatque, fortune me invidendum esse potius quam miserandum reputabitis. Dux ille prepotens gratissimusque, ¹²⁵ sub cuius auspiciis sacra stipendia feci, veterani sui labores miseratus militie vacationem indulget et, quae diu proposuit, nunc emerito magna premia tribuet; proinde hunc necessitatis abitum patientissime tolerate. Si quid abituro muneris in hac pompa ¹²⁶ et emissione Corvino tribuendum esse censem, quod sit gratis sum futurum, vestigia, dulces filii, paterna sectamini, cum paterna virtute gloriaque certate, experimini, si superare liceat, quod mihi per mortem interceptum est, Turcorum bellum continuante conficieque. Id firmum, constans et gloriosum existi- ¹²⁷ mate, quod honestatem foveat et pietatem, atque deo gratis sum reputetis. In divino cultu et religione persistite et, quod mihi assequi non licuit, deleti Turcorum nominis gloriam comparete. Ne indignum quidem et indecorum est studiorum militieque paterne iuxta atque legatarum fortunarum hereditatem accipere. Idque imprimis precor, emitamini, ne degenerando per ¹²⁹ negligentiam et ignaviam paternum nomen dehonestare videamini. Te id imprimis facere iubeo, Mathia dulcissime, qui natu quo ¹³⁰ minor es, eo melius bona indoles de te sperare cogit. Proinde ¹³¹ valete omnes Corvini memoris; tu quoque, Capistrane, vale, pro salute nostra pias preces effunde supplicaque et, quando sub eodem imperatore meruimus, ad accipienda mecum stipendia properato.

Cum hec dixisset, presentibus liberis dato osculo benedixit,¹³² amicis circum collacrimantibus commendavit omniumque dexteras apprensavit, exoravit mox eos imprimisque Capistranum, ut in proximam dive genitricis edem ad rem sacram faciendam se deferrent et, cum eucharistiam accepturus esset, dominum ad servum, quod indignum erat, venire minime paterentur, sed ipsum in edem ad dominum introducerent. Translatus in templum et sacris operatus¹³³ accepta eucharistia placatisque extemplo numinibus animam efflavit, perpetuum quoque sui desiderium Ungaris reliquit. Diem igitur obiit salutis anno quadringentesimo quinquagesimo sexto supra millesimum quarto Idus Septembres. Corpus, sicuti legarat, in Transylvaniam delatum et in ede, quam in Alba Iula fundarat, magnifico funere sepultum. Vir fuit sane corporis statura mediocri,¹³⁴ magno capite, crispis crinibus castanee colore subnitentibus, oculi fuere magni, serenus obtutus, suffulva facies et pervenusta, aspectus usque adeo pulcher et iucundus, ut singularem preferret gratiam et tacitam sibi reverentiam postularet; cuncta membra corporis inter se ita consentiebant, ut nil posset elegantius exoptari; corporis demum animique viribus eque pollens. O felicem virum, cui cum singulari virtute vivere ac summa gloria mori datum est. Dum vi-¹³⁵ xit, ab omni periculo Pannionam Christianamque rempublicam li-¹³⁶ beravit, quare promulgata morte non immerito per universam Un-¹³⁷ gariam ab omni estate ac utroque sexu est diu publice deploratus. Aliqui propugnatorem fortissimum, milites invictissimum impera-¹³⁸ torem, omnes patrie patrem certatim lugendo ingeminabant. Quot sibi beneficiis Ungaros immortalibus obstrinxerit et quantum amoris et gratie pre gestarum rerum gloria sibi conciliarit, rei exitus ostendit, quippe cum post Ladislai regis interitum Mathiam eius filium regio haudquaquam genere natum et adhuc puerum ac rerum im-¹³⁹ potem omnes una voce regem exclamarint.

Cum adhuc animam ageret, Capistranus ingemuit. Invideo, in-¹⁴¹ quit, Corvine, morti tue, qui consummato quoque prestantissimi ducis officio et fuso fugatoque hoste, quem terrorem orbis appellabant, ne qua tua felicitas labe inficeretur, extemplo ad superos evolas et amplissima utriusque vite gloria potiris. O nos miseros,¹⁴² qui remansimus, quibus, si quid nominis recenti victoria parum est, superstibus facile id fortune inconstantia periclitari potest. Utinam te subsequi sit mihi fato datum, ut, qui pariter sub celesti¹⁴³ imperatore meruimus, una quoque in celis triumpharemus.

Maumethem aiunt ad nuncium Corvine mortis confessim ocu-¹⁴⁴ los humi defisisse et conversum in lacrimas dixisse neminem unquam a mundi principio illi sub aliquo principe fuisse merito ac iure sibi indolendum, cui tantam ex accepta clade turpitudinem amplius ulcisci non licet. Viri fatum universa deploravit Europa.¹⁴⁵ Calistus audita morte non parum lacrimarum effudit, sollemnia quoque iusta in divi Petri basilica Christiane fidei defensori persolvit. Eius mortem prodigia multa portendere; imprimis crinita¹⁴⁶ stella in gradu quintodecimo mense Iunio triginta circiter dies appa-

ruit; in Sabinis Februario mense vitulum bicipitem fuisse natum; Rome sanguinem ad portam Veneris, carnes in Liguria pluisse et ¹⁴⁷ in Piceno agro infantem cum sex dentibus editum ac facie insolentis plane magnitudinis fuisse memorant. Hec signa fatum non ¹⁴⁸ modo Corvini, sed multa quoque mala significarunt. Is igitur fuit Ioannis vaivode finis.

E Corvino, uti diximus, duo filii fuere superstites, Ladislaus ¹⁴⁹ et Mathias; alter, qui natu maior erat, militari disciplina et virtute prestans, item singulari honestate et magnanimitate peditus erat; alter vero minor ad maiora fortasse, quam pater, natus esse videbatur; patri demum uterque similis ne minima quidem in re a paterna virtute degenerans. Sed uter aut longiore vita aut maiore ¹⁵⁰ gloria functurus esset, Capistranus veluti divinitus afflatus optime auguralis est. Nam, cum eum Corvinus aditus utrumque secum ¹⁵¹ filium duceret, Capistranus Mathiam semper sibi ad dexteram, ad sinistram Ladislaum maiorem natu collocabat. Admiratur huiusce ¹⁵² rei pater insolentiam causamque sciscitatur; respondet ille haud ab re id a se fieri, quando alter immatura morte prereplus emergere non poterit, alter Ungarie regnum sortietur, virtute ac gloria cum Alexander certabit et Christiane plebis propugnator erit acerrimus, cui si diu vivere licuerit, omnes orbis principes sui admiratione conficiet.

Capistranus defuncto Corvino nunquam amplius ridere visus ¹⁵³ est, veluti qui sub iisdem auspiciis militasset et insigni Victoria potitus triumphante collega ipse debito triumpho fraudaretur. Noctes ¹⁵⁴ aliquot insomnes exegit; inter contemplandum cum deo sepe conquestus, quare cum collega sibi obire non liceret; in languorem subinde corporis incidit, quem ex illius diei labore contraxerat; elusis medicorum adminiculis ad triumphandum accitus paucis post ¹⁵⁵ diebus in domino obdormivit; ad Uilachum in Syrmiensi agro in divi Francisci ede collegioque sepultus est. Inter deos ex hominum ¹⁵⁶ opinione relatus quotidianis in humana auxilia votis invocatur, miracula templo affixa magnitudinem numinis plane testantur. Iacobus ¹⁵⁷ Picens vir sane sanctissimus defuncto socio et amplificata divi Francisci religione in Italiam reversus est, ubi cum diu vixisset, Neapoli demum excessit humanis; quot vivus et mortuus miracula ediderit, universa Italia plane testatur.

Ladislaus rex audita insigni Turcorum clade admodum exhilaratus consternatum resumpsit animum et Corvini mortem non ea, qua debuit, pietate honestavit, a Cели comite male suasus letitiam dissimulavit veluti regno sine formidine discriminave aliquo potiturus. Ulricus vero comes, ne tam quidem Turcorum confictu, ¹⁵⁸ quam Corvini morte letatus est, utpote qui universam sublatu e medio adversario Pannoniam se pro arbitrio suo temperaturum esse confideret. Cecum profecto humane mentis iudicium, que dira quandoque libidine ita rapitur, ut pro bonis mala, pro malis bona desideret. Fuisset Ulrico nimirum longe salubrius vixisse Corvinum, ¹⁵⁹ quippe qui necem ab Ungaris illi destinatam avertisset. Atqui livor eius et odium, unde mortem sibi comparavit, non modo in patrem,

verum etiam in filios amicosque profunditur. In causa non solum ¹⁶⁴ ambitio maxima, superbum ingenium et invidia fuerat, verum etiam alia intercessere. Imprimis egerime tulerat Corvinum ignobiliori ¹⁶⁵ genere natum totius regni gubernatione fungi, pro rege haberi, quo quidem munere se Ladislai regis avunculum multo digniorem esse censebat. Neque vastationes, incendia et rapine, quas a Corvino in ¹⁶⁶ pueri et corone repetitione quondam acceperat, quia regno infestus Cesaris partibus adhesisset, memorie exciderant. Neque vindictam in ulla unquam oblata occasione preterire potuit. Quamvis mors ¹⁶⁷ inimicum e medio sustulisset, equo tamen animo pati non poterat superstites filios paterno munere ac potestate potiri, magne auctoritatis et gratie adhuc esse, ab Ungaris tantum diligi et observari, retinere oppida multa, villas prediaque amplissima et amicitiis, opibus et clientelis ceteris proceribus longe prestare. Quare cum filiis eius simultates et odia instaurare, novas moliri in hos insidias et, cum principatum apud regem ipse retineret, cuius consiliarius et moderator erat, in utriusque cedem omnia tentare cepit. Quin etiam sepe gloriatus est se caninum hoc genus propediem e Pan-¹⁶⁸ nonia extirpaturum. Ne latebat quidem iuvenes ac ceteros optimales infestus Ulrici animus neque incaute cum Ulrico versandum esse censebant. Quid sibi cavendum esset, sat patris olim exemplo didicerant.

Exacto igitur Corvine mortis anno Ladislaus rex Ulrici suaus ¹⁷¹ Vienna proficiscitur et frequenti procerum ordine magnaue crucigerorum manu stipatus Danubium concendit ac, ut Ungariam invisat, Budam secundo amne delabitur. Cum dies in arce aliquot ¹⁷² exegisset, consilio ac libidine comitis agitatus eadem classe ad Futachum defertur, quod quidem oppidum in Bacchiensi agro et Istri ripa situm est. Hic rex ex arte comitis frequentissimum con-¹⁷³ ventum indicit; convenient undique principes ac ingens nobilitatis numerus. Ladislaus, qui Albanam arcem et inferioris Ungarie oras ¹⁷⁴ eadem, qua pater, potestate tenebat, ubi regem appropinquasse sensit, ad Futachum non sine validissimo equitatu obviam occurrit, ne quid ab inimico mali pateretur. Excipitur a rege grato vultu au-¹⁷⁵ diisque eum ad Albam propediem esse venturum, ut hostium spolia et castrorum vestigia recognoscat. Hic etiam, ut sibi caveat, ad-¹⁷⁶ monetur a multis, quos regis consilia non latebant, ac edocetur a Cели comite regis animum infestum sibi esse redditum; regem id-¹⁷⁷ circo Albam venire cum Alemanorum crucigerorum manu, ut electo ipso protegendarum illis arcem tribuat, omnia oppida, prefecturas et magistratus, qui in manu sunt Ungarorum, his exactis Alemanis committat atque illud potissimum peragat, ut Corvini liberis paternam omnem abroget potestatem; Ulricum demum malorum omnium esse auctorem. Perturbatur his dictis misere Ladislaus, tamen pro ¹⁷⁸ virili sua odium dissimulat et sese coerset. Communicat hec ami-¹⁷⁹ cis Ungarorumque proceribus, quibus infensum comitem intelligebat et ad quos hec pertinere senserat. Commoventur nihilo secius ¹⁸⁰ illi et inimicum ex occasione omnino perdendum esse censem.

Ad Albam tandem pervenitur, quam validissimo Ladislaus pre-¹⁸¹
sidio tenebat; adventanti arcem regi patefacit, ipsum cum purpuratis
et togatis excipit, reliquis vero armatis, qui circiter quatuor milia
fuerant, portas obcludit; presidiarios admonet, die noctuque clan-¹⁸²
destina arma non deserant, ne quid ab Alemanis sibi infensis de-
trimenti patientur. Claves arcis ad regem defert atque, Accipe, in-¹⁸³
quit, rex optime, tue arcis claves, quam tanto sudore ac sanguine
pater dudum meus e Turcorum faucibus exeruit liberavitque. Quante¹⁸⁴
molis id fuerit, mors insecura testatur. Satis equidem maiestati
tue ac universo orbi paternam virtutem, fidem et integritatem spec-
tatam esse puto. Nos, qui ex eo superfuimus, ne degeneres vi-¹⁸⁵
deamur, non minus paterne virtutis ac fidei, quam ceterorum bo-
norū heredes esse studemus. Invidia clam apud te nos Ulricus¹⁸⁶
oppugnat, princeps clementissime, et non modo dignitate, sed vita,
si liceat, nos exuere conatur. Proinde, si nemini competitori in-¹⁸⁷
imicoque nostro claves daturus es, accipe, quando nos ipsi et hec
omnia tua sunt. Si invidi obtrectatoris consilio et libidini auscul-¹⁸⁸
taturus es, te, rex, queso et obtestor, ne Corvinam prolem, que suo
iure mortalium cuique fidelium tibique imprimis sat commendata
esse debet, preter fas et equum tam cito dehonestandam esse cen-
seas. Me igitur, ut par est, maiestati tue semper parituru, sed¹⁸⁹
paterno nunquam inimico cessurum esse scito.

Rex exemplo primum recipere claves, arcem curare, paternum¹⁹⁰
munus gerere et bono esse animo iubet. Dum mora illic trahitur,
comes Celia regem in Ladislaum irritare, sollicitare cuncta non de-
sinit. Ob non admissam in arcem armatorum multitudinem audax¹⁹¹
Ladislai facinus criminatur. Quotidianis contra iuvenis criminibus
irritatur; de interficiendo comite paternos amicos consulti, imprimis¹⁹²
Ioannem Vitesium episcopum Varadiensem Corvini quondam con-
siliarum, qui deinde a Mathia rege ad Strigoniensem archiepisco-
patum evehetur; is religionis gratia, ne cedis auctor haberetur, se,¹⁹³
ut id fiat, nequaquam suadere, si factum foret, improbare non posse
respondit; trucidandum inimicum ceteri suadent. Verum detecte re-¹⁹⁴
centiores insidie destinatum facinus maturarunt. Ladislaus gnatum
palatini comitis e nobilissimo Gararum genere nati nuper despon-
sarat. Ulrico despoticis filia uxor erat. Ad despotem is dudum lit-¹⁹⁵
teras scripserat post, ubi cum rege Albam applicuerit, se propediem
duos globulos esse missurum, quibus optime sibi ludere licebit. In¹⁹⁶
his amborum filiorum Corvini capita pollicebatur. Intercipiuntur a
pueris Ladislai littere, que ad dominum relate ac perlecte sunt.¹⁹⁷
Forte rex sacris aderat ac proceres eo die, qui divo Martino sacer-¹⁹⁸
erat, in abdito conclavi senatum habebant. Comes mali conscius eo
vocatus, anne prodiret, aliquamdiu hesitavit; mox loricata tunica
munitus, antequam prodeat. Ladislaus tunc litteris incensus occur-¹⁹⁹
rit ac postulato colloquio proditorem ostentatis litteris exclamat, qui
patri quondam necem et nunc filii indigne molliatur; infensum quo-
que sibi regem fecerit; suppliciorum iam diem venisse ingeminat.
Nonnulli comitem prius Ladislaum probris lacesisse dicunt et,

quod pretorianas cohortes in arcem non admiserit, eius audaciam admodum incusasse. Illud plane constat Ulricum arrepto ex armigeri manu gladio in Ladislai caput eum contorsisse, Ladislaus obiecta repente manu in vertice simul et digitis vulnus accepisse, oborto confestim clamore Ungaros irrupisse et comitem acerrime reluctantem multisque confossum vulneribus obtruncasse. Ulrico ceso 200 hi cum Ladisla regem adeunt, interfectum regni hostem et otii pacisque inimicum exclamant, scelerum omnium auctorem debita supplicia dedisce dicunt, regem nihil timere iubent, quando nunc rex et dominus verus est, nunc pacatissimum sibi patet imperium; eum dudum non regem fuisse, sed Celie comitem pro libidine sua imperasse. Rex, quamvis dolorem, iram et metum eque dissimularet, etiam supra, quam etas toleraret, et iure cesum comitem profiteretur, audaci tamen facinore nimium commovetur. Cum ad tollerantiam hortarentur amici, ferendum esse inquit, quicquid impetiosa necessitas attulerit; ademptam Ulrico vitam reddi non posse, nunc superstitione superesse fatalia, que deus meliora faxit. Corpus 204 eius Celiam deferri et in maiorum monumenta recondi iussit. Fuit Ulricus proceritate decenti, valido corpore, macilenta facie, vultu haudquaquam indecoro et periucundo, feminee veneris nimis obnoxius, quaer barba rasa et excultis crinibus, molli quoque habitu semper incessit. Cum immaturum diem obiit, quinquagenarius fere habebatur.

Rex ob Ulrici casum non longam in Albana arce moram traxit, hinc profectus ad Themesvarum iter intendit Turcis obiectum, situm in amenissima regione ad Themedi fluenta, excultum edificiis et multa arte munitum. Ladislaus eum comitatur multique Pannoniae proceres, imprimis Ladislaus Gara palatinus comes et Ladislai sacer; preterea Michael Orzagus de Chutto editus, Paulus Bani filius, cui de Lyndva cognomen erat; ianitorum regalium magistri et honestissimus aulicorum ordo. Cum ad oppidum pervenissent, 207 quod Ladislaus cum presidio tenebat, Elisabetha Corvini uxor una cum Mathia filio lugubri ueste amicta et cum pullato ancillarum ordine, que vultus pre domini morte demiserant, regi occurrit et eum prevenerata, ut par est, supplex ac lacrimabunda filios commendat et Ladisla veniam precatur et, ne illustria Corvini beneficia mente excidant, obsecrat et obtestatur. Rex matronam amplexus, 208

Funesto, inquit, habitu quotidianisque lacrimis tui viri athanasiam celebrari summum, crede, nefas est, Elisabetha; Corvinus tuus de deo ac hominibus eque bene meritus inter deos relatus est, ubi iure felici ac sempiterna vita perfruitur. Christo Ungariam, 209 mihi regnum servavit, intestino et externo bello Pannoniam liberavit, fudit fugavitque Turcos, et ad internecionem sepissime cecidit, cum quibus decies collatis signis, quater decies tumultuario et improviso prelio feliciter dimicavit. Bis vicit perniciosam hosti victoriam reliquit. Tot tempora fundavit magnificeque donavit, tantum pro ingenite beneficentie ac liberalitatis imperio calamitosis et miserabilibus erogavit, ut regias in eo genere vires superarit. Fidelis 210

bus profanorum metum abstulit, Ungaris pacem peperit, utrisque salutem genuit; vite sanctitatem, gestorum gloriam, immortalia beneficia et triumphorum seriem omnes gentes ac cuncta secula memorabunt. Talem vitam duxit, tot clara facinora gessit, ut totum ²¹² orbem in sui admirationem plane contraxerit ac eius obitum non magis amici quam hostes deplorarint. Domi equus et mitis, foris strenuus et fortis. Nec armis ab hoste nec officiis ab amico unquam superari potuit. In vita hostes, in morte se ipse superavit. ²¹⁴ Cum ultimam vite horam instare sensit, haudquaquam a suo domino visitari passus est, sed labentibus iam membris et defecto corpore in templum sese detulit. A domino ac deo suo, sub cuius ²¹⁵ semper ductu et auspiciis meruerat, delictorum facile veniam imploravit, imperatori se suo reconciliavit, sumpsit eucharistiam et ea sumpta ab duce gratissimo ad immortalia mox premia felix ac ovans evectus est. Quare Corvine sorti invidendum congratulan- ²¹⁶ dumve potius quam indolendum est, cum optime ac gloriissime vixerit, pulcherrime diem obierit et optata nunc immortalitate fruatur. Proinde dolor omnis abesto, procul esto meror, lugubres ha- ²¹⁷ bitus deponuntur. Supersunt tibi duo filii, qui cum paterna virtute certabunt; hos ego fratres et te matrem adopto. Ladislaus Celiane ²¹⁸ cedis impunitate dono, sacrosanctam initi fraterni federis eucharistiam testem esse iubeo. Pullas ergo vestes vos omnis exuere iubeo, ²¹⁹ impero ac edico et hunc festum diem una vobiscum celebrabo.

Vix hec dixerat, cum purpureas vestes auro contextas in me- ²²⁰ dium afferri precipit. Eas vidue ac Ladislae Mathieque dono dedit. Insigni omnes pietate amplexatus ancillarum ordinem indonatum ²²¹ nequaquam pretermisit, quas mox habitum mutare iussit, letitiae ac hilaritati diem indixit, opipara celebrata convivia, que carminibus, mimis et saltationibus excoluere. Ladislaus cum Mathia ad genua ²²² in media procerum turba instantissime supplicantem, ut patrate cedes venia, ut dudum promiserat, donaretur, ad pectus erexit, gravi asseveratione cum iuramento super eucharistiam sancte ac reverenter inito omnes iniurias ac inimicitias ex Ulrici morte conceptas remisit, ambos fratres adoptavit ac Elisabetham pientissime parentis loco se semper habiturum esse recepit. Fraterne adoptionis diem ²²³ publica cuncti letitia celebrarunt. Verum, quemadmodum in sequentibus rite referetur, cum rex initi fraterni sancte federis iura aliorum impulsu facinoroze violarit, antequam annus post lesam fidem exigeretur, extremi supplicii penas expendit. Ex quo facile ²²⁴ colligitur, quam preceps et formidolosum est adolescentium imperium, qui, cum sibi constare nequeant, sepius ad alienum arbitrium in diem sententiam mutare coguntur. Ad diverticulum revocetur oratio.

Ladislaus et Mathias regiis donis et blandimentis allecti ab- ²²⁵ euntem Budam regem deposita omni suspicione sequuntur, familia-
rissime cum rege versantur et habentur inter primos. Non solum ab eo diliguntur, verum etiam observantur. Hos Ungaria tota pa- ²²⁶ terne memorie gratia sequebatur, a matre tamen perquam sollicita his mandatum fuerat, ut nunquam simul curiam adirent, ne una

periclitari cogerentur; quod si servassent, non fortasse fuisset tantopere laboralum. Ut Budam perventum est, cum honestissimo uterque comitalu regiam frequentabant, favebant apud principem amicis et patrocinia clientibus promptissima accommodabant. At contra Ulrici comitis amici, qui illius interitum egre tulerant, regias quotidie aures sollicitare, inconstantem et credulum adolescentis animum a bona mente divertere, dicere preclarum principem regis avunculum a furioso iuvene indigne cesum; lesam hinc maiestatem conqueri, audacissimum scelus nullo pacto inultum esse relinquendum; ingentem iuvenis audaciam, ni presenti supplicio coerceatur, eo evasuram, ut patris exemplo regnum anhelet; qui regi proximum obtruncarit, regnum quandoque ausurum; quod pater concupivit et pre rei gravitate consequi minime ausus est, iuvenili hunc temeritate facile adoriturum; malum, antequam increbrescat, esse curandum et ab initio incendiis occurrentum; in Ladislao quotidie ultimi supplicii ansam deprehendi posse. Rex tandem sive per se avunculi cede succensus seu talibus dictis irritatus ambobus insidias molitur. In horum numero, qui vindictam affectabant, inter primarios comes palatinus erat, Ladislai sacer et Ulrici nepos, qui, ut avunculi necem ulcisceretur, generi mortem, qui nondum filiam duxerat, contempsit; item Paulus Pamphi et plerique alii, qui aut pre labore Corvinum olim obtrectarant et filios infensos habebant aut assentando regie ire vindicteque deservire studebant. Obtenduntur iusu regis ambobus insidie. Cum in regiam venissent ex composito porte clauduntur et a pretorianis militibus capiuntur coniiciunturque in carcerem; capti quoque cum his primarii sunt amici veluti Celiane mortis consci et insidiarum, que regi pararentur, artifices ac imprimis Ioannes Varadiensis episcopus a Corvino per omnes ordines ad hanc dignitatem enectus ac filiorum quoque moderator et magister, vir quidem ea tempestate summe virtutis et prudentie et non mediocris eloquentie. Nonnulli quoque secum proceres in vincia coniecti, ex quibus Sebastianum Rosgnium, Ladislauum Canisam, prestanti genere natos ac domi militique pollentes; item Bodo Gasparem inter Corvini liberos educatum, virum quidem nobilitate, consilio, eloquentia et multarum reium cognitione prestantem; preterea Georgium Modracem virum sane locupletissimum, duos Urvatorum Paulos et Frodnoarum Alemaniae gente natum fuisse dicunt. Hi narque militie a Corvino educati militaribusque munis et honoribus adacti a Ladislai et Mathie latere nunquam recedebant. Si Ladislaus matri paruisset, ut nunquam simul curiam adirent, iniquitatem huiusce fati fortasse declinasset. Ipse dudum, cum Turcos in Mysiis nova moliri rumor esset, e superioribus Ungarie partibus exercitum evocarat. Cum propediem in provinciam profecturus esset, depravato Ladislai palatini socii sui consilio obedivit, qui consulebat, ne inconsulto rege abiret neve Mathiam a curia procul abesse pateretur, ne qua eius oblivio contemptusque ex absentia oriretur. Posthabito matris prudentissime consilio perfidie socii credidit infelix. Ut cum grata

missione a rege discederet atque sue amicorumque dignitatis patr^monum ac veluti sue fidei pignus in aula relinqueret, cum Mathia et honestissimo amicorum ordine in regiam una concessit et Idibus Martiis pericitatus est. Aliqui eo die ad regium colloquium ex industria vocatum venisse dicunt. Cum venisset, obstructis a tergo foribus captivitatis causam occurrens socer exposuit. Aderat Paulus Bani filius, Ioannes Giscra, Benedictus Thurocius et Lambergerius Alemanus.

Mox rumor effunditur Corvinos fratres cum principibus amicorum esse captos. Consternatur admodum rei novitate populus et omnes ulti commiserantur. Nicolaus Uilachus vaivoda, ut aiunt, Transylvanus alto genere natus Corvine quondam virtutis et glorie summus emulator in curiam festinavit, quem talium insidiarum haud inscium fuisse volunt. Comperit ex consulto rem successisse; omnia in Ladislai necem consilia intenduntur. Mathias a fratre seorsum custoditur. Tertio die Ladislau capitali suppicio multandus pretori traditur et inclinante iam sole prelato pullo lugubrique vexillo in plateam revinctis post tergum manibus educitur, que ante Sigismudi palatia late diffunditur; demisis crinibus, arduo capite et aurea veste, quam fortasse a rege acceperat, incedens ad necem prodit. Huc et illuc gemebundam plebem impavidus inspicit. Cum ad locum morti prestitutum processisset, lictorem crines colligere iubet; mox pauca pro sui purgatione locutus et genua flectere iussus paruit nullumque trepidationis unquam indicium pretulit. Preco, qui damnatorum facinora ex more publicat, nil aliud impetrato silentio enunciavit nisi reges tales penas e perfidis infidelibusque suis exigere oportere. Lictor a pretore gladium in cervicem formosissimi iuvenis stringere iussus commiseratione ac metu iuxta correptus ictus tris intulit et nondum caput absciderat, immo ne letali quidem vulnere Iesus erat. Constanter generosus ille iuvenis tria in cervice vulnera exceperat, sed, cum ad tertium procubuiss^t, mox vi magna erectus deorum hominumque iustitiam appellat, se non ultra a lictore petendum exclamat; quartum lictori ictum ex lege interdictum esse; miraculum pro lesu innocentie numine intercessisse. Ad hec nonnulli proceres, qui e Sigismundi palatio presidente rege spectabant et Ladislai necem anhelabant, lictorem increpitant, ense cervicem repetere iubent. Quare vix quinto ictu obtruncatur infelix annos natus quatuor de triginta. Fuit robore corporis et statura patri non dissimilis, ferocia ingenti, audaci ingenio ac exorabili, item rotunda facie, colore fusco, crines demissi et castanee colorem imitantates; preterea venustus erat aspectus ac liberalis neque expers pietatis; promptus ad officium, ad iram et vindictam non difficilis; belli potius quam otii appetens; venustatem corporis latitudo humerorum adauxit. Supplicium de ipso neque in foro neque ad gradus gemitorios neque legitima et usitata denique hora sumptum est. Rex populi ac rusticorum, quorum calendarum gratia vinearum innumera multitudo Budam confluxerat, furorem expavit haud inscius plebem eius mortem eger-

rime laturam et propter indignitatem rei in tumultum facile ruituram. Corpus, haud mora, atro panno involutum ad dive Magdalene 259 basilicam effertur et ante lucem clam evectione in edicula corporis Christi, que in suburbii clivo sita est, in parricidarum regaliumque proditorum monumenta relatum est. Id, quamvis ad confirmandam 260 necis causam factum esset, ut iure cesus esse videretur, populi tamen indignitatem nimis auxit, cum ad iniquitatem mortis infandi etiam infamia criminis accederet. Verum ne minor quidem nota 261 non sine supplicio huic regi et huiusc malis auctoribus iniusta. Rex 262 perfidie turpitudinem, infamiam periurii, violate fidei et execrabilis inconstannie crimen subivit; illi crudelitatis, invidie ac iniquitatis perpetuam sibi notam inussere. Hinc intercipiente regis vite, que 263 annum non circumegit, ansam fata sumpsere; qui autem adolescentis probitatem malis consiliis coinquinarunt, penas non immetritas dedere.

Ut igitur ad captivos redeamus, episcopus Varadiensis intercedente cardinali sancti Angeli legato pontificio Dionysio metropolite Strigoniensi cardinalique ac suo iure perpetuo Pannoniarum legato traditur iudicandus. De ceteris questio prorogata, qui postera 265 nocte post corporis Christi sollemnia fracto carcere clam ex arce delapsi evasere. Mathias dumtaxat comes et Paulus Modraz in 266 arce remanserant. Mathias in turri, que ad Calidas aquas pertinet, asservabatur; paulo ab aliis seiuncto evadere non licuit. Nunciata 267 prima luce captivorum fuga rex nimis angi et sollicitari cepit, ne minore quidem metu ceteri, qui id suaserant, vexari cepere. Sebاستianum nanque Rosgonium et Ladislaum Canisan multis opibus, affinitatibus et clientelis in Pannonia, preterea consilio, auctoritate et animi magnitudine pollere noverant; ne quid iam liberi molirentur, admodum formidabant. Quare comparatis copiis rapto secum 269 Mathia Pauloque Viennam proficiscuntur. In eodem ambo curru vehebantur. Solutum etatis commiseratio et innocentia fecerat alterum, alterum pre magnitudine divitiarum spes magne prede gravi compede sane devinxerat. At, ubi Strigonium rex venit, Ioannem 271 Varadiensem antisilitem, quem Dionysii iudicio fecerat obnoxium, ad se accitum bonis quidem verbis hominem tristem consolatur. Bono, inquit, animo, Varadine pater, esto, in carcerem, mihi crede, 272 me invito incidisti. Nunquam tanti viri gravitatem probitatemque aliqua turpitudine afficiendam esse meo iudicio censuisse. Id 273 Bude factum est, ubi, quod dira principum libido tulit, non solum connivere, sed tolerare necesse fuit. Ibi nequaquam mei iuris eram; 274 nunc Buda profectus in propriam me libertatem asserui. Alieno facinore in carcerem coniectus es. Nunc, quando sat mihi virtus 275 probitasque tua spectata fuit, non tam beneficio, quam iudicio meo liber esto, pristinam dignitatem recipito et Varadiensium episcopatum eadem, qua paulo ante, auctoritate gerito.

At, ubi Viennam pervenit, de optanda regi sponsa decerni 276 ceptum est. Prepotenti nobilissimo formosissimoque adolescenti ex toto orbe a maximis regibus puelle quotidie offerebantur. Virtus, 277

forma, genus et potestas faciebat, ut certatim gener ab omnibus expeteretur. Nulla Magdalena dignior omnium iudicio visa est Caroli regis Gallie filia, cui par etas, genus ac forma morumque prestantia inesse videbatur. Egregia legatione puella pelitur et affectata utrinque affinitas approbatur. Sed de nuptiarum loco est oborla contentio; Ungari Bude, Australes Vienne, Bohemi Prage nuptias celebrari censem oportere. Suam quisque sententiam haud invalida ratione confirmat; rex anceps et diversus aliquamdiu tractus. Quamobrem Georgium Pogiebracium Bohemie gubernatorem cum octingentis equitibus in Austriam ad Danubium usque venisse memorant magna se habere dictantem, que regi communicaret; traicere Danubium ac urbem intrare iussum continuo recusasse ac dixisse se Viennenses semper suspectos habuisse; rogatum per internuncios, arcana, que haberet, regi nunciaret, pertinacius abnuisse ac affirmasse nemini se illa preterquam regi tantum esse crediturum. Rex tandem victus in tanta pertinacia prefer dignitatem maiestatis sue cum togato fere trium milium equitum exercitu potius quam sagato Danubium ad gubernatorem traicit. Inter bina castra in ulteriore Danubii ripa tabernaculum ad singulare colloquium paratur. Dies quattuor colloquium habitum; primus dies in salutatione ac obsequii et officii celebratione actus; altero ac tertio die colloquio sunt duo testes exhibiti; quarto demum singulare colloquium celebratum est, ubi rex cum Georgio tantum fuit; de transitu regis in Bohemiam agitatum fuisse putant. Quare, cum nihil inter eos conveniret, gubernator iratus et minabundus in Moraviam recessit, rex ea nocte Viennam se recepit eumque mox penitentia non parva subiit gubernatorem, in cuius manu Bohemici regni summa foret, indignabundum dimisisse. Quosdam ex optimis repente dimittit, qui aut hominem reconciliatum traherent aut, si non possent, omnia regem postulata facturum pollicerentur. Cum in Moravia Georgium adhibuissent, nec ab itinere revocare nec quicquam ab eius sententia extorquere valuerunt. Regis igitur transilium in Bohemiam promiserunt, celebrationem quoque nuptiarum Prage futuram nunciarunt.

Compositis in Austria rebus cum singulari quodam apparatu et longissimo procerum ordine Ladislaus in Bohemiam contendit. Cum Prage ad secundum lapidem appropinquasset, Rochezana cum frequenti impiorum sacerdotum collegio et multa hereticorum turba gratulabundus obviam occurrit, de fausto felicique eius adventu accurata oratione congratulatur. Limis contra torvisque oculis profanam illam multitudinem rex inspicit, quin etiam submonente Pogiebracio vix gratias egit et quasi maiestatis sue vultum eo incepsasse spectaculo visus est. Ad primum lapidem Pragensis basilei sacerdotes Romane ecclesie assertores, qui impia hereticorum factione diu exularunt, in occursum venere crucem et sacra ferentes divinos gratulabundi rhythmos concinebant, quorum postquam congressum attigit, Veros, inquit, dei ministros agnosco. Salvete, patres sacrosancti, quorum sacris ac precibus humana sclera remittuntur.

Mox equo prosiliens osculatam crucem prereverenter adoravit. Hereticorum id animos admodum offendit, quippe qui non equum sibi futurum hunc regem auspicabantur et ii presertim, qui Rochezane favebant; odium tamen pro tempore dissimulatum et compressum est.

Varie deinde Prage legationes decreete, cum varia magni momenti negotia impenderent; imprimis nuptiarum sollemnitas et apparatus, curandus hereticorum morbus, Turcorum metus et necessaria imperatoris reconciliatio. Itaque legationes due a principio misse, una ad Cesarem placandum, cuius princeps Ezyngerius erat, altera ad Carolum Gallorum regem sponsam ductura; in hac principatum Udalricus gessit Pataviensem pontifex opibus, auctoritate, moribus et doctrina precellens. Hec omnium, que tempestate nostra spectari potuere, prestantissima est habita, cum honestissimus hic procerum nobiliumque ordo fuerit; in hac enim ex principibus Ungarorum ducenti, ex Australibus quoque ducenti ac totidem ex Bohemis delecti sunt, qui forma, habitu, nobilitate apparatuque pollerent et quisque regno dignus videretur. E Pataviensisibus centum delegit Udalricus, quare septingenti equites in Galliam purpura, auro gemmisque ornatissimi abierunt. Item virgines et matrone, que regiam sponsam ducerent, quadringente splendissimo cultu ac venustate omnes, preterea quadrigae aurate gemmateque, inaudita insuper vestium donorumque luxuria. Tertia quoque legatio ad Calistum pontificem maximum destinata, que sacerdotum lites in religione dirimeret et ad Romanum dogma redigeret Husitas. Quarta denique generosi regis sollicitudo fuit comparandi tanti in Turcos exercitus, quantus ad vindicandam a profana servitute iam Europam sat esse videretur.

Iam cum imperatore convenerat ac regie insano sumptu nuptie parabantur; Augustus cum Augusta, item sorores ambe cum viris hymenei sollemnibus affuturas se receperant. Preterea multi e Germanie Rhenique accolis principes, e Gallia quoque complures reguli, qui quidem omnes non solum ad nuptias sua presentia honestandas, sed ad decernendum in Turcos bellum convenire promiserant. In tanta rerum omnium expectatione apparatuque vario, o spes hominum fallaces et instabilem humane vite condicionem, decimo Kalendas Decembris decima secunda noctis hora sevo ac repentina morbo rex corripitur. Aliqui pestilentie signo inguen intumuisse ferunt, nonnulli huiusc morbi nullam suspicionem fuisse affirmant. Cubicularii ac medici rem ita referunt regem eo die in iudicio non regali cultum habitu, sed linea subucula et veste Persica presedisse, ut contentionem, qui inter Pogiebracium Cernahoramque Moravum intercesserat, sane dirimeret, quippe qui ea causa fuerant irritati, ut ad singulare certamen ultro sese provocarint; neque in auditorio unquam subrisisse, fuisse tristi vultu, unde futuram omnes egritudinem auspicabantur, inter satrapas dimisso tribunal accubuisse, nonnulla graviter et composite loculum; relatum in cubiculum quinta noctis hora oblatas sibi rapulas, que in

Bohemia dulcissime sunt, avide devorasse, bibisse siceram et, priusquam se lecto deponeret, nonnulla cum amicis verba relaxandi animi gratia lepide falseque fecisse; mox oratis ex more numinibus dixisse non mediocri se stomachi dolore laborare et, cum illi ad somnum hortarentur, quem ad abigendum dolorem nimium valere dicebant, ad horam dormivisse. Iam decimatertia noctis hora agebatur, cum egritudinis gravitate experrectus nullam sibi quietem poterat invenire. Verum, cum mitissimus foret, ne cubiculariis molestus esset, in lucem usque dolorem perlulit. Convocantur medici omnemque operam in desperata salute frustrantur. Georgius et ipse quoque accitus cum venisset et morbi causam percontatus bona spe regem esse iuberet, Tua iam pridem, inquit, mi Georgi, fides ac virtus spectata fuit, tuo me regem beneficio Bohemi vocant teneunte. Sperabam, quod paraveras, una me tecum diu potitum; obstant divisorum numina, in quorum manu sunt omnia iura regnorum; proinde mihi moriendum esse scito et condicionem melioris vite subeundam. Ita vixi, ut optime sperare liceat; intempestiva morte haudquaquam plus equo commoveor, quando pro terrenis mihi celestia rependentur. Cum omnino mihi moriendum sit, duo sunt, que a te peto, antequam ex hac vita decedam; que quidem, quamvis mihi beneficij maximi loco sint habenda, fas tamen et equum ac mea in te pristina charitas te facere iubet. Alterum est, ut regnum a te recusatum iuste pieque gubernes, pupillis, viuis ceterisque miserabilibus iustitiam et patrocinium promptum accommodes. Alterum est, ut, quicunque me e Pannoniis, Austria ceterisque provinciis hucusque secuti sunt, inviolatos incolumesque dimittas. Quod si feceris, pro referenda gratia me propitium servatoris nostri tibi numen apud superos redditurum esse polliceor.

Cum apprehensa semper hec manu dixisset, Pogiebracius lacrimas continere non potuit et aliquantis per eum consolatus se postulata facturum data fide promisit. Iam increbrescente morbo mors instans sacra humane emigrationis officia festinabat. Acciti sunt illico sacerdotes, qui emigraturam dudum animam sancto viatico et mystico apparatu rite communirent. Omnia ornamenta regia Pragensi basilice legantur; aureos crines, quos ad huiusc e hucusque vite vanitatem se gessisse fatebatur, omnes amputari iussit, ne quo in novo itinere offendiculo prepediretur; qui astabant, varias subiecere causas, quibus mandatum eluderent. Is autem, ut animam iam iam emigraturam intellexit, sacram crucem petiit, qua prompta manu iam apprehensa propositam nostri servatoris imaginem intuitens dominicam orationem exorditur et, cum ad novissima verba pervenisset, nil ultra locutus spiritum veluti quieturus efflavit nullumque dire mortis indicium edidit. Ladislaus igitur, quem delicias orbis appellabant, maxima quaque nobilitate precellens adolescens fausta et incomparabili pulchritudine, sapientia precoci, tot regnum et provinciarum dominus tantis opibus et honoribus prepollens in summo omnium rerum fastigio collocaitus mansuetudine et clementia singulari, castitate rara annos natus duodeviginti, ho-

rarum sex et triginta spatio, postquam egrotare ceperat, anno vero salutis quadringentesimo quinquagesimo octavo supra millesimum humanis excessit non sine perpetua cunctarum gentium commiseratione. Ad decentem corporis proceritatem creverat, facies illi fuit venustatis inaudite, oculi nigri, serenus ac felix aspectus, candens color et subrubeus in rosarum morem, coma usque adeo aurea promissa crisperaque, ut celestem ori quendam decorem adiiceret; nasus addecens et subaquilinus, lineamenta corporis et membra cuncta formosissima. Nihil in ipso fuit, quin aliquid rare prestantie redoleret; in incessu gravis, in loquendo perhumanus et benignus est habitus.

Aliqui morbo, veneno alii subreptum fuisse affirmant et Teutones presertim medici, qui precipuam corporis curam gerebant; hi evidentissima veneni signa in eo deprehendisse, postquam in Austriam rediere, pertinaciter asseverabant; in aliena terra se nihil dicere ausos, ne illorum animos lederent, quorum scelere ille perierat. Quin etiam se regi clam dixisse affirmabant veneno esse potionatum, illum contra respondisse se id non latere, immo silentium indixisse, ne una cum suo rege enecarentur. Senatus Vienensis edicto gravissimo, ne Bohemicam in se ferociam irritaret, eam famam inhibuit, medicos admonuit, ne sua dicta confirmarent. Res tamen ubique veneni suspicione non caruit, cuius quidem auctorem Georgium fuisse rumor erat, qui Viennam profectus, cum suspectum regem haberet, urbem iussus ingredi noluerat et Corvini Ladislaique filii exemplo sibi precavendum esse intelligebat. Accedebat Rochezane odium, quem publice sacra ferentem rex, ut supra dictum est, aspernatus non mediocri affecerat ignominia. Quibus quidem coniecturis uterque regie mortis crimine carere non potuit. Quin et illam ea tempestate famam, nemo est, qui ignoret late diffusam regem Prage ideo nuptias celebrandas esse decrevisse, ut, cum in illa celebritate frequentissimus illic potentissimorum principum conventus futurus esset, inita conspiratione hereticos omnis facile caperet et profanam Husitarum heresim prorsus extingueret; quod cum Pogiebracio et Rochezane nunciatum foret, audacissimum pro salute sua facinus molitos exemplo regi insidias obtendisse, ut pari dolos arte frustrarentur. Utrum potius affirmem, haud facile dicere ausim; ea in medium asserenda censui, que alii dicerent et sentirent. Illud tamen omnibus manifestum Georgium ac reliquos Bohemie proceres preter Rochezanam ingenti merore fatum regium deplorasse universamque Bohemiam publico luctu et tristitia celebrasse, quem ad septimum Kalendas Decembres continuatum fuisse memorant. Funus regali pompa elatum, neglecta per urbem circumvectio ex more maiorum; corpus demum in antiquorum sacellum delatum est et in divi Caroli quarti Romanorum imperatoris gremio collocatum.

Promulgata regis morte omnes fere Europe principes aut in commiserationem aut in tristitiam conversi sunt. Hos etatis, potentie, expectationis et fortune commiseratio subibat, illos autem,

ad quos luctus proprius attinebat, privatio boni, iusti et sancti principis summo dolore cruciabat et imprimis Australes, qui nativum dominum, quem cruento bello repetierant, per mortem immaturam amiserint, item in Frederici manus recidere cogantur, quem prius hostem habuerint. In Ungaria non pari merore certatum, iniquus enim Ladislai comitis interitus hunc e pectoribus omnium abegit, preterquam eorum, qui Corvinis infensi regias olim partes secuti fuerant. Carolum Gallie regem pre ceteris gravissimus dolor incessit Ladislai sacerum et nuptias propediem faustissimas celebrare studentem; eo, quo Parisium die ornatissima illa legatio ingressa est, antequam consideret, repentina de regis interitu tabellario admonetur. Quo nuncio consternata cum clam regi Carolo generi necem significasset, tanto principem illum dolore correptum fuisse aiunt, ut neque responsum dare neque tristissimam illam abeuntem alloqui potuerit. Ne fortasse minor in Gallia quam Bohemia luctus ex corde agitatus est. Soluta legatione ad domum quisque suam mestus rediit. Mortem tanti principis signa quoque nonnulla prodidere. Superiore anno cometes, quem nigrum appellant, Iunio mense vigesimo gradu piscium suspectus triginta circiter diebus varia mortalium animos formidine exercuit. Plures, antequam moreretur, dies ipse diversa passus est insomnia; imprimis assidua parentum colloquia, qui diu obierant, avorum quoque sermones, a quibus se ad superos invitari sepe experrectus cubiculariis fatebatur. Pridie, quam in morbum incideret, preter morem et institutum suum ad dicendum ius prodiens tristis et cogitabundus incessit; rogatus ab amicis, cur ab ingenita hilaritate deficeret, respondit se nihil scire, cur tristitia corriperetur; ea tamen etiam reluctantem carere non posse, se tandem ultiro divine voluntati pariturum. Horrendi quoque non defuere terre motus et presertim Neapoli, Capue, Caiete, Averse veterique Campania universa.

Eodem anno Aragonum rex Alphonsus omnium sui temporis principum sane prestantissimus, cum in febrem incidisset, Neapoli diem obiit, cui Ferdinandus filius in Neapolitano, Ioannes frater in Siculo Terraconensique regno plane successit. Maumethes Turcorum imperator Corinthum expugnat dissidentibusque inter se de regionis imperio Thoma Demetrioque fratribus Paleologis universam fere peninsulam stipendiariam sibi fecit et non multo post Paleologis exactis Peloponneso tota potitur, imperfecto quoque Trapezuntii rege Pontum in dicionem suam exemplo rededit. Calistum pontificem maximum senemque magnanimum octavo Idus Augustas mors nequaquam immatura substulit eique Rodoricus Boaria e sorore nepos Romape vicecancellarius, ut aiunt, ecclesie sepulcrum in divi Petri basilica pro dignitate dicavit. Calistum centies et quinquagies mille aureum gerendi belli Turcici gratia successor legasse perhibent, cui Pius sapientia, magnanimitate ac eloquentia pollens in pontificatu successit, qui Ferdinandum Aragonium Apulie regem continuo declaravit missoque Latino cardinale Ursino regio diademate legitime coronavit moxque Mantue

Christianis principibus conventum indixit, ubi de Apulo Turcicoque bello octo fere mensibus agitatum est.

Sub idem tempus Carolus rex Gallie vita decessit, quem miti 352 ingenio, alioquin hebeti atque inconsiderato fuisse perhibent, quippe qui, cum tumultum potius quam bellum adversus Henricum Britannie regem et Ioannem Burgundionum principem excitasset, crebris usque adeo cladibus ex imprudentia ab utroque affectus est, ut maximam regni partem amiserit. Ingratitudines iniuriasque viri 353 in causa fuisse nonnulli referunt et, nisi subulca divinam illi opem virgo attulisset, iam diu de tota Gallia fuisset actum. Nam, cum 354 victoris utriusque sevitia libidoque Gallos ad gravissimam inopiam et calamitatem redegisset, illorum preces et gemitus ex alto deus exaudivit. Sues haudquaquam procul a regia puella pascebat; oborta 355 non mediocri pluvia in proximum ista sacellum confugit somnoque correpta celesti mox internuncio admonetur, uti proximum sibi regem adeat nuncietque deum Gallice calamitatis commiseratione commotum, si bellum adversus hostes redintegretur, nusquam abfulturum; per brevi se Galliam, si mandatis paruerit, ex hostili servitute vindicaturum. Virgo mandata peragit diligenter admonita. 356 Eius dictis a rege data fides; instaurantur exercitus, maximi terra aquaque fiunt apparatus. Bellum rex in Rhodano molitur, classem 357 in amne parat, terrestres quoque copias cogit, quarum puella dux fuerat. Cum hostes appropinquassent, collatis prelium signis conseritur, multum utrinque cruoris effunditur. Britanni tandem et Bur- 358 gundiones magna ex parte cesi non sine feda fuga terga vertunt. 359 Classis quoque audito pugne successu cum amicis quoque copiis pari prosperitate manum conseruit. Proinde ductu auspiciisque rustice virginis universum Gallie regnum ex hostium manu liberatum est. Ad postremum virgo a Britannis bello capta ignique imposita, Paulo post cum Burgundionum duce Nicolai cardinalis opera, cui 360 e sancta cruce cognomen erat, pax a rege facta fedusque sancte percussum, sed, cum violata fide ducem per insidias captum necasset, gravissima perpetuaque inde mala promanarunt.

Sub eadem quoque tempestate Iacobus Ioannis Cypri regis e pellice filius defuncto patre regio potitur; hunc pater intellexerat imperandi cupidissimum, utpote qui egregia forma, procera statura corporis, magna eloquentia et singulari ingenio preditus regio se honore dignum reputabat. Quare uxoris Helene suasu ad divertendam hominis ambitionem sacris ille filium initiavit, ne Carlote unice filie, cui post mortem regnum legarat et Lodovico Sabaudie ducis filio coniugarat, obesse posset. Post excessum parentum Lodovicus ab uxore crebris litteris evocatus cum summo populorum plausu in regnum excipitur. Iacobus cum delecta nobilium manu ad soldanum Alexandria confugit supplexque ac lacrimans, ut eius ope et auctoritate in regnum restitueretur, imploravit. Acceptis Alexandrie regis 361 insignibus cum instructa classe in Cyprum rediit exactaque Car- 362 lota Lodovicoque et recepta a Genuensibus Famaugusta pacato regno potitus est. Marci Cornarii filiam multo post tempore a Ve- 363

neto senatu adoptatam uxorem duxit. Eam cum postumo heredem esse iussit, cum ventris profluvio diem obiret. Ex testamento utrumque Veneto senatui commendavit. Postumo parvulo sublatu regnum ³⁶⁸ hereditario iure in Venetorum potestatem recidit. De rebus externis hactenus; ad institutam nunc narrationem redeamus.

Georgius eodem, quo Ladislai regis exequie peracte sunt, die ³⁶⁹ optimates omnis convocari iubet, quibus coactis gubernationem suam ad Pentecosten usque a rege olim prorogatam fuisse nunciavit; interea de creando rege cogitari oportere; se interregni tempore rem publicam ex instituto suo gubernaturum et daturum operam, ne quid illa detimenti patiatur. Prepotenti et pretorianis cohortibus stipato nemo in senatu neque foris adversari ausus est nec obiicere ex morte mandantis potestatem dudum esse finitam. Haud mora, Pragenses huius imperio paruere. Mathias Corvinus, ³⁷² qua rex diem obiit, Pragam advectus in Georgii potestatem devenit. Id eius opera factum plerique credidere, ut opulentissimum sine ³⁷³ ingenti mercede non redderet. Nec spes quidem, ut infra referetur, hominem fetellit. Hucusque adolescens Vienne adhibitis in regia ³⁷⁴ custodibus asservatus fuerat. Ceteri, qui Ladislaum in Bohemiam secuti fuerant, tuto domum dimissi. Mox a Georgio regalia sunt ³⁷⁵ indicta comitia, quo multi competitores descendere; imprimis Caroli regis oratores, qui aut alteri ex filiis eius inite gratia affinitatis aut alicui principi, cui filiam tradere nuptui non dedecret, regnum dari postulabant. Casimirus rex Polonie, qui Ladislai regis sororem ³⁷⁶ olim duxerat, uxori sue regnum Bohemie deberi affirmare; pari quoque iure Guilielmus Saxonie dux nisi, cui altera Ladislai soror natu maior nupserat. Fredericum etiam imperatorem par ambitio ³⁷⁷ exercere, qui huiusce regni institutionem ad se pertinere dicebat, quia neglecta, ut aiunt, feudi sollemnia fuissent. Sigismundus item ³⁷⁸ et Albertus duces Austrie per legatos proceres ambire et veteris iure federis ac pacti Bohemiam ad se pertinere asseverare, quando rege Bohemie vita sine virili sobole defuncto ex compacto ad Austrie duces recurrere oporteret. Rochezana denique vulgo clamitare non peregrinum, sed indigenam regem eligendum; si nemo tanto munere dignus inveniatur, Hebreorum ad iudices aut Romanorum more ad decemviratum esse redeundum. Postquam regalia ³⁸⁰ comitia advenere, Georgius Pogiebracius domi forisque preclarus iam etate gravis et consilii multi compos rex Bohemie declaratur, quod patrati paulo ante beneficii crimen confirmavit. Rex creatus ³⁸¹ e curia in edem dive Marie genitrici, ubi Rochezana pontificatum gerebat, sollempni pompa et subsequente senatu deductus rem divinam fecit et deo gratias egit. Rex passim a populo salutatus et ³⁸² non sine summo applausu ab omnibus exceptus; festa, ludi, saltationes et convivia dies aliquot celebrata; epulum populo datum. Cum ad disponendam rem publicam animum advertisset, ad declinandum nonnullorum procerum invidiam, qui opibus et nobilitate prestabant, et ad pacandum regnum optimatibus multum indulxit. In omnes beneficus et popularis hereticis favit, quorum factione se ³⁸⁴

ad regnum pervenisse fatebatur. Mira in gubernando arte usus est. Quanquam potentiorum postulata nunquam irrita dimittere niteretur, 385 ostentata tamen potentia ab omni seditione deterrebat. Quin et sepe 386 illorum postulationibus occurrebat, ut promerendo magnos sibi animos conciliaret et obstringeret. Populi gratiam diligenter coluit, 387 ut se tali favore munitum proceres formidarent. Accesserat filiorum multitudo, magne clientele, affinitates et amicitie, quibus adversus potentiorum audaciam se bene obfirmarat. Frederici imperatoris 388 amicitiam et patrocinium pro virili parte observavit. Cum Casimiro Polonorum rege, qui id regnum ad se pertinere dicebat, non sine magna ingenii dexteritate se gessit. Mathiam Corvinum Ladislai 389 regis coetaneum, quem captivum habebat nec gratuito restituere volebat, bene tractavit, carcere nunquam indecoro coercuit, convivam in mensa semper habuit, quoad in eius manu fuit, nimium adolescentis indolem, ingenium, dicta et mores admiratus. Quin 390 etiam quotidie eum consolari, iubere bono esse animo nihilque a se hostile vereri; dicere se Joannis Corvini nomen semper obser-
vasse, summa cum eo quandam benivolentia fuisse coniunctum, tanti viri gratiam, beneficiorum immortalium memoriam adhuc usque adeo valitaram, ut maxima queque adolescenti adhuc sperare liceat. Avaritia tamen erat, que ipsum a reddendo Mathia remorabatur. 391 Non enim latebat hominem, quantum mercedis hinc exactius es-
set, quando tam affectate non solum a matre, verum etiam ab Un-
garis adolescentem repetitum iri sentiebat. Ad tantam igitur orbi-
tatem Pannonie Bohemieque regna redacta fuere, ut e nobilissimo 392 altissimoque genere ad mediocris fortune manus ambo pervenerint. Hoc ad Pogiebracium, quem nulla maiorum stemmata decorabant, 393 ad Corvinum illud recidet, cuius olim genus ab urbe Roma ori-
undum nimia vetustate iam exoleverat et in Valachia a barbaris obrutum ad obscuritatem sane pervenerat. Hunc fortune ludum pleri-
que reputarint, qui divine sapientie mortalium curam et precipue 394 regnorum subtraxere, que, quamvis legibus et armis comparantur, divino tamen arbitrio tribuuntur. Quis enim, nisi viderit, credere potuisset Corvinam domum ad unius tandem adolescentis eiusdemque captivi spem redactam mox ita divino iussu resurrexisse, ut ad Pannonie Bohemie regnum deus evexerit, quod nunquam progenitoribus obtigerit? Sed hec in sequentem librum transferamus.

LIBER IX.

Postquam in Ungaria nunciatum est Ladislauum repentina morte 1 fuisse subreptum et Mathiam Corvinum ad interregis Georgii manum pervenisse, haudquaquam tamen esse liberum, diversis Pan-
nones affectibus fluctuarunt. Tristitia non mediocris eos incessit, 2 qui in Ladislai Corvini mortem conspirarant, contra vero ceteri le-
tabantur, qui excessum e cervicibus Alemanorum iugum inter se mutuo gratulabantur. Plures enim pro uno reges subiverant, qui- 3 bus obnoxii pro illorum libidine multa olim inique fuere persessi.

Et imprimis pre ingenti letitia Corvinorum amici admodum gesti-⁴
ebant rati iam interregni gratia iniquissimam Ladislai cedem ul-
ciscendi occasionem accidisse. Et profecto fecissent, nisi regalia,⁵
que instabant, comitia a Ladislao Gara comite palatino nuper in-
dicta prohibuisserent, ubi Mathiam regem declarare studebant. Vere-⁶
bantur enim, ne, si quid novi molirentur, iniūm pro Mathia con-
silium inturbarent; quare modestius agendum esse censuere.
Michael Zilagius eius avunculus omnium consiliorum favorumque⁷
moderator erat, vir profecto magnanimus, militaris discipline pe-
ritissimus et auctoritatis prudentieque non parve compos. Cum pro-⁸
cerum quorundam invidiam intueretur, qui quondam in Corvinam
domum conspirarant, vi potius quam sententiis creandum regem
esse censebat. Adversarios, quamvis populorum su'fragia nepoti⁹
haudquaquam defutura esse reputabat, armis tamen absterrendos,
si quid per secessionem auderent, esse cogitavit ratus id ex usu
admodum futurum. Quamobrem e Transylvanis ac inferioribus¹⁰
Ungarie partibus, item e Bohemis, Polonis, Alemanis dato st pen-
dio magnum sibi exercitum ad numerum circiter viginti milium
comparavit. Non deerant pecunie bellorum nervi, que ab Elisabetha¹¹
sorore prudentissima quotidie suppettebantur. Hec enim, cum mul-¹²
tum auri et argenti a viro accepisset, Ladislai morte nequ quam
consternata, ut alterum, qui supererat, filium aut ab inimicorum
insidiis liberaret aut ad regni fastigium extolleret, insanas tunc pe-
cunias erogavit. Non latebat advenisse tempus, quo pro unci filii¹³
salute ac dignitate impendere omnia oporteret. Quanquam hec Mi-¹⁴
chaele duce in Ungaria curaret, oblivioni tamen filii liberationem
minime dederat, qui Prage sub Georgii dictione regis detinebatur.

Cum vivente Mathia Vienne in artis magice disputationem in-¹⁵
cidissemus, Mathiam memini dixisse in captivitate sua matrem de-
se ita fuisse sollicitam, ut cursorem invenerit, qui sex horarum
spatio ex Ungaria Pragam ad filium proficiseretur, totidem redi-
ret litterasque et responsa referret. Cacodemonon itaque ministerio
per aera vectum fuisse credebant. Ioannem igitur Vitesium Vara-¹⁶
diensem tunc episcopum in Bohemiam ea lege miserat paternorum
sane amicorum principem una Bude cum Ladislao captum ac spec-
tate fidei et prudentie virum, ut nunquam Praga recederet, donec,
quovis modo posset, filii liberationem transegisset. Cum ad regem¹⁷
ille Bohemie pervenisset, nihil sane aliud in captivitis causa quam
avaritiam comperit. Quam quidem ubi auro facile curari posse in-¹⁸
tellexisset, pacta pro eo mercede ad matrem rediit. Sexagesies mille
aureum plerique, nonnulli quadragies redemptionis pretium fuisse
dicunt. Reversus in Ungariam, antequam regalia comitia haberentur,¹⁹
universam Michaeli ac Elisabetae condicionem exposuit, quam
cum illi ultro accepissent, mox una cum his ad creandum regem
disponendaque suffragia vir consultissimus et gravissimus ille ani-
mum intendit.

Cum ad campum ergo Racon in Pesti suburbanis comitia ex²⁰
more haberentur, imprimis Michael cum multis copiis ac eximo

procerum nobiliumque ordine in regalia comitia descendit. Huc 21 enim omnes Ungarorum pontifices, optimates, nobiles ac universi magistratuum ordines civitatumque legati ad creandum novum regem ex veteri instituto armati coeunt. Hi Michaelem proceres 22 sequebantur, imprimis Thomas Zechel prepositus Aurane, Sebastianus Rosgonius, Ladislaus Canisa, Pancratius Zenthmiclus ceteraque Transylvanie ac inferioris ore nobilitas atque ii denique omnes, de quibus Ioannes Corvinus olim domi forisque fuerat bene meritus. Hec enim gratissima multitudo post amici mortem parem 23 quoque rependere gratiam nitebatur. Accedebat et illud, quod Corvinam cum sua dignitatem una coniunctam esse sentiebat. Contra 24 vero adverse factionis proceres Budam convenerant, cuius principes hos fuisse memorant: Ladislaum Garam comitem palatinum, Nicolaum Uilachum vaivodam summa nobilitate pollentem et Corvini nominis emulatorem, Paulum Lindvanum Bani filium regalium ianitorum magistrum ceterorumque nobilium ordinem non paucum, presertim eorum, qui in Corvinam domum coniurarant. Hi 25 omnes in Budensem arcem plane convenerant et Michaelis viribus, consilio et virtute admodum deterrebantur, afficiebantur quoque conscientie stimulis, quod necis Ladislai comitis non modo conscientii, sed auctores habebantur. Augebat etiam metum improvisa Da- 26 nubii congelatio, qua se ab inimicorum periculo parum tutos esse posse cernebant. Nam quarto Idus Februarias post, ubi Michael 27 Pestum intraverat, in sequenti nocte preter omnium opinionem sevitia frigoris Danubius plane constituit et glaciali se pavimento cunctis tuto calcandum dedit. Adversarios prospectabant numero, armis, 28 equis et animo longe superiores, ut exitus ostendit. Quin etiam Corvine factionis multitudo ingens superato Danubio Budam venit, ut vi coactos, qui Bude erant, in comitia deducerent. Metum hunc 29 Michael interceptit, nam edicto suo comitorum libertatem promulgavit, crebris, qui Bude erant, internunciis omnes data fide in comitia traxit. In medio deinde campo, quando complures in comitiis 30 dies acti sunt, furcas Ianiariamque mensam proposuit gravi edicto; quicunque Mathie suffragia reddere recusarent, presentaneam mortem interminatus est. Quo quidem tetro spectaculo non parum 31 adversarii consternati, extinctam suffragiorum libertatem quamvis egre ferrent, queri tamen haudquam audebant, ne ea mox audire ac pati cogerentur, que multo graviora forent. Cum rogati es- 32 sent proceres in campo dicere sententiam, Michael, qui conventum instructa universum acie circumvenerat, in medium prodiit atque ita exorsus,

Miserabile, inquit, regis fatum nos huc, proceres, adegit, ut 33 de novo principe decerneremus, quo nullo modo carere possumus. Sicut nihil est, quod graviorem deliberationem postulet, ita, ne omnia misceantur eantque perditum, nil celeriorem consultationem ex- 34 poscit. In mora multa dissidia praveque sententie oboriuntur, que 35 a publica utilitate animum divertunt. Si bonum regem sortimur, nil melius, si malum, nil peius reipublice accidere potest. Post- 36

quam illa sanctorum regum fausta propago in Maria defecit et alienos reges mendicare coacti sumus, que mala pertulimus, omnes iam diu novistis. Nunc ad eam orbitatem redacti sumus, ut, quo ³⁷ confugere liceat, neminem habeamus. Quin etiam, si peregrini reges disquirendi essent, nemo succurrit, cui regnum tuto committere possumus. Eadem difficultate Bohemi paulo ante laborarunt et, ne ³⁸ externis publicam salutem crederent, ad indigenas recurrerunt rati suos multo diligentius fideliusque rempublicam quam alienigenas esse gesturos. Georgium Pogiebracium, cuius in longa gubernatione iustitiam, virtutem, prudentiam et integritatem sat exploratam habuerant, repulsis competitoribus externis suum regem declararunt neque declarasse penitet pigetve, cum Bohemia, que sub Sigismundo, Alberto et Ladislao tam diu ac misere fluctuaverat, nunc eius probitate sapientiaque quiescit. Nos autem, que nobis ⁴⁰ ex usu sint, alieno periculo discere, proceres, scitum est quidem et laudabile. Si gubernatoris nostri filium potissimum eligendum ⁴¹ censuerimus, nihil fortasse reipublice salubrius decernere videbimur. Cum externis competitoribus repulsam omnino dandam esse iudicem, si de Ungaris optio est habenda, Mathiam ego Corvinum eligendum esse censeo, ut, veluti patre tot annos gubernante ab intestinis externisque malis omnibus liberati sumus, ita imperante filiis in posterum liberemur. Quam fauste ac generose sit indolis, ⁴³ quam divino ingenio et quanta animi magnitudine ac laudis ardore nunc estuet, sat cuique vestrum constare puto. Non a patre, mihi ⁴⁴ credite, degenerabit, cum paterno nomine ac laude certabit; in castris natus est, altus in sago, in veteranorum contuberniis educatus a teneris hic didicit unguiculis Turcorum tumultus et aciem non expavescere, pugnare sub vinea et centurionis precepta servare, ab equo ac pedibus iuxta dimicare, ad palum quotidie exerceri, transnare sepe Danubium et per frigus et estum sub galea diem ac noctem agere, laboris et inedie fieri patientissimum, nil magis quam hostilem aspectum anhelare, singulari certamine admodum delectari, in castris cum sociis simulacrum quotidie belli agere, nil ignavia et desidia magis abominari, contra nil bello plus appetere. Accedit ingenita mansuetudo, pietas et morum elegantia cum summa honestate coniuncta, religio insuper ingens et intempestiva sapientia. Nisi per hunc veluti per patrem in communem salutem asseramus, nil profecto aliud succurrit, quo spes nostras certius intendamus. Nisi ad sanctas Corvini reliquias confugiamus, nos cetera consilia defecere. Neque oblivioni tradendum est, quid immortalia ⁴⁷ divi patris beneficia nunc exposcant, qui, dum vixit, preter gloriam virtute sua partam nihil pro servato regno, pro defensata semper Christiana republica, pro cesis, fusis fugatisque totiens olim Turcicis premii vivus accepit, livor edax omnia denegavit, quin etiam, nisi sat ipse sibi iam cavisset, extremis hunc invidia suppliciis affecisset. Quidnam a nobis peteret, si loqui posset? nimirum clarius ⁴⁸ propugnator ille vester nil aliud pro tot immortalibus invos meritis postularet, nisi ut infandam turpititudinem, quam ex in-

iquissima filii cede intulistis, quando nil prohibuistis, honestissima Mathie electione deleatis. Hoc vestrum officium, hoc paterna me- 49
 rita, hoc regni orbitas et res demum ipsa postulat ; hoc ille non tam, ut sue domus gloriam augeret, cui sat vivens nominis acqui-
 sivit, quam ut reipublice commodo salutisque consuleret, petere
 videretur. Verum, si quid privati commodi ratio vel invidia ingratia- 50
 tudine hominum virtuti abnegat, rependit id cumulatissime deus,
 qui neque bona neque mala facinora pro irritis vult haberi ; is est, 51
 qui regna curat humana et sua voluntate imperium piis infun-
 dit mentibus. Omnis a deo potestas destinatur ; voluntati sue 52
 quandoque obversari, haudquaquam tamen resistere possumus. Ma-
 thiam pater multo vehementius altero coluit et amavit ; spem omi-
 nem in eo collocavit presagiens maximum quid in eo futurum ; 53
 augebat opinionem Capistranus pater ille sanctissimus, quippe qui
 introductis a patre filiis ad officium Mathiam semper ad dextram,
 ad sinistram contra Ladislauum natu longe maiorem sibi collo-
 cabat. Rogatus a patre, cur prepostero etatis ordine in filiis utere- 54
 tur, aperte respondit prope divinitus admonitus id non ab re fieri,
 quando minor alter Alexander et acerrimus fidei propugnator et
 rex futurus esset, maiori mors immatura laudis iter interciperet.
 Aiunt insuper, cum a Ladislao rege Viennam ceso fratre duceretur, 55
 illudentibus Alemanis, quod rex hic Ungarie esse vellet, Mathiam
 intrepidum respondisse : Ac vester etiam, si vixero. Dimitto maga-
 rum carmina, que certum huic in Mysia cum patre militanti re- 56
 gnum portendebant. Nos fatorum seriem invertere non possumus ;
 mihi autem illud, proceres, certum est, ne voluntati divine, publice
 utilitati ac numini equitatis adversari et adolescentem, quem regno 57
 dignum paterna in nos beneficia iam fecere, legitimo honore de-
 fraudare videar Mathiam regem declarandum esse censere, quod
 si refragantium iniquitate assequi non licebit, ab isto regnum gla-
 dio accipiemus. Obiicerent aliqui etatem adhuc regno immaturam 58
 vindicenteque fraterne suspicionem. Quid est, quod prius, quam ob-
 iiciatur, non continuo confutetur. Dimitto precocem sapientiam et 59
 eius ingenii divinitatem. Non desunt tot patrum procerumque con-
 silia, que quotidie ille secretur. Vester is alumnus erit et in gy-
 mnasio sapientie vestre perquam docilis exercitabitur animus. Nihil 60
 vobis aget inconsultis ; regem habebitis, quem sanctissimis aribus
 et disciplinis pro arbitratu vestro excolere poteritis. Maiorum natu- 61
 ac omnium optimalum semper fuit maximus observator ; quare ni-
 hil est, cur vos etas ista deterreat. Ad ulciscendum nunquam 62
 animum intendet, novitis omnes animi magnitudinem ; que-
 admodum in aliis rebus, ita in hac potissimum patris inge-
 nium imitatur, cui mos erat dissimulare potius iniurias quam ul-
 cisci, inimicum officio conciliare et nihil viro dignius existimare
 quam vincere se ipsum, furorem facile coercere ac dicere nullam 63
 maiorem vindictam iure censeret, quam, cum possis, iniurias omnis
 ex ingenita probitate remittere. Quin etiam, si pedibus in hanc sen-
 tentiam veneritis, vobis ipse polliceor, ita gravissimo id iuramento

sanciendum esse curabo nullas ipsum unquam iniurias recognitum, parsurum omnibus et illis potius indulturum, a quibus se lesum esse senserit, ut eorum potius quam paternorum amicorum beneficio regiam dignitatem adeptus esse videatur. Proinde nullus ⁶⁴ animum ista suspicio a recto iudicio declinare debet. Quin etiam, ne pro imperio libidinis Alemanice missella Ungaria redderetur dipereturque, illud quoque considerare debetis, quot pericula, quot iniurias, quot crimina, quot insidias domus ista pertulerit. Ioannes ⁶⁵ olim a comite Celle semper insimulatus ac eius vexatus est insidiis, Ladislaus iniqua morte multatus, Mathias in exilium ductus et nunc sevo carcere maceratur. Adolescens patre simul et fratre ⁶⁶ orbatus, immo, ni ad regnum divina ope servatus esset, ad parem cum fratre cedem, quamvis parum absfuerit, iam raptus esset. Corvina gens, que tot annos a Turcorum et finitimarum nos bello liberavit, cuncta, que reipublice mala imminebant, ipsa subivit et, quando ad salutem Ungarie nata fuit, nunc etiam pro publica se incolmitate devovit. Quamobrem, pontifices ac optimates omnisque ⁶⁸ magistratum ordines et legati, vos cum universa nobilitate nunc oro et obtestor, ut immortalium Ioannis Corvini beneficiorum memores filium sine ulla secessione Pannonie regem esse iubeatis, a numinibus divum, oraculis et auspiciis haudquaquam dissentendum esse censeatis. Illum optate, qui sanctissimis patrum conscriptorum consiliis parere non recuset nullisque malis opinionibus et concupiscentiis pectori altius inherentibus depravatum animum habeat. Illum salutate regem, quem glorie cupidum ad publicam ⁷⁰ salutem ac regni utilitatem educare possitis. Suspicionem quanque ⁷¹ gravissimam et privati, queso, commodi rationem deponite, ut sine ulla contentione seditioneque salutarem vobis principem eligatis. Quod ut faciatis, per deum hominumque fidem, per patrie charitatem ⁷² vos omnes iterum iterumque oro et exoro.

Cum hec Michael verba fecisset, multorum animi sedati sunt. ⁷³ Pars magna procerum Michaelem ipsum optandum regem esse predicabant, quod ille nepotis gratia obnixe recusavit; et plerique sententiam partim metu, partim illius oratione victi, cum ab instru-⁷⁴ tis circum legionibus obducti forent, exemplo mutarunt. Nicolaus Uilacchus, qui nobilitate generis et animi magnitudine non parva-⁷⁵ que gestorum gloria se regno dignum arbitrabatur, invitus spe sua excidere videbatur. Ladislaus Gara palatinus et prestantia san-⁷⁵ guinis et supreme potestatis auctoritate, pari quoque ambitione la-⁷⁶ borans haud facile cedebat. Imperator item Fredericus, in cuius manu adhuc corona sacra servabatur, in spem etiam adductus clan-⁷⁷ destinos non sine nomenclatore fautores habebat. Sed inter armatas acies, cum nemo reluctari iam auderet ac passim assentiri, quamvis pars maxima Michaelis sententiam approbasset, palatinus tamen in diem posterum differendam rem esse censuit, ut de futuro rege communique salute res haud citra procerum concordiam transig-⁷⁸ retur. Quin etiam ipse Nicolaus et Paulus ad declinandum furem armatorum, qui cervicibus imminebant, et ad protegendarum invidiam

Michaelem recte compositeque locutum esse, verum secretiora
hec colloquia postulare dixerunt. Res in posterum prorogata seces-
sionem et discordiam repulit; hoc temporis intervallo extincta se-
ditio. Pontifices rem utrinque tracientes ad concordiam redegerunt,
palatinus et Nicolaus ceterique factionis eiusdem vi ac metu adacti,
dummodo his nunquam Ladislai cedes obiiceretur et veterum in-
iuriarum ac ultiōis oblivio in perpetuum aboleretur sacrosanctoque
iuramento sanciretur, Michaelis sententiam se approbaturos esse
promiserunt. Id libenter, ut spoponderat, a Michaele factum fedus-
que percussum.

In sequenti deinde die in secreto conventu unico omnes as-
sensu Mathiam regem declararunt, quem aliquot ante dies vulgus pu-
erique Pestani per compita, vicos et fora passim exclamarunt. Quod 81
cum inimici exaudissent, a populari et divina voce nequaquam dis-
sentendum esse iudicarunt. Infantium plebisque clamores ab ad-
versariis nunquam reprimi potuere, quin etiam illud pro summo
miraculo habitum. Nonandum in conclavibus ab optimatibus et lega-
tis rex ille declaratus erat, cum in Pestana basilica sacerdotum
collegium haud secus atque divinitus admonitum Iesu optimo ma-
ximo, dive genitrici ceterisque diis patriis cum summo plausu in-
tentissimoque concentu leti gratias agebant. Postquam autem pu-
blice declaratus est, universa in gaudium et festivitatem conversa est
Ungaria. Omnis etas per pagos et oppida varia publice hilaritatis 86
simulacula edere, que priscis nunquam regibus exhibita fuerunt.
Tubis, tympanis ac fistulis, preterea saltatione cantuque passim 87
exultare, faustas acclamations per multos dies ingeminare: Mathie 88
Corvino regi feliciter, patris patrie filio feliciter; liberatoris nostri
gnato feliciter; Corvinis reliquis feliciter; Mathie spei nostre fe-
liciter; Pannonie principibus hunc declarantibus quoque feliciter;
Ungarie demum universe feliciter. Hic a sevo nos externarum libe-
rabit imperio; hic paterno more de Turcis triumphabit; hic nos a
Bohemorum latrociniis et populationibus liberabit; hic Polonus
abiget et Alemanorum superbiam attenuabit. Supplications pro novo
rege indicte et sacra passim celebrata.

Preterea in eodem quoque conventu, cum Mathias annos sep-
temdecim natus esset et nondum tanti regni compos existimaretur,
pontifices cum optimatibus decrevere, ut adolescenti gubernator ad-
iiceretur, ne quid ex inscitia ac parva rerum experientia detrimenti
respublica pateretur. Quare, antequam conventus ille solveretur, ex 91
decreto patrum Michael gubernator pronunciatur et in quinquen-
nium potestas summa traditur, unde non mediocris est inter avun-
culum et nepotem suborta simultas et discordia, quam principes
quoque adverse factionis, qui illi nimis invidebant, adauxere. Itaque 92
Michaeli gubernatio data et adducendi regis negotium delegatum.
Hic mox Georgio regi prius litteris, deinde legatis Mathiam Ungarie
regem declaratum esse nunciat rogatque, ut ad regni fines adducat,
pactum redemptionis pretium non defuturum esse significans. Post,
ubi Bohemie regi inter cenandum litteris publicis ea nunciata sunt,

que rumor prius effuderat, accubantem sub se in imo loco Mathiam continuo superius ascendere sibique presidere iussit. Ast ille rei insolentiam admiratus, qui ante sibi gravissimam fraterne necis et inique captivitatis tristitiam indixerat, quasi in repentinam spem tractus iam stabat attonitus et, ne ludibrii gratia novitas illa fieret, extimescebat percontatus, cur id ita prepostore fieret. Cenare interim iussus est exacta cena faustum ac felix nuncium exauditurus. Subtinctus adolescens et spe completus cenare non potuit. Post cenam rex, Quid mihi, inquit, Mathia, exolveris, si summagm inauditamque tibi letitiam nunciaro? nonne cumulatissima pro tanto premia mihi referes gaudio et, quod a te postulavero, ultiro concedes? At ille, Nil mihi, rex, libertate esse potest letius, quam si concesseris, perpetuam, si potero, gratiam, etiam, quancunque petieris, me recipio relaturum. Qui in aliena manu sunt, quando cogi possunt, iuberi, non exorari debent. Tunc iste, Salve, inquit, Mathia rex Ungarie, salve, Pannonie princeps divino potius quam humano suffragio declarate. Te Ungari regem propter immortalia divi patris tui beneficia, propter generosam tuam indolem et spem ingentem, quam ex te nuperrime conceperunt, ultiro regem ad campum Racon et Pestanam urbem declararunt, ut, veluti a Corvino quondam recte ac sancte gubernati liberalique fuere, ita nunc a Corvinis etiam reliquiis in posterum liberentur. Te sub divina tutela fuisse non ambigo; te deus ad tanti regni fastigium idcirco reservavit, ut non modo paterna vestigia imitari, sed data tibi maiore potestate illius gloriam superare posses. In mensa te idcirco mihi preposui, ut te regem longe potentiores factum esse intelligeres. In pari hoc anno fortune dexteritate versamur; vix menses tris intercessere post La-dislai regis obitum, utrumque nostrum ad dignitatem regiam divina clementia, ulti vides, evexit, utranque domum tanti decoris expertem usque adeo illustravit, ut immortales deo gratias debeamus, atque, si viri esse voluerimus, perpetue comparande glorie occasione non caremus. Proinde, age, queso, perpetuum inter nos fedus, Mathia, percutiamus percussumque sacrosancti coniugii vinculo ac pignore sanciamus, mutuis nostra regna consiliis et auxiliis tueamur. Quippe turbulenta sunt studia hominum varia voluntatesque admodum inconstantes; ambitione, invidia novitateque nobilitas et plebs iuxta laborat. Quare gnatum Corvini toro non indignam nunc data fide te uxorem ducturum esse recipito, cum dulcissima coniuge imperato, ad extremum, Mathia fili, liber esto et, quando regnum adeptus es prepotens et opulentissimum, tuum socerum tue salutis et libertatis auctorem, quo faustissimi coniugii graves sumpitus facilius subire possit, sexages mille aureum a tuis me patienter accipere tolerato. Postulatis Mathias annuit et maiora quoque concessisset, dummodo se in libertatem assereret; quin et gratias egit, cuncta, que petierat, inviolata se fide prestitum esse recepit.

Dum hec ita in Bohemia geruntur, Michael soluto conventu, quamvis proceres cum pontificibus Bude remansissent, ut affuturum regem expectarent, corporis Christi ediculam adivit, ne La-

dislai nepotis corpus inter parricidas iacere pateretur neve insigni nota generosi nomen iuvenis inureretur; non sine multis lacrimis ex infami tumulo eruit Albamque in Transylvaniam transtulit; persolvit ibi funebria iusta et prope parentis monumentum collocavit. Post hec, cum adducendus sibi Mathias esset, mira celeritate rem 108 peregit. Nam eadem hieme, antequam inita glacies solveretur, regem introducere studuit. Primum cum exercitu et magna optimatum turba 109 Strigonium venit; eum Ioannes Varadiensis, Thomas Zechel, Sebastianus Rosgonius et Ladislaus Canisa cum Pancratio sequebantur; item Petrus Ciocoli Ioannis Canadiensis nunc episcopi 110 pater, vir impiger ac strenuus, qui exercitui a Michaele prefectus erat. Nam, cum assiduo Turcorum bello claruisset longaque armo- 111 rum experientia prepolleret, perpetuum regis avunculus hunc sibi prefectum asciverat, quem nunquam antea infeliciter pugnasse no- verat. Ad Strigonium omnes sicco pede Danubium traiecerunt, mox 112 continuatis itineribus in Moravie fines contenderunt. Dum iter fa- 113 ciebant, per internuncios quotidie Georgium regem, ut, quam oc- cissime posset, Mathiam ad regni fines adduceret, admonebant significantes postulatam affore pecuniam ex eiusque sententia se cuncta facturos. Nec minore quoque ille celeritate properabat, ut 114 promissa prestaret, regem Pannonibus redderet, ingens hiuc deni- que auri pondus acciperet. Quare magnum quoque exercitum ipse 115 comparat, ut pro dignitate regem ac generum in Ungariam resti- tuere videatur. Cum ad prestitutam utrique diem ad Stratniczam 116 urbem ex composita convenissent nonaginta milibus passuum a Strigonio remotam, in ripis Morave amnis, qui Moraviam ab Un- 117 garia dividit, inclinante sole castra posuere. Postero die instructa utrinque acie, Mathias cum productus in medium in opposita ripa apparuisset, ingeniculata continuo legiones regem Ungarie consalutarunt adoraruntque. Plausus cum lacrimis ex immodica letitia 118 exuberantibus tam ingens per horam editus et tantus tubarum clangor, tympanorum tinnitus et aenearum machinarum crepitus pas- sim effusus est, ut celum collidere videretur. His quoque militaris 119 clamor adiectus et fauste cohortium acclamations, congratulationes gestientium insolentes exaudite. Certatim letitia cum plausu ali- 120 quamdiu edita, que, ubi paululum expleta est, proceres sese propius adnovere; id ipsum fecere Bohemi, ut mutuum facilius colloquium exaudirent. Tunc Ioannes Vitesius Varadiensis antistes vel- 121 uti pater patratus hec in ripa fluminis verba fecit:

Salve, Mathia rex Pannonie, quem publicis votis, quod nemini 122 unquam contigit, omnibusque suffragiis senatus populusque Un- 123 garicus principem et regem suum esse iussit; salve, spes unica Pannonice gentis; salvete, Corvini generis sacrosancte reliquie; fau- 124 stum et felix tibi universeque Pannonie sit hoc regni tui auspicium et Christiane fidei admodum salutare. Te tua properare iubet Un- 125 garia capere regni habenas, iuste regere tuique imperii fines late tueri. Quantum tibi timuerit, quam affectate repetierit, ex his com- itiis nunc intellige, quibus maluit te adolescentem optare regem,

quam consummatos consilio, experientia et elate viros iam sortiri. Te ad regnandum natum esse intelligit et, quod sub clarissimo ¹²⁶ patre tuo experta est, id omne in te requirit speratque futurum. Corvino ductu et auspiciis gubernata imminentia cuncta pericula superavit, diu floruit et multa bella prosperrime gessit. Maximis ¹²⁷ re-pulsam principibus ipsa dedit, ut Corvinis quoque auspiciis regeretur. Te non modo alterum patrem, verum etiam in maiori potestate situm paternum omne nomen superaturum esse sperat. Sibi certum ¹²⁸ erat te non modo redimere, ubique fores, sed etiam, si id negatum esset, vi obstinate repetere, ubique alieno facinore occubuisse, mortem armis ulcisci statuerat. Verum tot periculis cle-¹²⁹mentissimi regis Bohemie prudens animus occurrit, qui mira calliditate ex Alemanorum te manibus eripuit, ut te Ungaris conservaret. Quamvis hoc fuerit humanitatis et societatis officium, Ungaria ta-¹³⁰men perpetui loco beneficii id haberi iubet. Immortales nunc gra-tias agit et data referendi copia cumulate rependet. Ne igitur de ingratis benemerita esse videatur, id auri pondus dono dat et, cum res tulerit, maiora datura est, perpetuam Bohemis amicitiam defert et immortale Pogiebraciorum beneficium nunquam apud se inter-iturum esse pollicetur. Quodcumque Mathie, proceres, cum vestro ¹³¹ rege convenit, id universa Ungaria ratum ac firmum esset iubet. Quin etiam, quod regem nostrum incolumem prestitistis et cum tam magnifico apparatu ac nobilissimo equitatu honestatum adduxistis, ne parum quidem huic beneficentie vestre nos debere profitemur. Proinde Mathiam reddite et initum a Mathia cum inclito rege ve-¹³²stro fedus utrique perpetuo conservemus.

Vix ista dixerat, cum non sine pecuniarum essendo fluvium mox ¹³³ traiecit Victorinu nque regis Bohemie filium in secretum accivit pac-tamque mercedem rite persolvit. Dum solutio ipsa transigitur, Ma-thias ab adversa ripa immortales patrie genti gratias agit, quod regno indignum et adhuc impotem supremo et divino quoddam munere honestarit. Sat patrie se debitum arbitrabatur, si publico dumtaxat nomine repeteretur. Ad hec polliceri, se nunquam vite sue parsurum nec labores assiduos et gravissima queque pericula recu-saturum, ne temere a patria tanta dignitate decoratus esse videatur; ictum cum rege Bohemie fedus recte sancteque omnino servaturum. Ungaros demum et Bohemos de se bene sperare iubet ingenuo ¹³⁴ pollicilus se per universum vite tempus utrosque sine discrimine tractaturum atque nil aliud enixius curaturum, quam explore spes hominum, expectationi patrie satisfacere, a paterna virtute non de-generare et ingratitudinis apud utrosque crimen evitare. Vix hec potuerat effari pientissimus adolescens, cum lacrimarum profluvio viclus obticuit. Bohemi, quicunque aderant, initam amicitiam et so-cietatem sancte servandam esse affirmarunt, vires et arma Ungaris ac regi offerunt, cum promptissimis semper auxiliis, quandocunque opus fuerit, se presto affuturus pollicentur. Transacta mox solutione ¹³⁵ Victorinus dux et Ioannes antistes utrumque exercitum datis post initum ab utroque rege fedus dextris muluisque complexibus con-

firmare iubent. Regem utrique prereverenter salutant et certatim se 142
mutuo amplexantur; multe pre letitia lacrime utrinque fuse. Rex a 143
Vctorino dimissus ad sua castra traiecit Bohemisque proceribus, qui
Budam usque ipsum comitari contendebant, gratias egit, mox utri-
que uno eodemque tempore digrediuntur.

Ungari recepto rege longis itineribus Budam properant, ut, 144
antequam glacies dissolvalur, Danubium traiificant; quacunque iter 145
faciunt, ex pagis et oppidis gratulabunda in occursum omnis etas
effunditur, inaudita ubique letitia celebratur. Quin etiam anicule, 146
pueri, senes et rustica passim turba Mathiam circumfundunt, salu-
tant omnes regem, manus et pedes deosculantur, fausta et felicia
cuncta precantur, ubique spes Ungarie, delicie orbis, assertor pa-
trie Pannoneque salus ingeminatur. Inter plaudentem festivamque 147
multitudinem Mathias tanta popularitate, clementia et mansuetudine
utebatur, uti mirum in modum populorum animos sibi conciliaret.
Gratiam, quam sibi paterna memoria promeruerat, affabilitate ac 148
precoci pietate sua usque adeo augere, ut in amorem observantiamque
sui hominum pectora cuncia succenderet; hos fratres, patres 149
illos, hanc matrem, sororem istam appellare, se amplexandum de-
osculandumque omnibus ultro ac passim exhibere, magis alienae
quam proprie saluti congratulari, inter milites conductu decoro si-
mul ac lepida comitate versari, ad imminentia gravibus quandoque
verbis bella succendere, de comparanda demum laude semper verba
facere. Cum Strigonium paulo ante Kalendas Maias circiter sarco- 150
phaga festa pervenisset, glacies, que dudum fatiscere ceperat,
ne satis quidem tutum exercitui transitum pollicebatur; leti tandem
equites contempto periculo et labante sepe glacie maxima ex parte
traiecere; ceteri ad Pestum transiverunt. Quin et Danubius hilari- 151
tati publice indulgere et gratificari videbatur, quandoquidem in tam
propera festinatione temerarioque transitu nemo periclitatus est;
Corvina id fortuna factum omnes esse fatebantur.

Postquam in sequenti die Bude appropinquarent, omnes ponti- 152
fices optimatesque ac nobiles, qui convenerant, item pretor urbanus
cum singulis ordinibus magistratum, preterea cuncta collegia sa-
cerdotum sollemni pompa deos et sacra ferentes obviam prodeunt
et sacros rhythmos concinunt. Occurrit etiam populus universus, 153
ut summo plausu ac eximiis acclamationibus novum et exoptatum
regem excipient. Quin etiam et Iudeorum turba in occursum exivit 154
preferens veteris testamenti tabulas et inter primos salutato rege
maiorum privilegia sibi confirmari obtestatur et supplicat. Ad por- 155
tas urbis a civibus sub umbella rex excipitur et, antequam in ur-
bem admittatur, exoratus a pretore libertatem, leges, sanctiones,
decreta senatus ac ceteras immunitates ab antiquis regibus impe-
tratas se nunquam violaturum adiecto iuramento pollicetur; id ip- 156
sum, antequam in arcem admitteretur, universis regni optimatibus
pontificibusque promisit. Introdactus in urbem recta in basilicam 157
dive genitricis ducitur. Cum ante pretorium iter faceret, supplican-
tibus noxiis, quos olim questor in vincia coniecerat, ut omnibus

fausta felixque foret presentia regis, patefacto carcere liberantur. Cum in templum venisset, Iesu Christo optimo maximo ac dive 158 genitrici, sub cuius tutela Hungaria degit, gratias egit seque iura sacra inviolata servaturum affirmavit. Hinc in regiam ductus est et 159 plausus togatorum pariter et sagatorum tantus per compita, vias et fora editus, ut cuncta publica letitia completri viderentur. Cum in 160 regia consedisset, ad componenda regni negotia animum advertit. In aditu mirifice omnium expectationi satisfecit. Laudabant vulgo 161 cuncti mores adolescentis, quod dignitatem regiam preter etatem a principio tam probe servaret; etiam et illi, qui contra sentiebant, eius presentia concilitati sunt. Ioannes Varadiensis episcopus, Dionysius metropolita ceterique pontifices nunquam ab eius latere discedebant. Quin etiam Michael eius avunculus, Sebastianus Rosgonius, Ladislaus Canisa, Petrus Ciocoli ceterique paterni amici id ipsum faciebant veriti, ne vitio etatis aliquid committeret a sua dignitate alienum. Contra ipse a principio de gravissimis rebus nihil unquam inconsultis pontificibus et paternis amicis ac proceribus decernere voluit; sive referebat aliquid ad senatum seu ferret 165 ad populum, qua gravitate ac eloquentia utebatur, admirabantur omnes. Cum rogati pontifices proceresque sententias dicerent, attente 166 et perquam diligenter exaudiebat. Dissidentes inter se patres conspicatus haud irreverenter quandoque increpabat, si quam ex invidia simultateque secessionem in senatu fieri sentiebat; contra vero 168 quandoque patiebatur non invitus haud ignorans privatis emulationibus et inimicitiis crescere rempublicam. Quin etiam aliena 169 dicta sic argute confutabat dictasque sententias improbabat, ut sue quenque sententie peniteret ac id ingenue fateretur. Quem prius ex 170 paterna memoria diligebant, mox observare ac tacite revereri occipere; spem quoque initam non confirmavere solum, verum etiam auxere. Avunculus, qui gubernationis munere fungebatur ac rerum 171 omnium auctor haberi cupiebat, ab eo nonnunquam increpatus sententiam mutare coactus est.

Nicolaus Uilacchus palatinus et Paulus ceterique adversarii 172 spectato regis ingenio, quem preter etatem circumspectum esse cernebant, e magna spe deciderunt. Sperabant enim inconsulte adolescentie gratia preceps in rege consilium, quotidianos errores, crebras in regendo iniurias, quibus non mediocris deinde penitentia Ungarorum animos incesseret et magna rerum mutatio sequeretur. Nicolaus, qui regnum pre nobilitate generis, opibus et auctoritate 173 nimis anhelarat et in comitiis vi coactus Mathie cesserat, nunquam adolescentem talem futurum sibi persuadere poterat. Hunc supra 175 etatem cuncta prudenter et honeste disponere nimis angebatur. Avunculum eius omnia gubernare, favere amicis et suos extollere perquam egre ferebat. Socii factionis eiusdem pari quoque livore 176 affecti admodum cruciantur; dissimulandum tandem dolorem aliquantis per censuerunt, donec aliquid occasionis daretur, qua nova moliri possent. Interim criminibus, dolis et insidiis Michaelem cir- 177 cumveniendum esse decernunt, fidem charitatem-

que magnam simulant, prestant obsequia et data occasione pro vi-
rili sua Michaeli in invidiam regis adducere clam enituntur. Rex 178
autem ab amicorum consiliis non recedit, ad bene regendi disci-
plinam animum intendit, veri principis artes sibi insitas recogno-
scit; iustus et assiduus in dicendo iure, in puniendo clemens, in 179
miserabiles pius, in gubernando prudens ac solers, in periculis
gravibusque rebus magnanimus et audax, in agendo cautus et sagax,
glorie plus equo cupidus et ad simulandum dissimulandumque ni-
mis idoneus. Cum senioribus simplicitatem quandam sepe pre se 180
ferre, callide, quecunque mens mala ferret, elicere, obliqua consilia
intelligere et corda hominum cautissime perscrutari, difficulter ali-
enis artibus falli posse videbatur.

Cum regni habenas accepisset, ad recuperandam sacram co- 181
ronam, que in Frederici imperatoris manu erat, animum advertit,
quando citra sacrosanctum diadema legitime regno potiri haudqua-
quam posse putabatur. E senatus consulto Ioannem episcopum 182
Varadiensem ad imperialorem cum duobus optimatibus mittit, qui
eam repeterent. Cum hi Viennam ad Cesarem venissent et apud 183
eum mandata exposuissent, continuo sibi verba dari intellexere. Re
infecta profecti Budam redierunt. Imperator enim, cum secum re- 184
putaret coronam in potestate sua esse, sine qua nemo rex legiti-
mus dici poterat, et in citeriore multos principes Ungarie sibi fa-
vere, in spem regni maximam concidit, qua si forte animum abs-
tinere potuisset, multo sibi Pannonieque melius profecto consu-
luisset. Confirmabant quoque spem eius Nicolaus, Ladislaus et 185
Paulus ac ceteri, qui in Mathie creatione adversari voluere; hi 186
nanque clandestinis quotidie internunciis ad id imperatorem inc-
cendebant non tam, ut eum regem haberent multa pollicentem,
quam ut illius viribus et auctoritate Mathiam regno eiicerent et ipsi
deinde pro sua libidine imperarent. Sed Nicolaum seva regnandi 187
cupido imprimis incesserat, quare factum est, ut nihil per legatos
impetrare potuerit. Fredericus etiam adolescentem fluctuosissimo 188
regno potitum facile contempsit; sperabat hunc nedum suis viribus,
sed optimatum quoque factionibus id facile amissurum. Proinde 189
factiones alebat, discordiarum semina spargebat in dies et infusa
dissensione nutritisque factionibus in Pannoniis imperare studebat.
Addebat animum humile ac obscurum Mathie genus, ut ipse re- 190
putabat ratus adolescentem peregrina gente natum e Valacho patre
nunquam inter tot nobilissimos principes cognitionibus, amicitiis
opibusque prestantes diu regnaturum. Nos autem, priusquam bella 191
ductu auspiciose suis gesta gravesque in regno motus et sediti-
ones attingamus, de ipsis origine copiose dicendum esse duximus.

Mathie regi, quemadmodum supra dictum est, Ioannes Corvi- 192
nus pater fuit, Buti Valachi filius in paterno pago natus, quem
nostra quoque tempestate Corvinum dicunt, imperante Sigismundo,
a quo virtus eius et animi magnitudo primum cepit intelligi; mater
vero Elisabetha Sylagia virago semper habita. Is, veluti sepius a 193
parentibus acceperat, cum adolevisset, se Romana gente natum af-

firmabat, referebat genus in Corvinos, qui inter priscas Romanorum familias numerantur. Generoso sanguine succensus Transylvanieque finitimus in provinciam venit, a principio in Ciacorum familiaritatem se insinuavit. Aducto mox animo ingressus Ungariam Francisco Cenadio servire cepit, cui usque adeo charus fuit, ut pro filio haberetur; sub hoc fausta tirocinii auspicia sortitus est. Cliens deinde Demetrii Zagabriensis episcopi factus, cum ignavi 194 expers otii foret et Sigismundum imperatorem in Italiā profectum audierat, continuo secutus est, ut Romanos progenitores ac rerum dominos inviseret. Militaris discipline gratia prima sub Philippo Mediolanensem duce stipendia fecit. Reversus in Ungariam Turcorum bello se exercuit, ubi, antequam aliquod equestre munus assequeretur, dum cum sociis Mysiam incursat, multum lucri fecit. Vetus Calohierorum, ut aiunt, cenobium populatus compertis ibi 198 gemmis et lapillis ample ditatur. Cum Sigismundum Germaniam 199 revisum audiret, repente secutus est, ut regiam frequentaret et Corvinam virtutem iam maturam in lucem ederet. In spectaculis, 200 saltationibus et conviviis pretiosis et gemmatis usque adeo vestibus utebatur, ut multis regulis ex habitus elegantia haud citra invidiam preferretur. Quem corporis forma et venustas oris nimis honestabat; 201 conspicuus incedens cum nobilissimis matronis saltare iussus est. Id egre Sigismundum tulisse ferunt ac sepe dixisse Ioannem Corvinum ad spes magnas non esse provocandum, quando, veluti ab ambitiosa eius juventa manticinabatur, ne toto quidem orbe is expleri posset. Post Sigismundi obitum prefecturas provinciarum cum imperio ac supremam nactus in gubernando regno potestatem tanta modestia et tam grato fuisse animo dicitur, ut Francisco se Cenadio neque in via neque in mensa unquam pretulerit, stando et sedendo preter dignitatem veneraretur et illius uxorem pientissime 204 loco parentis semper habuerit. Ioannes igitur genus in Corvinos retulit, veluti gentilicia insignia referebant, et Mathias Romana gente oriundus ingentem hinc animi magnitudinem, uti exitus ostendit, plane concepit.

Verum de Corvine familie vetustate et quo modo in Dacos 205 et Getas sese propagarit, est rite referendum. Corvini primum a Valeriis Volusiis, Valerii a Sabinis ante urbem conditam duxere genus, Sabini a Lacedemoniis promanarunt. Cum ex Achivis in 206 Italiā olim illi coloniam deduxissent, Sabinos Lacedemonum coloniam fuisse Plutarchus affirmat. Hi, quibus Heraclide prefuere, ab Herculea gente illustrati et a Lacedemone Iovis filio, quem ex Taygeta tulit, dicti sunt. Ex quo fit, ut Corvini non solum ante 208 urbem conditam fuerint, sed in Iovem pie nimia vetustate genus referre queant. A principio nanque Italiā Pelasgi, Aborigines, Sabini a nimia pietate nominati coluere; deinde multo post tempore Romulus urbe condita Sabinorum virgines rapuit, confecta pace in urbem soceros admisit imprimisque Taliū eorum regem, uti Dionysius auctor est. Ex illustribus Sabinoruī familiis tres cum 210 Tatio Rome communicatis honoribus permansere, quibus multis

post seculis secunda posteritas rite perfuncta est. Hi fuere Valerius, 211
 Volusus et Talus, qui tyrannus cognominatus est, item Mettius
 Curtius, qui armatus lacum nando transmisit. Cum his quoque so- 212
 cii, cognati, gentiles et clientes numero haud pauciores centum sane
 fuere. Aucta ex hac affinitate urbe Roma Tulli Hostilii et Mettii 213
 tempore Marcus Valerius floruit; hic primus facialis fuit, qui in
 percutiendo federe in certamine trigeminorum patrem patratum Spu-
 riun fecit. Mox Publius Valerius claruit, quando hoc adiutore Bru- 214
 tus ex urbe reges exegit et, cum se Collatinus consulatu abdicas-
 set, collega hic Bruti centuriatis comitiis creatus est. Quin etiam 215
 Valerius Horatiisque ducibus Romanos reges pulsos aiunt. Item
 Publius Valerius cum Tito Lucretio iterum consul creatus et eo
 quidem tempore, quo Tarquinii ad Porsenam confugere. Is Publi- 216
 cola cognominatus, quia in suspicionem coniectus leges tulit, que
 non modo consulem suspicione liberarent, verum etiam popularem
 efficerent. Tertio cum P. Lucretio consulatum gessit. M. autem Va- 217
 lerius cum P. Postumio consul designatus, quia cum Sabinis bene
 pugnaverat, cum collega triumphavit. Ad hec Lucium Valerium con-
 sulem de provocatione ad populum primum tulisse legimus et Mar- 218
 cum Valerium clarum fuisse dictalorem. Item Lucius Valerius cum 219
 Spurio Cassio et P. Valerius cum C. Nautio et idem cum Tito
 Emilio consulatum gessit. M. Valerius, T. Virginius consules creati; 220
 Publicola interrex factus tertio die, quo interregnum iniverat, L.
 Lucretium Tricipitimum et Titum Veturium consules creavit. Ad
 plebem, que a nobilitate secesserat, revocandam L. Valerius et Ho-
 ratius missi sunt. Et re deinde composita Valerius Potitus cum M. 221
 Emilio consul fuit; magnos Iudos, quos in Veienti bello M. Furius
 Camillus dictator voverat, edidit. Bellum in Algido cum Equis ges- 222
 sit, quare Valerio, qui in cedendis hostibus perseverantior fuerat,
 triumphus decretus est. Collega urbem ovans ingressus Valerium 223
 P. Valerii filium tribunum militum cum consulari potestate Camillus
 iterum interrex creavit. Item L. Valerius Potitus interrex designatus 224
 L. Valerium tribunum militum cum potestate consulari tertio creasse
 dicitur. In bello Gallico M. Valerius Caio Sulpicio dictatori adie- 225
 tus est. Qui quidem dictator et Valerii sapientia et Tullii ac mi-
 litum hortatu Gallos superavit et de Gallis post Camillum equis
 triumphavit. Nondum Corvinum nomen ex hac patricia gente pro- 226
 fluxerat, ecce tumultus iterum Gallicus oboritur. Huic bello Furium
 Camillum Camilli prioris filium dictatorem creant, quocum M. Vale- 227
 rius tribunus militum proficiscitur. Cum utrinque castra consti-
 tissent, ecce Gallus armis ac mira corporis magnitudine insignis
 Romanum militem ad singulare certamen provocat. Marcus Vale- 228
 rius adolescens facta sibi a dictatore certandi potestate forti animo
 in hostem egreditur, cuncta rite numina invocat, ut pro patria di-
 gnitate pugnanti faveant. Mox cum insano teste conreditur; manum 229
 conferenti corvus in galea repente desidit, os oculosque Galli rostro
 ac unguibus appetit et usque adeo perterret hostem, quousque ab
 adolescente fortiter obruncatur ac parta demum victoria corvus in

celum elatus petuit orientem. Consul advocata contione M. Vale-²³⁰
rium tribunum decem bobus aureaque corona donavit. Et hic de-
inde Corvinus a preclaro facinore cum universa posteritate cognos-
minatus est. Natus annos tris ac triginta cum M. Popilio Lenate,²³¹
atque iterum cum Petilio consulatum gessit. Si quis fortasse tale
augurium admiretur, si ex auspiciis aliorum conjecturam ducat,
corvos in tutela principum esse sentiet. Alexandro nanque corvi²³³
ad Ammonis templum proficiscenti apparuere confusisque ductori-
bus diei ac noctis iter ostenderunt. Item, cum Babylonii appropin-²³⁴
quaret Alexander, corvi repente collectantes aspecti sunt, ex quibus
ante ipsum nonnulli delapsi, ut iter impedirent ac regem hoc au-
gurio a morte revocarent. Corvi salutatione delectatus est Augustus.²³⁵
Sub specie corvi Aristeas, si quid Herodoto credimus, plane lo-
cutes est. Et corvo, quem proxime sutrine manceps in foro exani-²³⁶
maverat, qui Romanos rerum dominos cum Tiberio Drusoque Ger-
manico salutabat, exacta vindicta honorificum a Romanis perso-
lulum est funus. Corvum igitur iure Mathias rex inter cetera sue²³⁷
domus insignia retinuit, quando sue gentis exemplo auspicatissimo
huiusce avis augurio in magnis sepe periculis se usum affirmabat.

Deinde, ut hanc fauste domus fecunditatem prosequamur, ex²³⁸
qua plures consules, dictatores, imperatores ac reges, quam ex equo
Troiano principes promanarunt. Cum lapidibus pluisset, P. Valerius²³⁹
Publicola dictator dictus; item paulo post ambo patricii consules
ex interregno creati, M. Valerius Corvinus tertio et Aulus Corne-
lius Cossus, quorum consulatu belli Samnitici origo fuit, qui qui-
dem quo animi vigore rem gesserint, ex Livio intelligi potest. Item²⁴⁰
eo anno, quo Alexander Epirotarum rex venit in Italiam, Marcus
Valerius Corvinus et M. Fabius interreges creati, qui Titum Man-
nium Torquatum et Publum Decium Murem consules pronunci-
arunt. Preterea M. Valerius Corvinus quarto consul cum M. Atilio²⁴¹
Regulo creatus. Cales Ausonum urbem expugnavit impositoque
presidio reductis legionibus triumphavit. Factus quoque interrex²⁴²
cum Fabio Maximo P. Philonem et P. Cursorem consules pronun-
ciavit. Cum Rome sepe contentio oriretur, si Alexander domita Asia²⁴³
in Italiam arma vertisset, quisnam e dictorio et consulari ordine
foret, quem ducem cum Alexandro conferrent, primus omnium M.
Valerius Corvinus succurrebat. Is etiam in tumultu Etruscorum cum²⁴⁴
P. Decio consul creatus preclare se gessit et rebellante deinde Etru-
ria dictator creatus est, Marcumque Emilium Paulum magistrum
sibi equitum optavit. Adversus Pyrrhum Valerius Levinus consul²⁴⁵
proficiscitur. Cum C. Sempronio Valerius Maximus censor fuit. Item²⁴⁶
Valerius pretor in Macedoniam missus contra Philippum. Nonnulli
preterea ex ea familia per totum bellum Punicum claruere. Post-²⁴⁷
quam ad Syllana tempora perventum est, L. Valerius Flaccus prin-
ceps senatus sententiam dixit, ex qua senatus consultum factum
est, ut legati ad Syllam de pace mitterentur. Huic Valerius suc-²⁴⁸
cessit, qui in Sardinia contra Marcum Lepidum arma tulit et in
bello Mithridatico in Asia Pontioque legatus L. Luculli fuit. Vale-²⁴⁹

rius Triarius huius filius repetundarum M. Scaurum M. Scauri filium pridie Nonas Quintiles apud Catonem querentibus de eo Sardis accusavit. Ne pretermittendum quidem ducimus Publum Valerium nepotem, qui cum Marco Antonio et Appio Maiore contra Milonem dicit defendente Cicerone; item Valerium Catullum, qui in Cesarem versiculos edidit contumeliosos, et Valerium Nepotem, cui dividundis agris preposito a Cesare Volaterranos elegant epistola Cicero commendavit. Postquam vero Cesar potitus est rerum, M. Messala Corvinus in republica floruit, qui post mortem Cesaris a Bruto et Cassio victus communi consilio condemnatus est.

Verum enimvero, ut, quemadmodum in Pannoniam et Daciam Corvinum olim nomen penetrarit, non ignoretur, ex ordine referamus. Quis enim Corvinum Messalam Romane eloquentie parentem, poetarum quoque non mediocrie presidium silentio preterierit, qui Tibullum mirifice dilexit, quem Tiberius imperator adolescens senem tantopere observavit et in oratione Latina imitari studuit? Hic primus Alpinos Pannoniosque populos superavit, primos quoque Dalmatiae montes aditusque inaccessibiles patefecit, primus Corvinum nomen ultra Danubium distulit, primus denique prefectus urbis ab Augusto factus sexto die pie nimia mansuetudine animique modestia se magistratu abdicavit incivilem potestatem illam esse testatus. Valerius igitur iste Messala Corvinus Augusti auspiciis Pannonios vicit, quin etiam Valeriam provinciam, que Danubium Dravumque interiacet, a Valerio Messala Corvino cognominatam esse arbitror. Item regionem, que inter Dalmatiam et Pannoniam sita est, a Messala Corvino Corvatiam adhuc non immerito nominant. Preterea prope Teutoburgium Corvacum oppidum fuisse legimus a Corvinis edificatum. Imperante Julio et Octavio per Alpes Iulias iter patefactum et victis Alpinis Noricorum provincie accessere. Dardanos et Mysios Europe Curius proconsul subegit. Tiberius Cesar Reticum, Vindelicum, deinde Pannonicum Germanicumque bellum perfecit in dicionemque rededit populi Romani, quicquid est inter Italianam, Noricum, Thraciam, Macedoniam, Danubium ac sinum maris Adriaci, de quibus cum triumphasset, Pannonicus cognominatus est. Batonem Pannonicum regem multis premiis donatum, quem sub triumpho duxerat, Ravennam transtulit gratiasque retulit, quod se locorum angustia obclusum evadere concesserit. Imperante Claudio ad res novas Gallus Asinius et Statilius Corvinus conspirarunt Pollio et Messale oratorum nepotes.

Tante insuper dignitatis splendorisque Corvina domus Rome semper est habita, ut cum imperatoribus sepe Romanis affinitatem sane contraxerit. Claudius imperator Valeriam Messalinam consobrini sui filiam duxit uxorem. Nero hunc S'atilium Messalinam Corvino sanguine natam Tauri bis consulis ac triumphalis abneptem sibi despontavit. Domitianus autem, qui de Dacis et Germanis, Traianus, qui de Dacis et Scythis ac victo rege Decebalo Daciam in provinciam rededit, multas in eam colonias deduxit, Iberos, Sauromatas, Asreneos, Bosporanos et Colchos domuit. Item Adrianus,

qui in Sarmatica expeditione, et Antoninus philosophus contra Germanos, Marcomannos, Quados, Sarmatas et Dacos bellum parans optima hi omnes Corvine domus opera in his expeditionibus usi sunt. Testantur id innumera, que in Pannoniis ac Daciis epigrammata 166 reperiuntur, imprimisque illud Valere Cocceie, cum Valerii et Corvini, ut supra memoravimus, congenitiles fuerint. Epigramma tale 267 est: Cocceie Valere P. Tenacius Gemellinus aug. col. Apul. ex testamento P. Tenacii Vindicis J. leg. P. C. L. D. D. Item Va- 268 lerius Heliodorus, ut in sepulcro quodam in Bude suburbanis le- gimus, magne tunc auctoratis in Pannoniis est habitus. Horum 269 nanque, quos diximus, imperatorum tempore Egnatius leg. aug. pro pr. . . ., Piso legatus leg. Melio et Maximo cons. Item P. 270 Maecius P. f. Sextianus Epheso. Preterea Aurelius Laurentius Mar- cie Candide filius, Septimius Longinus et Sabucius Modestus non- nulla preclare gesserunt. Insuper Lucius Annius Fabianus duumvir 271 capitalium, Valens et Peurius Saturninus in Dacia claruere. Post 272 hec Modesto et Probo consulibus in Pannoniis Flavius Elianus, Elius Optatus, Macer Sabinianus, Iulius Secundanus, Iulius Emi- ritus, Cassius Fuscinus, Iulius Probinus, Elius Urbanus, Valerius Festus, Iulius Alexander, Flavius Emeritus, Valerius Clementinus, Iulius Priscianus, Verus Verissimus, Iulius Ingenuus, Iulius Cele- rinus, Junius Adiutor, Aurelius Lupus, Flavius Celsinus cum Au- relio Pertinace frumentario in legionibus prima et secunda adiu- tricibus piis fidelibus Severinis, ut in epigrammate schole specula- torum legimus, ne mediocri quidem virtute in Ungaria claruere. Ex 273 his colligi potest nunquam Valerianum Corvinorum sanguinem apud Pannones defecisse. Imperante Severo Valerius Catulinus et 274 Valerianus e patricio uterque genere floruerunt, quorum virtus cum imperatori formidolosa videretur, cum multis quoque patriciis cesi sunt. Verum imperante Alexandro Mamee filio Valerius Cordius 275 imperatoris preceptor et moderator erat; quin eliam eadem tempe- state aliis Messala Corvinus vehementissimus orator in prelio fuit summa fortitudine ac disciplina bellica peditus; quare Alexandri 276 ad matrem adhuc extat epistola, qua eam consultit, an generum malit Maximum Maximini filium, an Marcum Corvinum ora'orem summum et virum fortissimum, si rebus bellicis applicetur. Sed 277 Maximinus de vico Thracie Alexandre successit. Ex hoc etiam ve- tustissimo genere Valerianus duxit origineim princeps senatus, deinde imperator, pater Valeriani junioris et Galieni a Sapore Persarum rege captus, fortunam virtutis sue comitem nequaquam sortitus. Tanta hunc probitati historici fuisse ferunt, ut, cum a Deciis con- 278 sulibus ad senatum de censore eligendo referretur, omnes inter- rupto dicende sententie modo dicerent: Valeriani vita censura est; ille de senatu censeat, qui omni criminе caret; ille de vita nostra sententiam ferat, cui nihil obici potest. Valerianus a prima pueritia 280 censor fuit, prudens senator et modestus, amicus bonorum, tyran- norum inimicus, hostis vitiorum, patricius genere, nobilis sanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus singularis, exemplar anti-

quitatis. Adde, quod Aurelianum Syrmii natum et Aurelium Vale-²⁸¹
rium Probum e Syrniensi urbe oriundum, qui Almeam Aureumque
montem apud Syrmium militari manu vitibus consitum provinci-
alibus colendum dedit, ex hac plerique gente originem duxisse pu-
tant. Quin et Valeriam Diocletiani filiam e Dalmatia oriundi Galerio ²⁸²
imperatori despontatam a Valerii quoque profluxisse credunt, quam
cum Dalmate Valachiam propria lingua dicant, hinc Valerium, ut
aliqui putant, provinciam suam Valachiam appellasse prodiderunt;
quanquam varie barbarorum eruptiones Daciam populi Romani ²⁸³
provinciam et Getarum regionem una cum Pannoniis inundassent,
colonias tamen legionesque Romanas, que recenter excreverant, non
potuisse interire. Inter barbaros obrute Romanam tandem linguam ²⁸⁴
redolere videntur et, ne omnino eam deserant, ita reluctantur, ut
non tantum pro vite, quantum pro lingue incolumitate certasse vi-
deantur. Quis enim, assiduas Sarmatarum inundationes et Gotho-²⁸⁵
rum, item Unnorum, Vandalorum et Gepidarum eruptiones, Ger-
manorum excursus et Longobardorum si bene suppitarit, non ve-
hementer admiretur servata adhuc inter Dacos et Getas Romane
lingue vestigia, quos nunc Valachos ab optima sagittandi disciplina
dicimus?

Hic igitur per tot deinde tempora sanguis Corvinus sane de-²⁸⁶
lituit, in Corvino tandem pago repullulavit. Ne id quidem sine ma-²⁸⁷
gno divum numine factum est, ut, veluti Corvinis auspiciis per tot
annos populus Romanus a barbaris, ita nunc iisdem ducibus Chri-
stiana respublica provincias has a profana servitute liberaret. In ²⁸⁸
hoc itaque vico Ioannes Mathie pater natus est, cuius virtus ac glo-
ria, quanta fuerit, ex his, que supra scripsimus, facile intelligi pot-
est. Mathias eius filius in Transylvania ad Colosvarum natus et ²⁸⁹
ad tirocinii usque tempus etiam immaturi educatus est.

Hec fortasse remotius, quam res ipsa postulare videbatur, re-²⁹⁰
petuisse existimamur, scriptoris ambitum plerique damnabunt, ve-
rum ne ab re quidem id fecimus, quando Mathias antiqui sui ge-
neris haud inscius nil molestius ferre videbatur, quam si quis ex
invidis obscuritatem sibi gentis obiecisset aut barbara nobilitate
tumens citra proprie virtutis merita se preferre studeret. Non igno-²⁹¹
rabat adversarios ignobilitatem sui generis improbasse; vulgo quo-
que dicere Valacha ipsum gente oriundum; nonnullos hibridam
appellasse, quem dissimilis lingue parentes ediderint; id imprimis ²⁹²
citerioris Ungarie proceres dicere Valachorum regulum non esse
ferendum; Fredericum quoque imperatorem iniquissime pati opu-
lentissimum usque adeo regnum ab adolescenti et peregrino pene
rege possideri et, ne coronam redderet, ab infestis nonnullis op-
timatibus quotidie admoneri. Quin etiam Alemani suapte natura ²⁹³
Ungaris infensi, ne Corvino sanguine Mathias ac pater, quemad-
modum gentilicia Corvi insignia testabantur, natus esse videretur,
auctore Celie olim comite fabulam haudquaquam insulsam commenti
sunt. Sigismundum aiunt in Transylvanis agentem cum ingenua ²⁹⁴
venustissimaque Valachi cuiusdam nobilis puella concubuisse, hanc

tertio a se mense repetitam gravidam deprehendisse, donasse magnifice ac symboli loco anulum reliquise, mandasse, ut, quicquid pareret, diligenter aleret educareque educatumque ad se cum symbolo mitteret; hanc deinde ample donatam Valacho haudquaquam 295 ignobilis mox detecto facinore nupsisse, qui ob dotis arplitudinem et ingenui stupri gloriā oblatam a puella condicionem minime recusavit; scilicet et elegantem hinc puerum in tempore fuisse 296 editum, quem mater Ioannem appellavit; cum infans in matris gremio iaceret, advolasse corvum et anulum symboli loco datum abstulisse; parentem ingenti dolore correptam virum subito exorasse, ut corvum insectaretur et anulum recuperaret, ne pueri spes magna inauspitate avis rapina perderetur; virum tandem confosso sagitta 297 corvo anulum continuo recepisse; Ioannem eximie deinde pulchritudinis adolescentem materno iusu ad Sigismundum venisse et ostendisse anulum; recognito regem anulo prediis ac villis eum ample donasse. Quod, si vera hec fabula fuisse, quis ambigat Si- 298 gismundum profusissime prodigalitatis imperatorem non solum agro, sed regno, cum virili prole careret, hunc esse donaturum? Vetu- 299 statis cognitionem, qui talia confabulantur, livor ademit, quando adolescentis imperium facile tolerare non poterant. Nesciebant avita 300 adhuc insignia corvum retinere, ne vetustissimi generis et Romane nobilitatis indicia deforent; non facta, non usurpata, non nuper excogitata hec insignia fuere. Multa hec eadem imperatorum Romanorum nomismata referunt. In Budensi agro ex ere et argento 301 multa reperiuntur, que ex altera imperatoris Constantini caput ac nomen, ex altera parte virum cum conservatoris inscriptione nudum referunt, qui frameam dextra tenet, leva vero hasta nititur; corvus est ante pedes anulum rostro gerens, qui sicco ramo desedit stantemque virum non secus ac dominum respicit; quare multi Constantinum imperatorem inter Corvinos non immerito retulere. In vetustis quoque lapillis geminas Corvinorum imagines gravi ar- 302 matura munitas esse vidimus ac consimilem pro pedibus adstare corvum. Tot igitur Corvine domus monumenta in Ungaria reperta 303 sepius admirati sumus, quin et Bornamysa, qui urbano questori a rationibus serviebat, nomismata multa nobis ostendit, que corvum cum anulo respicientem referebant et in Pannoniis ac Dacia reperta fuisse affirmabat. Hec hactenus de Mathie regis origine 304 dicta sint. Nunc regno potitus adolescens a principio que bella gesserit, cum nunquam otii compos fuerit, in proximum librum transferamus.

LIBER X.

Ab initio regni tria Mathie regi gravissima bella fortuna pro- 1 posuit, ut non secus ac Hercules ad maximos labores natus esse videretur, que quidem non modo adolescentem, sed alterum Han- nibalem Alexandrumve postulassent; alterum cum Romano, cum 2 Turcico alterum imperatore intercedebat, tertium cum Bohemis, qui

initis inter se societatibus, quas fratris appellabant, duce Giscra universam ulterioris Ungarie plagam, veluti supra diximus, latrociniis et populationibus assiduis sic infestam plane reddiderant, ut ne domi quidem, nedum foris quisquam tutus esse posset; quin et suburbana Pestl quotidie incurSabant diripiebantque; fumum Bohemicaque presidia a Nova Buda prospectare licebat. Nam, postquam Elisabetha regina Bohemos cum Giscra et Telepho in Ungariam introduxerat, eam usque adeo latrociniis, cedibus et incendiis fecerat obnoxiam, ut nulla orbis ora ista miseror dici posset,

Cum duobus igitur terrarum imperatoribus bellum imminentat, quod quam arduum ac formidolosum foret, pro se quisque facile animo metiri poterat. Ex his alterum Turci ambitus perpetui quidem hostis et late imperandi cupiditas redintegrabat, quippe qui expugnato Pannone se ceteras Christiane reipublice provincias facile dominorum esse confidebat. Ne cladis quidem immense gravitatem, quam ad Albam olim Grecam a Ioanne Corvino accepérat, oblivioni tradiderat, immo, quamvis nuncium de Mathie regis declaratiōne tristis accepisset, ne Corvinis iterum auspiciis ad internecionem cederetur, instaurabat tamen audaciam adolescentis huiusc in experientia ac rerum inscitia, cum per etatem adhuc reformidari non deberet. Alterum Frederici imperatoris ambitio ac Nicolai Uiacchi factio fecerat, qui, cum ad regnum aspirare nequiverit, Cesaris quam Corvini adolescentis imperium subire malebat. Hunc Graphnicher, Pauchircher, Hilderbon, Paulus Pamphi, Ladislaus Palosius ac nonnulli alii citerioris Ungarie principes sequebantur. Item comes Sigismundus, cui de sancto Georgio cognomen erat, nobilissimo genere natus, opibus, agris, villis, oppidis, clientelis cognitionibusque precellens, cum inter Ungaros et Australes hic regulus dominatum haberet, Alemorum faciōnibus adhesit. Hi Cesari suadebant, ne coronam redderet, pro se asservaret, eliceret e regno puerum ac late demum in Ungaria imperaret, Promittunt auxilia multa, commeatus, arma, opes, quibus excitatus Frederici animus ad deturbandum regno Mathiam confestim incenditur. Preter tria hec formidolosissima bella, que imminebant, exhaustum accedebat erarium, intestine discordie, factiones principum, varia Ungarorum studia et nutantes animi, que quidem omnia non modo tenellum regis animum, sed fortissimum profecto quenque virum consternassent. Quin et multi inter Mathiam et avunculum gravia discordiarum semina interserebant, ut variis adolescentis animus erroribus implicitus in diversa preceps ferretur ac demum ultro regno cedere cogeretur.

Rex igitur tot periculis difficultibusque obsitus haudquaquam animo consternatur, sed hec cum avunculo Michaele communicat, qui gubernatoris munus recte gerebat; amicos paternos consultit, imprimis Ioannem Varadiensem episcopum, Ladislaum Canisam, Sebastianum Rosgonium, Emericum questorem et Pancratium. De his tandem periculis gravissimisque rebus ad senatum retulit, quo inconsulto nil agere decreverat. Senatus censuit, cum triplex

bellum immineret ac nullum declinari posset, ut tres uno tempore imperatores crearentur ac suam quisque provinciam sortiretur, qui rem foris current. Hi designantur Magnus Simon, Sebastianus Ros-¹⁷ gonus Michaelque Sillagius; Simon in Fredericum Cesarem, qui sacram coronam a legatis repetitam abnegarat, Sebastianus in Bohemos, Michael in Turcos expeditionem rite sortitur. Creatis ducibus delectus habetur. Ungari tot periculis circumventi, ne impune ab hostibus obrui viderentur, certatim dedere nomina; legionibus supplementa decernuntur. Et, cum exhaustum foret erarium, optimates et pontifices pro virili quisque sua turmas equitum et cohortes sine publica stipe mittere coacti sunt.

Vix hec, que diximus, referente rege senatus plane decreverat, cum rumor effunditur Nicolaum Uilachum, Pauchircherem, Helderbonem, Sigismundum ceterosque Alemanice factionis sectatores a rege ad Fredericum imperatorem una fere cum tota citeriore Hungaria defecisse. In uteri Bohemi quotidie grassabantur et cedibus ac latrociniis ad Pestum usque reddiderant infestam. Turcorum incursionses reformidabantur in dies. Primum ex Austria bellum erupit. Cesar enim in spem potiunde Pannonie tractus suum prefectum cum quinque milibus hominum, veluti sibi cum Nicolao ceterisque suarum partium sectatoribus convenerat, superiorem Pannonię invadere iubet. Sabarianum is agrum ex mandato imprimis adoritur, vicos diripit, multa per deditio[n]em oppida cepit, parere Cesari recusantes populatur, multos captivos trahit, plerosque obstinatus agentes cedibus, incendiis rapinisque multat. In conventum tandem, quem Castri Ferrei comitatum appellant, progreditur, ut sociis pariter castra coniungat. Ex inferiore Pannonia ex composito Nicolaus cum tribus milibus equitum occurrit, ex quibus mille cataphracti, expediti ceteri fuere; item quatuor peditum cohortes adduxit. Cum copiis quisque suis alii coniurati exemplo convenerant.

Mathias autem hoc tumultu haudquaquam consternatus Magnum Simonem ab urbe cum exercitu in hostes properare iubet. Ex belli magnitudine animum non deiecit, sed exauget ratus se ad versus Romanum imperatorem luto pugnare posse, quandoquidem, si superarit, magna sibi gloria, si succubuerit, nulla adolescenti turpitudo futura est. Quare tot bellis circumventus nequaquam animum remittit, immo maiorem ex amplissima materia bellorum spem immortalitatis concipit. Addebat animum optimi proceres et amici paterno bello exercitati, peritissimi discipline bellice et domi forisque prudentes et magnanimi. Simon adversus hostes castra movet, quacunque per eorum agros et oppida, qui defecerant, iter facit, passim cuncta diripit ac vastat. In reos perfidie sevit, multos viicos incendit; ad Cermen tandem oppidum pervenit, quod in conventu Castri Ferrei situm est, ubi hostes castra metatos fuisse adiverat. Forti mox animo e conspectu castra posuit et e prospectu inimicorum vires emensus in soluit, quod tam cito properasset; se numero ac viribus illis inferiorem esse sensit et prepropere festinationis repente perteso, quid potius ageret, haud facile succurrebat.

Pugnam sine feda fuga declinare non licebat et capessere sine clade 34 non poterat; neque illud etiam latebat audacibus sepiissime favore fortunam. Spectatum sibi militum robur, ne pugnam defectaret, 35 hortabatur; demum in certamen descendere quam terga vertere maluit. Cum hostem iam exercitum in aciem educere prospexitset, 36 ipse quoque aciem instruit et collatis utrinque signis pugna conseritur. Nicolaus dextrum, sinistrum Sigismundus cornu tenuit, in 37 medio Alemanorum acies constituta certabat. Magno utrinque impetu concurrere. Nicolaum rei bellice peritissimum fortissimumque 38 ducem maxima pugnandi libido ac furor incesserat veritum, si regio exercitui cesserit, multa se mala mansurum, si vicerit, adhuc pro rege dominaturum. Ne minor quidem metus Cesareos invaserat, 39 qui perpetuam Cesaree maiestati notam inustum iri reputabant, si qua fati iniquitate succubuisserent; magnitudo virium animos augebat. Contra Simon fortune tantum fidere, Ungaros et presertim veteranos in acie hortari, ut strenue dimicarent, ne qua clarum nomen turpitudine inficerent; trepidos ac fugientes revocare in ordinem, succurrere laborantibus, confirmare nutantes, nullum boni militis ac ducis officium pretermittere; at illi nihil segnius cuncta agere; in sinistro cornu a Nicolao regii primum inclinati. Quod 42 ubi Alemani conspexere, cum pretorianis cohortibus et cataphractorum equitatu tantum in medio impetum fecere, ut Simonis aciem retroflecterent, que militum defectu nullis subsidiis obfirmari poterat. Cum hactenus in prelio multi utrinque cecidissent, Simon desperatis rebus, ut fuga saluti consuleret, mox terga verti omnesque dato signo secum fugam rapere iubet; a tergo munitissimum relinquit equitatum, qui persequentium impetum remorarentur. Si- 44 gismundus ac Nicolaus continuo receptui canere iubent, ne Alemanos in patrium sanguinem sevire paterentur, quando victorie non crudelitatis gratia dimicabant; nonnullos spectatis quorundam Un- 45 garorum cadaveribus penitentia simul et dolor incesserat, lacrimas emiserunt plerique et multi inter certandum, cum Ungaros ab Alemanis trucidari conspicerent, pertesi discordiarum civilium remissius dimicare ceperant. Simon fusus fugatusque ad Mathiam rediit. Ce- 46 sarei insolenti Victoria elati in Austriam solutis castris rediere.

Cum regii milites primo bello Simonis ductu et auspiciis parum 47 prospere pugnassent, tanta verecundia et dolore correpti sunt, ut se a rege decimari postularent. Hos ille vultu haudquaquam tristi, 48 sed hilari iucundoque exceptit talibus consulatus optima future victorie hec auspicia esse; felicis esse principis fortunam a principio inquam sortiri; eam inconstantem esse ac variam; si principia 49 fausta tulerit, finem deinde amarissimum prebituram; si ab initio infesta fuerit, felicem exitum ob inconstantiam procul dubio allaturam; Alexandrum in perpetuo victoriarum successu deos semper 50 orasse, ut adversi aliquid interiicerent, ne exacto tenore felicitatis imminentis miseriarum mole premi cogeretur; Polycratem a principio diu felicissimum, exitum tandem miserrimum habuisse. Proinde 51 orare omnes bono esse animo, nihil e pristina fortitudine et audacia

ex hac fuga remittere, quando numero ac viribus ipsi hostibus fu-
erant inferiores; id demum in posterum enitendum, ut clara hanc
notam victoria abolere studeant.

Rex igitur haudquaquam animo consternatus auxilium ab arte 52
querit, conspirationem hanc intelligit dissolvi oportere, funem, ut
aiunt, ex compluribus funiculis contortum, nisi dissolvatur, non
facile disrumpi posse. Ad potiores conspirationis auctores ac im- 53
primis ad Sigismundum et Nicolaum oratores mittit, qui utrumque
ab inceptis avocent suadeantque rempublicam intestina dissensione
diu labefactatam non ultra vexandam, e superioribus malis futura
coniiciant; honestius congenitili ac legitimo regi, quam peregrino
factiosoque parendum; item domi amplissima queque munera, la- 54
tiores dominatus et commune cum Mathia imperium policeantur;
se regalem preter titulum a republica traditum nil sibi reservatu-
rum; demum admoneant, ut in posterum perfidie parricidiique no-
tam et universe Ungarie invidiam evitent. Assiduis huiuscmodi le- 55
gationibus sollicitati tandem ambo vincuntur ad regiamque fidem
redeunt; superiore nanque bello experti, quam calamitose reipublice
intestine discordie forent, quamvis novi regis et adolescentis im-
perium egre ferrent, tamen id potius cum utilitate ac dignitatis ac-
cessione tolerandum, quam Ungariam in Cesaris servitutem asse-
rendam esse censuere; quibus deinde, cum vellent eam redimere,
haudquaquam foret integrum. Ad condiciones deinde pacis per- 56
ventum est; Nicolaum Mathie competitorem genere opibusque pol-
lentem, ut a rege deficeret, ambitio impulit; Sigismundum Austrie
vicinitas, qua a Cesarea voluntate non sine periculo dissentire
posse videbatur. Sed, cum multo plus periculi ab Ungaris quam 57
Australibus immineret, redactus in angustias Ungaricam tandem
salutem tueri, quam Cesaream ambitionem fovere maluit. Mathias ab 58
ineunte etate callidum versutumque ingenium sortitus utriusque
habendam rationem censuit. Nicolai ambitum promissa Bossoniensis 59
regni corona explevit, Sigismundum prefectura superioris Pannonicę
sibi conciliavit, Ioanni vero fratri provinciam Transylvanie cum im-
perio promisit. Ablatis duobus ex imperatoria factione principibus, 60
qui viribus, consilio et auctoritate prepollebant, ne parū quidem
dein imperatoris partes enervate sunt. In eum statim exercitus repa- 61
ratur, ne regnum, cuius nullum illi ius erat, impune invasisse videretur.

Contra Cesar, qui e superiori Victoria iam animum adauxerat, 62
quamvis horum resipiscentiam inique toleraret, fortunam tamen suis
ceptis a principio arridentem prosequitur. Novas in tempore copias 63
instaurat, cogit auxilia, factionis auctores promissis onerat et ad-
versus regem iterum, ut arma sumant, hortatur; quod illi multo
remissius facere visi sunt; deferbuerat enim ille furor et consci- 64
entia sua correpti ad sociorum, qui ad fidem regiam paulo ante
redierant, exemplum animos intendebant; tandem a Frederico vexati
socia iterum castra coniunxere. Mathias Sigismundum, cui legiones 65
duas et supplementa dederat, cum Simone collega adversus hostem
ire iubet; accepto is exercitu forti animo contra proficiscitur; cum 66

Cesareis in superiore Pannonia occurrisset, prelum nequaquam detrectandum esse duxit, sed cum collega, haud mora, dimicandi consilium init. Nunquam reges, inquit, Simon, sine aliqua secessione creari queunt, nam, cum varie sint hominum mentes et diversa studia, nunquam uno consensu res, que tanti momenti est, decerni potest. Post dissensionem experientia duce, que rerum magistra est, resipiscunt homines et depravata sua iudicia recognoscunt. Ingenue fateor me a rege defecisse, quando violenta regis fuere comitia, in quibus suffragiorum fuit adempta libertas, et subire nondum coronati adolescentis imperium vix mihi suadere poteram ex usu reipublice fore neque precocem regi sapientiam inesse credebam. Tu quoque, qui iussu regis in nos castra movisti infelicitaque pugnasti, aliqua te nota infectum non diffiteris. Nunc, mi Simon, tempus adest, quo suam uterque notam abolere potest; ego fideliter et tu cautius pugnando utranque nunc, queso, turpitudinem exuamus. Exploratores dudum hostes proprius adesse retulerunt; si idem, quod sentio, tibi visum erit, cras ante lucem instructa acie in Cesareos, oro, prodeamus. Audacia quandoque deterrendus est hostis et presertim Alemanus, qui suapte natura superbis, si quem in hostile metum intelligit, tantam hinc insolentiam concipit, ut obstare nemo possit; si absterreatur, audacia sic animo decidit, ut facile suscitari nequeat. Proinde convocatis centurionibus et prefectis consilia communicemus admoneamusque, ut, antequam illucescat, arma parent et hostes dato signo adoriantur.

Simon Sigismundi consilium non improbat, quippe quod fortis et astuti ducis erat. Cum tribunis militum, centurionibus et prefectis id ipsum decernunt, ex composito nondum illucescente die Cesareos adorintur; illi, cum ex improviso Pannones adesse vident, haud parum animo consternantur. Quamvis carrorum circumseptus pro vallo muniverant, hostis tamen impetum haud facile excipiabant; elato utrinque tumultu ingentique clamore tanta confusio in castris oboritur, ut, dum alii castra tuerentur, vix alii tumultuariam aciem instruerent. Mox, cum extra prodissent, ab Ungaris continuo profligantur; ceteri, cum insultantium agmen tolerare non possent, ab aversa castrorum parte relictis impedimentis terga vertere. In stat cum equitatu a tergo Simon et multos in fuga cedit. Sigismundus castris potitus signa receptui canere iubet laudatoque milite ad regem ovans exercitum reducit. Rex igitur, qui duplicem in Fredericum expeditionem per legatos iam suscepserat, in priore victus, in altera victoriā assecutus est. Imperator, cum profligatum a Sigismundo exercitum accepisset, vehementer indoluit diffusoque rubore huiuscē belli subinde penituit. Cesarem ab adolescente superari turpissimum esse reputavit et regni spe decidit et mitiora in posterum consilia inivit. Illegitime ambitionis penitentia correptus in proprii decori cogitationem recidit et, qui paulo ante de sollicitando alieno regno cogitavit, dum longius futura prospicere nititur, imperio deinde suo timere cepit. Sed utinam, veluti futura providit, sic commoda, uti res ipsa postulabat, consilia subiecisset.

E diverso Mathias de repetenda pertinacius corona sacra co-⁸⁴
gitat; legatos alios e senatus consulto decrevit, qui longe maiora
quam antea humanitate debitum sibi diadema repeterent, nullum
insolentie indicium ederent, quod in Corvina maiestate nunquam
deprehensum est; preterea de pace agerent eumque hortarentur et⁸⁵
exorarent, ut loco filii Mathiam haberet, patrocinium, ut par erat,
Ungarorum acciperet et inter Ungarum et Alemanum nullum utrin-
que discriminus ageretur. Legationis princeps Varadiensis antistes
erat. Hi, cum ad Australem Neapolim Cesarem convenissent, regia⁸⁶
rite mandata exposuerunt, mitiorem quam antea principem invenere
et, cum antistes illum magis exorabilem nactus esset, sapienti et
ornata dicendi copia eo rem adduxit, ut redditurum se coronam
ingenue polliceretur et Mathiam loco filii habiliturum, percussurum
quoque perpetuum cum Pannone fedus, dummodo id equis utrin-
que condicionibus efficeretur. Pro corona, quam apud se depositam⁸⁷
esse non infitiebatur, multa preter equum et fas mala se tolerasse
fatebatur; obsidionem hinc Neapolitanam, varias calamitosasque
incursiones, agri vastationem, rapinas pagorum et incendia se fu-
isse perpessum aiebat; quin etiam insanos pro Ladislao fecisse⁸⁸
sumptus, quarum quidem omnium rerum haud immerito rationem
haberi oportere asseverabat; posthac affirmare se intellecto Mathie⁸⁹
regis animo, qui pacem postulat et a salubri otio non dissentit,
nihil in Ungariam ultra moliturum et presertim, si veteres amicos
et assertores sui nominis, quos habet in Ungaria, a rege senserit
bene tractari et factiones ac similitates extingui. Ad hec legati regio⁹⁰
nomine asseveranter spondent Mathiam data pace redditaque
corona omnium immemorem iniuriarum fore et multo melius Cesa-
reos quam Corvinos in posterum homines tractaturum. Eo demum⁹¹
pacto legati a Cesare dimittuntur, ut de rependendis sumptibus
redimenda corona, cum rege agerent, rem haud immature trac-
tarent, de condicionibus ultro citroque decernerent et Cesari refer-
rent. Interim inviolabiles ac sacrosancte induitie forent.

Legati Budam reversi regem offendunt Bohemico bello occu-⁹²
patum; Sebastianum enim Rosgonium ad purgandam latrociniis
ulteriorem Ungariam, quibus Bohemi ab Elisabetha primum duce
Giscra introducti fecerant obnoxiam, cum duabus legionibus Da-
nubium traiicere iusserat, quin et Ladislauum Hedervarium Agrien-
sem episcopum in eos arma sumere coegerat. Auditis oratoribus⁹³
et intellecto morbo Cesaris, quem avaritia nimium laborare sen-
serat, non parva letitia et animi magnitudine affectus est, quippe
qui ex tribus bellis primum et gravissimum expleta Cesaris ava-
ritia extinctum iri sperat, reliqua prospere se gesturum esse confi-
dit. Responsa Cesaris ad senatum retulit, ex quibus patres ne mi-
norem quidem letitiam concepero; de condicionibus pacis et red-
imenda corona otiosius agendum esse censuerunt; unam tantum in⁹⁴
ea re difficultatem esse sentiebant eamque haudquaquam perdiffi-
cilem multa pecunia opus esse, quam etiam, si res ipsa tulerit,
undique corradendam esse decreverant. Res multo minoris a Ma-⁹⁵

thia quam senatu fiebat, quando e collata etiam stipe sacram coronam Ungaros ulti redempturos esse noverat. Interea Michael regis avunculus inferioris Ungarie fines adversus Turcos late tuebatur et de initis cum imperatore indutiis certior factus gravissima sollicitudine animi levatus est.

Sub iisdem fere temporibus regales nuptie celebrate, cum post mortem prioris spouse, de qua supra diximus, filie Georgii regis Bohemie iam nuptiae instarent, quam, antequam emitteretur e carcere, desponsarat. Hanc magnifico duxit apparatu miroque amore dilexit. Bohemi hanc proceres Trincinum usque duxerunt, hinc regali pompa pontifices et optimates Ungarici accepere Budamque duxere, ubi nuptiarum sollemnitas celebrata. Catherine huic nomen fuit. Vix quartum cum rege annum clausit et ante coronationem immatura morte surrepta in divite Sigismundi ede sepulta.

Bohemicum igitur bellum instabat, quo misere Ungaria vexabatur. Huiusc malis Elisabetham Ladislai regis matrem causam fuisse ferunt. Hec prima Giscram ac Telephum introduxerat, quos Cassiovie, Zolio, multis quoque oppidis in ulteriore Ungaria sane prefecerat. Successere deinde fraterne Bohemorum societates, que varia circum castella temporanea erexerant impositisque presidiis hinc discurrentes cuncta longe lateque loca vastabant, latrociniis victum querebant, cedibus, rapinis ac incendiis omnia fedabant. Annos circiter octo et viginti pestis ista in ulteriore Ungaria debacchatur; universam regionem ad Pestum usque latrociniis infestam facinorosa multitudo plane reddiderat. Ioannem Corvinum bis ibi fusum fugatumque fuisse scripsimus. Nemo tanti fuit, qui funestam gentem extirpare et hac regnum labe preter Mathiam purgare potuisset. Bellum atrox arduumque fuit et quod vix annis quinque absolvi quiverit. Preter eos, quos diximus, facinorose multitudinis duo alii principes erant, qui prefecture munus gerebant, alter Comoroskius, Valgata alter dictus est. In horum manu Syochvarum, Secchum, Cassiovia, Zolium, Bistrica, Sepusium, multa quoque alia oppida fuerant, item castella duo Comorozkius et Valgata in montibus temporario opere nuper erexerant, unde longe lateque tutiora latrocinia exercent. Nondum primus regni annus exactus erat, cum rex composito fere cum Cesare bello expeditionem Bohemicam inivit. Sebastianus Rosgonius, cui belli huiusc summa data fuerat, traepto, ut dictum est, Danubio Agriam versus castra movit, ut se cum Ladislao Agensi tunc antistite coniungeret. Agriam celerrime pervenit, ut, antequam Bohemi illa duo castella, que in montibus nuper erexerant, munitionibus ac milite confirmarent, quamprimum demoliretur; uni Galgosio, alteri castello Vadne nomen ab his nuper erat inditum. Sebastianus imprimis Vadnam in edito monte sitam adoritur, quam nondum absolverant; fraternalm exercitum in campo dimiserat, ut desilientes ex presidiis Bohemos inhiberet, ne quo confugerent. Primo insultu Bohemos cum ducibus ambobus offendit, qui extra discumbebant. Valgata elato tumultu cum non parva manu Vadnam insiluit, ut eam adversus Ungarorum impetum tue-

retur, sed, cum Sebastianum tanto impetu oppugnantem e propugnaculo despectasset, ut nullo modo protegi posset, defecto statim animo aversa ex parte desiliit et in Golgosium effugit. Cum Rosgonius Vadnam nihilo segnius oppugnare contenderet, tertia, qua ceperat, hora cesis tantum septem ex hostibus castello montano potitur, reliquos captos ad regem misit. Mox pari furore ad Galgozium properant, quo Comoroczius cum Valgata paulo ante con fugerant. Hi, cum Vadne expugnatione consternati forent, desperato Galgozii presidio non expectato hoste sese inde deripiunt, ut ad Sechum se reciperent, quod non procul ab Agria remotum est. Sed, cum ad plana descendissent, a Ladislao episcopo copiisque regis inhibiti, quas Sebastianus ad radices montium late diffud erat, ut diffugientes obcluderent, Sechum intrare nequierunt. Quod ubi prospexere, utrique duces cum septingentis fere Bohemis in proximas profusam fugam sylvas continuo rapuere; instat a tergo cum expeditissimo episcopus equitalu et in sylvis multos cedit; imminente iam nocte immissisque multis equitibus, qui eos assidue insectarentur et disquirerent, is in castra redit. Qui eos sequentur, in sequenti die ingentem rusticorum manum in eos excitarunt, quare cedes ingens continuata. Hi ne longius vagarentur, tertio die cum CC et L captivis in castra rediere. Rustici infensam ac execrabilem Bohemorum multitudinem octo circiter dies sine intermissione sequuntur cedemque continuant, per nemora, saltus et pagos, ubicunque deprehendunt, sine ulla commiseratione trucidant. Demum ad internacionem omnes cesi preter CC et L captivos cum duce Valgata, qui in sylvis captus est, quos Sebastianus omnes ad regem misit. Quare e septingentis preter alterum ducem nemo superfuit. Hoc prelum, quod in Bohemos primum fuit, circiter divi Georgii ferias gestum.

Sebastiani victoria usque adeo populis omnibus grata fuit, ut ad liberandam ceteram regionem tot annos Bohemorum latrociniis obnoxiam multi gratuito militarent, quin etiam ita cunctorum studia succedit, ut e rustica multitudine hominum circiter quinque milia ultra arma sumpserint crucisque tesseram altero humero subsutam gestarint, ut ad sacram alios expeditionem incenderent. Hi ad Sebastianum et Maiorem Blasium convenere; tertio ante Pentecosten die castellum Myslie, quod ad templum dive virginis illi quondam exedificant magnoque presidio munierant, mira celeritate circumveniunt (id a Cassiovia tribus milibus passum remotum est), tanto impetu oppugnare ceperunt, ut pugnam nunquam intermisserint, donec presidium expugnarint. Quadrungenti, qui intus erant, ad unum omnes trucidati; una tantum muliercula superfuit, cui ratio sexus ignovit. Haudquaquam in tanto successu et animorum ardore Sebastianus et Ladislaus frater cum Maiore Blasio cessandum esse censuere; circiter Pentecosten Galsech Bohemorum presidium adoruntur et vi capiunt. Mox in Telephum et Axamithum insignes latronum principes castra movent, qui Saron Pathach et varia castella tenebant; cum utroque ad Saron prelum

conserunt. Sed, cum Bohemorum duo tantum milia Telephum se-¹²⁷
querentur, tante multitudinis impetum perferre nequivere; non est diu
pugnatum, quamvis initia pugne truculenta fuere; sexcenti ex his
quamprimum cesi, capti vero CC. Cum ceteri terga dedissent, in ¹²⁸
hos rustici seviere. Ad postremum e duobus Bohemorum milibus
vix CC evasisse memorant. Axamithus in acie interfectus est. Cum ¹²⁹
quattuordecim tantum equitibus Telephum fugam rapuisse ferunt.

Victoria Rosgonios et populorum studia Bohemicum bellum ¹³⁰
continuare iubent, quamvis id ipsum etiam quotidiana Mathie di-
plomata imperarent. Fugientem Telephum Ladislaus insequitur, qui ¹³¹
ad Saron se receperat oppidum quidem in arduo monte situm et
non modo natura loci, sed arte quoque munitissimum. Dum hunc ¹³²
insequitur, Iason Bohemorum presidium ad templum quoddam edi-
ficatum obsidet, ubi Uderchsius unum e principibus facinorose
gentis esse senserat. Uderchsius nocte clam elapsus ad aliud pre-¹³³
sidium, quod in Polonie finibus erexerat, effugit, quod Brezevize
nominabant. Iason Ladislaus in sequenti die per deditio-
nem accepit. Quanquam Uderchsi fuga ad obsidendum Brezevize ipsum horta-¹³⁴
retur, Saros tamen, ubi Telephus erat, remoratur. Quod cum obse-
disset, paucis post diebus facta deditio-
ne recepit. Mox Uderchsius ¹³⁵
repetit, quem cum ad Novum Castrum in finibus Polonie situm
confugisse per exploratores plane novisset, imminentem hieme in
Ungariam ad regem ovans revertitur. Ea estate hec omnia, que ¹³⁶
diximus, in Bohemos feliciter gesta sunt. Quod quidem bellum post-
hoc vix annis quattuor transigi potuit.

Sub eodem fere tempore invidorum opera arteque Michael ¹³⁷
Silagius in regis invidiam usque adeo ducitur, ut de avunculi morte
de se optime meriti cogitarit. Simultatis causam nemo sat explo-
ratam habuit. Nonnulli probum virum summa integritate preditum ¹³⁸
et ab omni denique ambitione alienum affectate tyrannidis insi-
mulant, quam si affectasset, oblatum in comitiis regalibus regnum
a multis optimatibus accepisset neque pro nepote tantopere labo-
rasset. Qui vero equius iudicare visi sunt, ob invidiosum guber-¹³⁹
nationis munus et auctoritatem maximam conflatam in hunc invidiam ab adversariis eiusque severam adversus regem censuram
huiusc malii causam fuisse prodidere. Haud secus atque pater pro-¹⁴⁰
fusam Mathie adolescentiam liberius castigabat, corripiebat clam te-
tricis quandoque verbis, ne etatis vitio in gravem intemperantiam
prolaberetur. Qui autem regis gratiam voluptatum lenociniis inire ¹⁴¹
nitebantur et quicunque Michaelis aut potentia reformatarant aut
inviderant dignitati, utrique certatim in nepotis odium adducere stu-
duere; alteri, ne dissimilem sui regem haberent, alteri, ut invisi ¹⁴²
hominis auctoritatem attenuarent et inusitatam in comitiis audaciam
ulciscerentur. Quod ut facile assequerentur, variis apud regem cri-
minibus eum afficiebant; accusabant anhelate tyrannidis, suspicio-
nes varias suscitabant et liberas illius increpationes severamque
censuram in malam utriusque partem interpretabantur. Accedebat el-¹⁴³
lus regis animus, qui senis imperium et admonitionem haud facile

tolerabat. Atqui memini Mathiam Vienne paulo ante mortem sepe ¹⁴⁵ dixisse se in administrando regno nunquam alieno consilio esse usum, quin etiam a sui regni principio vix unius anni gubernatoris moderationem et consilium tolerare potuisse. Quare factum est, ut ¹⁴⁶ tanto magis delatorum criminibus foret obnoxius. Eo igitur male-dici rem adduxere, ut ad coniiciendum in vincla Michalem regem sane perpulerint rati quoque exin ad mortem adducturos. Rex male ¹⁴⁷ persuasus avunculum gravissimi colloquii gratia ad Tibiscum am-nem festinare iubet se illic propediem affuturum esse significans. Is nepotis chirographo admonitus cum expeditissimo festinavit ¹⁴⁸ equitatu neque non veritus, ne qua malevoli suspicione regis ani-mum depravassent, quorum iniquam in se mentem esse intellexe-rat; verum ius sanguinis, vis paterne charitatis et immortalis bene-ficii magnitudo omnium mentem suspicione abalienabat.

Cum utriusque ex composito ad colloquium convenissent, Mi-chaelem in proximo Tibisci pago a validissimo equitalu circum-ventum repente capi iubet et in vincla coniici. Vix hec dixerat, cum ¹⁵⁰ a pretoriana cohorte ex insperato capitul non parum nepotis facinus ac rei insolentiam admiratus, quin etiam aliqui non probe sentientes exposcente rege manicas et pedicas avunculum respondisse ferunt: In meo curru disquirite, quas regi compararam, ut, si quid im-proborum criminibus impulsus in avunculum auderet, tales gubernatori penas daret. Ex his verbis falso aliqui virum illum integer-¹⁵² rimum calumniis affectate tyrannidis afficiunt. Contra, qui affuere, ¹⁵³ Quid hec rei insolentia, Mathia, sibi vult, protinus exclamassem dicunt; hem, hec pro dato regno merita avunculo rependuntur? hec gratia cumulata referunt? Num hec Michaelis fides et charitas pro-¹⁵⁴ meretur, qui plentissimi te loco parentis ad ultimum cum ipsa domo redactum interitum, e carcere eductum ad regni fastigium evexi. Huc te improborum consilia et delationes adduxere, ut regnum ab ¹⁵⁵ inaudite ingratitudinis infamia auspicareris? O infausta regni au-¹⁵⁶ spicia, o inauditam nepotis impietatem, o insignem ingratitudinem gentium ubique predicandam! Si tuis hostis fueris, quem alienum tibi fidum inveneris? Non me propria calamitas et illata preter ¹⁵⁷ equum et fas turpitudo, sed gravis tui nominis expectationisque iactura vehementer angit; sat vixi satque laudis domi forisque mihi ¹⁵⁸ comparavi; ego nihil mihi timeo, conscientia rerum bene gestarum me bene sperare iubet. Sed, que te ex hoc facinore supplicia ma-¹⁵⁹ nent, que tibi numinibus lese pietatis ultiibus expendenda sunt, hec ipsa me sane deterrent.

Talia obclamitatem rex ultra tolerare non potuit, imperavit in ¹⁶⁰ vincla coniici et mox ipse terga vertit. Circumstabant illi, qui ob-¹⁶¹ struendas avunculi dictis aures esse suaderent asserentes iure cap-tum, aliud nunc dicere in regem, aliud esse molitum; verba cum rebus haudquaquam consentire; nepoti semper durum morosumque ¹⁶² fuisse nullave lenitate usum, sed dicta factaque pariter improbassee et, ut sibi cunctarum rerum laudem compararet, hanc in guber-nando artem usurpasse; duos Ungariam reges paribus auspiciis ¹⁶³

imperantes nunquam habuisse; Mathiam regno satis esse et ea quidem sapientia, ut neque tufore neque curatore indigeat, qui his ex lege dari solent, qui rationis impotes et consilii reputantur. His 164 igitur animum adolescentis sic incidunt, ut colloquium regis efflagitanti obstinatius abnegaretur. In sequenti die Michael iussu regis vinctus ad Vilagusvarum, quod Lucidum castellum interpretantur, Turcis quoque finitimum non sine cohortis pretoriane custodia ducitur. Committitur duobus castelli prefectis, qui ob Turcorum 165 metum cum valido id presidio tenebant. Horum alteri Gregorio Labathano, Georgio Dalchio alteri nomen erat. Commissum sibi 166 virum in carcerem coniiciunt, custodes preficiunt, omnes evadendi modos inhibent. Ceterum pro viri dignitate bene tractant. Exoranti, 167 ut veterem fidumque coquum domini gulam probe callentem sibi servire permetterent, concessere.

Interim Michaelis inimici haudquaquam ultra cessandum rati 169 multa apud regem in eius mortem moliuntur et tot miserum criminibus onerant, ut nepotem ad indicendam avunculo necem impellerent. Vincitur tandem inquis persuasionibus tenellus adolescentis 170 animus et pro invidorum libidine prefectis custodie regio diplomate mandatur, ut extremo suppicio Michaelem afficiant. Id inscio rege 171 sub adulterinis plerique litteris factum existimant, qui rei veritatem diligentius explorarunt. Gregorius et Georgius hunc capite multare 172 iussi ne precipiti quidem consilio in re tanti momenti utendum esse censuere; id improborum scelere ac inscio rege factum esse 173 rati consilia inter se conferunt alterumque ex ipsis ad explorandam regis voluntatem omnino mittere decernunt et de Michaele supplicium sumere non deliberant, quoisque ex ipso regis ore imperiosum mandatum explorator non acceperit; in regium sanguinem 174 nequaquam temere neque uno, nisi altero ac tertio eodemque capitaculum rerum supplicium interminante edicto seviendum esse arbitrantur. Gregorius ad explorandum regis animum proficiscitur.

Interea coquus astus ac fidei iuxta compos cum tribus conservis pari fide preditis liberandi domini consilium init; improvisum ad rem perficiendam Turcorum incursum comminiscitur; ex arce 176 Turcos adesse clamitans presidiariam cohortem adhibitosque custodes omnis arma sumere iubet, se quoque in arma furere simulat. Credula e castello multitudo prodit; novissimus cum tribus 177 conservis iste subsequi fingens mox egressis a tergo portam obstruit et quibusdam cesis, qui in arce remanserant, fracto carcere Michaelem educit, in pristinam libertatem asserit castellique dominum statuit. Ad falsum quicunque tumultum prodierant, cum nihil vidissent, subinde reversi occupatum a Michaele castellum et obclusam sibi portam comperierunt; cum vi recipere niterentur, illico reiecti abiere. Michael igitur salute simul et arce ex insperato potitus rusticā manu sibi deditissima commeatibusque oppidulum complevit, mox accitis amicis ac suis legionibus imposito presidio obfirmavit. Memorabili nimirum moderatione posthac usum ferunt, quippe qui 179 recuperata salute viribusque suis non ad ulciscendas nepotis inimi-

corumque iniurias, sed ad vindicandas a Turcorum incursu inferioris Ungarie oras animum intendit; in posterum se curia abstinentum esse censuit. Ad regem mox nuncium salutis sue misit ¹⁸¹ se plus coquo quam nepoti debere significans, quando alter inique in carcerem conieccisset, coniectum fide liberasset alter et hic ingratitudinis, fidelitatis ille perpetuum sibi nomen comparasset. Ne ¹⁸² parvo quidem hinc Mathias rubore suffusus esse dicitur; nec aliquod doloris indicium edidit. Sevitiam aliena culpa patratam recognovit et faciles maledicentibus aures haudquaquam adhibendas hinc primum didicit. Rescripsit ad avunculum liberationem suam, ¹⁸³ que propediem instabat, fuisse gratissimam atque id dumtaxat tristitia attulisse, quod non ingenue fatetur coquum liberationis auctorem pietatis et resipiscentie sibi laudem preripuisse. Id nonnullorum ¹⁸⁴ scelere factum esse non initiatitur, quorum libidini se regni initium, etatis vitium auctoritasque regia nondum obfirmata fecerat obnoxium; se nihil in eum cogitasse affirmabat, quod propter beneficii magnitudinem et sanctitatem cognitionis esse videretur. Quin etiam ¹⁸⁵ haud parum auctoritatis ex hac re sibi comparasse fassus est, cum improbi plerique proceres hinc maiestatem regiam revereri et timere dudum occuperint. Eum igitur bono animo esse iussit et futuram propediem honestissimam reconciliationem nunciavit. Sunt, ¹⁸⁶ qui ferant id ex industria a Mathia factum, ut debitam sue maiestati reverentiam et optimatum metum ab avunculo primum auspicaretur. Sed de his hactenus.

Insequenti anno, cum Bohemicum in visceribus Ungarie bellum et necessaria Michaelis reconciliatio superesset, Sebastianus primo tempore Rosgonius iusu regis in Bohemos castra movet; ipse ¹⁸⁹ propediem, ut se avunculo reconciliaret, ad Tibiscum amnem profecturus erat, quamvis regni negotia cunctationis aliquid interiererent. Bohemi ligneum in monte castellum fecerant, quod Batha ¹⁹⁰ nominarant, non modo loci natura, sed arte ac presidii robore magnitudineque munitum. Id imprimis prefecus regis adoritur obsidenteque; primo die, cum se ad expugnandum accingeret, intercedens pluvia prelum diremit; secundo pugnam instaurat, completa fossa ¹⁹² vallum aggreditur, militem quenque fortissimum linea menia subire iubet. Contra illi, cum se acriter oppugnari cernerent, subeuntes ¹⁹³ deturbant, admotas muro scalas reiciunt, in hos saxa devolvunt, alios discusso securi capite diruunt. Ipsi quoque sagittis, lanceis ¹⁹⁴ sulphureisque missilibus petiti haud impune seviunt. Multi utrinque eo die cesi, saucii vero multo plures. Cum irritos sibi conatus Rosgonius fore existimaret, ne frustra tempus tereret, ad regem venire decrevit haud ignarus hoc bellum regias quoque vires addecere. Audit ad Tibiscum amnem reconciliationis gratia illum iter facere; ¹⁹⁶ quare exemplo secutus in citeriore Tibisci ripa ad Varcon regem adhibet. In ulteriore ad Tyssavarsian Michael erat avunculus; dies ¹⁹⁷ ibi aliquot acti sunt; colloquium in Tibisci ripa celebratum; pauci utrinque arbitrii affuere. Multe a principio ultro citroque intercessere ¹⁹⁸ incusationes et querele, multe utrinque purgationes interiecte. Ad po-

stremum postulata et concessa mutuo venia pacati animi et admotis deinde pontificibus, prefectis legionum et proceribus reconciliatio non sine lacrimis ac icti perpetui federis sollemnitate transacta. Post hec Michael Silagius regem Agriam usque secutus, ut frequens ibi de imminentibus bellis et distribuendis expeditionibus conventus haberetur. Hic Michael recuperata dignitate pristina inferioris Ungarie provinciam cum imperio sortitur, ut adversus Turcorum incursions eam solita diligentia et fortitudine tueatur. Sebastianus ductu auspiciisque regis in Bohemos revertitur, ut una cum rege ceterisque proceribus superiorem Ungariam latrociniis et servitute Bohemica liberet. Michael in provinciam mox profectus castellum Chevi, quod prope Synderoviam situm est, mira arte ac omni munitionum genere, ne quid a Synderovia, a qua nimium sibi timebat, mali iam acciperet, obfirmavit.

Mathias reconciliato avunculo omni fere improba sollicitudine liberatus expeditionem Bohemicam forti animo adoritur imprimis que Patha, ubi Sebastianum frustra pugnasse diximus, dura obsidione circumvenit et ea quidem mente, ut nunquam hinc recederet, donec hostili et calamitoso oppido potiretur, quod latrocinantium asylum esse noverat. Hostes presentia et apparatu regio consternati per internuncios imprimis cum eo agere ceperunt, ut quadriduanas secum industias faceret, interea de facienda inter se dedicatione decernerent. Dantur industrie et pactiones inter eos facte, ut, si ad statutum diem auxilia non haberent, sese dederent. Que cum habere nequivissent, cum omnes rex aditus occupasset, ad prestitum ex compacto tempus deditioinem fecere. Multa adhuc oppida et castella supererant partim olim ab Ungaris, partim ab ipsis erecta, que Bohemi perlinaciter retinebant. Recepta Patha Mathias Syagiohymti Syagiophique castellum obsidet, que in superiore Ungharia olim erexerant, eaque sine magno negotio recepit. Deinde ad Baloswar castra movit et potitus oppido paucis mensibus tria presidia expugnavit, imprimis Gemerthum, deinde Drenech, tertio Usdyn. Supererant et alia, que Bohemos adhuc Ungaria cedere non patiebantur; hec non multo post tempore Mathias in dicionem suam plane redegit. Nanque Rymam, Secchum, Serchietum, Zaygriapheon, Sagylgon et nonnulla alia partim vi, partim ex deditioine cepit. Duos hic annos a Patha obsidione in hunc usque diem exegerat, Giscram autem nondum attigerat Bohemorum principem et huiusce belli moderatorem, qui ad Zolium late dominabatur.

Expugnatis rex presidiis et oppidis, que paulo ante retulimus, Budam rediit ibique Emericum questorem regni cum magna potestate reliquit. Nam in superioribus Emericum e paternis amicis haud dubie primarium spectate virtutis et sapientie virum, in inferioribus vero Ungarie partibus Michaelem avunculum rite prefecerat. Quin et Emerico Stephanum Batorem collegam adiecerat vetustissimo Ungarorum genere natum, veluti variis in locis ex universa historia colligi potest, virum profecto impigrum, ad gerenda tantum bella natum, ab initio etatis de se maxima queque polli-

centem quando a tirocinii sui die tantam fortitudinem, prudentiam, severitatem cum inaudita castitate coniunctam pretulit, ut ex eo tempore, quanti foret, augurari quisque facile potuisset. Stephanus ²¹⁶ Emerici frater natu minor impari auctoritate, contra tunc fortitudine et probitate pari, ut cum fraterna laude certaret, in eo bello fuit. Saron oppidum haud invito fratre circumvenit, ubi cum validissimo ²¹⁷ sane presidio Pan Mathiam, Corobin, Maczyn, Belian et Russiam exploratae virtutis ac fidei centuriones Giscra prefecerat. Id in edito ²¹⁸ monte situm ad radices ligneum castellum fuerat Bohemorum, quod Ungari vi ceperant. Stephani peditatus absente inscioque ipso Saron adoritur et oppugnat. Cum pugnam temere inivisset, parum prospere dimicatum; plures enim ex Ungaris quam Bohemis in eo prelio cesi capti^{que}. Saros ab altera Eperies, ab altera Sibinium ²²⁰ parte habet; ad quintum lapidem est Eperies, ad decimum vero Sibinium, ubi Stephanus hibernabat; quod quidem totum e materia confectum est. Bohemi recenti victoria elati e Saro in Sibinium ²²¹ descendunt, ut ligneam civitatem incenderent Stephanumque cum cohortibus caperent. Equitatus autem, qui in castris erat, prospecto ²²² Bohemorum insultu a tergo adurget. Cum illi Sibinium oppugnare succendereque cepissent suburbanaque diriperent, instant a tergo isti universumque in se impetum convertunt. Pugna hic atrox et ²²³ feda committitur; diu variante fortuna pugnatum et multi ultro citoque saucii et imperfecti. Bohemi tamen numero viribusque in tumultuario illo prelio superiores Ungarorum tandem equitatum inclinarunt; is terga dare coactus rapta in proximas sylvas fuga diffunditur et instante nocte pugna dirimitur.

Cum a suis male pugnatum Emericus ac Stephanus accepissent, irritatis multo magis quam olim animis et artiore quidem obsidione Saron obducunt, locum natura arteque munitissimum et vi nequ quam expugnabilem inedia superandum esse decernunt, vias omnes preoccupant, ne quid commeatum a Giscra posset inferri. Bohemi, postquam sibi aqua et cibo ab hoste interdictum esse intelligunt, ne fame absumerentur, ad Emericum Stephanumque Battora litteras mittunt, quibus colloquium sibi dari postulant, quod cum facile impetrassent, Pan Mathias cum collegis de ditione Sari legibusque eius agere occipiunt. Post dies aliquot eam transigunt et ea quidem condicione, ut salvis corporibus et impedimentis oppidum dederent. Condicionem Emericus accepit tertioque die Saro potitur. Post hec recepto Saro, quod magni momenti ²²⁷ esse videbatur, ad recipienda finitima oppida, que adhuc gravi Bohemorum imperio premebantur, ad Uivar mox castra mota paucisque mensibus Uivar, Richno, Sepusium, Kezmarcumque recipitur. Cetera quaque castella Bohemorumque presidia partim deditione, partim pecunia recepta sunt.

Solus Giscra supererat caliditate, experientia et animi magnitudine prestans; is intellecto regis ingenio, cum se viribus imparem novisset, subornata cum eo liberalitate agendum esse reputavit, ut arte potius se suaque tueretur, quam regem beneficio superaret,

Conflatum in se regis impetum ac Ungarorum invidiam brevi qui-²³¹
dem epistola declinavit: Ex ingenti mea in Ladislaum olim regem
charitate, rex inclyte, in impietatem et latrocinia incidi, sic me deus
adiutet, invitus; Elisabetha regina, ut postumi adversus Polonum
regni iura tuerer, hanc mihi ulterioris Ungarie oram introducens
dedit. Post hec varie facinorosorum manus insecurae, quas liben-²³⁴
tissime data magna licentia admisi, ut facilius, utcunque possem,
delegatam provinciam propugnarem. Feci id pro virili mea non
minus obstinato, quam fido animo. Polonus sepe fudi; cum patre
tuo bis prospere conflicxi Ungarorum potius invidorum proditione
quam mearum legionum viribus adiutus. Ad hec usque tempora
traditam mihi provinciam in mea potestate servavi atque, si adhuc
Ladislaus viveret, sub eius dictione servarem. Nunc autem, quando illo
mortuo te e carcere non sine divino numine ad regie maiestatis fa-
stigium preter opinionem omnium elatum esse video, nimirum haud-
quaquam sic humanitatis expers sum et ab omni iatione destitutus,
ut inter Ungaros ultra sevire et cum divina voluntate colluctari ve-
lim. Quid paterna virtus ac merita, quid indigna fratris mors et
generosa tua indoles ac intempestiva sapientia mereatur, non me
latet. Facinoras hactenus societas, que hic sub tutela nomine-²³⁹
que meo longe lateque latrocinia agitabant, forti animo eiecisti et
extirasti omnes; solus Giscra superest ad hunc usque diem in-
festus, qui, nescio, quid magni de Mathie triumphis et gloria au-
guratur. Proinde, ne laudis victorieque tue primordia invitatis nu-²⁴⁰
minibus intercipiam, id mihi certum esse scito me provincia ultro
cessurum, obtemperaturum victrici Mathie dextre et ubique gentium
ipsius imperata facturum acceptisque legatis civitates et oppida
sponte resignaturum.

Haudquaquam spes Giscram consiliumque feffellit. Rex perlec-²⁴¹
tis litteris se ab hoste multo pulchrius armis quam beneticio vinci
posse ratus ad eum continuo legatos misit, qui oppida reciperent,
Giscram abire volentem suo nomine remorarentur, condicionem
optimam et amplissima queque dona pollicerentur. Legati mandata
transigunt compositisque rebus ad regem Giscram promissa incol-²⁴²
lumitate ducunt. Gratissimo ac hilari a rege vultu his verbis ex-
cipitur: Nunquam me beneficentia, mihi crede, Giscra, superabis;²⁴³
turpe est reges acie vinci, sed beneficio turpius; immo, quicquid
in regem meriti confertur, feneratorium illud esse debet, ut regia
dignitas rite servetur. Sat mihi tua fides virtusque spectata est. Tu
autem, quando inter raros referendus es, ad aliena te servitia exire,
Giscra, non patiar. Sub Mathie ductu et auspiciis eadem, qua sub
Ladislao quondam, fide stipendia facies. Quare, quod nostra sine
bello reddideris, quod nihil ultra negotii facessere decreveris, quod
liberalitate nobiscum potius quam acie agendum esse censueris,
hec imprimis a Mathia tuo nunc habeto: Lippam et Zolium oppi-²⁴⁶
dum tibi recipito, quinque ac XX aureum milia dono nunc acci-
pito, honestissima te cum proceribus Ungarie affinitate coniugari
tolerato commodissimamque mecum militiam gerito. Giscra ad hec²⁴⁷

regia liberalitate confusus, cum suppicio potius quam magnificis donis se dignum esse iudicaret, in lacrimas convertitur et pauca respondens fidelissimum perpetuumque obsequium interiecto sancte iuramento regi pollicetur et devovet. Paucis post mensibus Ioannis Ursach, prestantis quidem proceris e multis filia deligitur, quacum Giscra cum sollemni apparatu nuptias celebravit et addictam regi fidem ad mortem usque sancte servavit. Telephus autem, qui ante fusus fugatusque erat, in Bohemiam rediit. Cum datam nemini fidem prestisset, eo miseriarum redactum fuisse ferunt, ut in foro sportulam circumferret et vix quandoque obulum haberet, quo ad popinas paululum carnis emeret. Tales igitur perfidie latrociniique sui penas facinorosorum ille princeps expendit. Hic demum belli Bohemici finis fuit. Nam, postquam Giscra cessit, nil ultra superfuit. Miseram tandem Ungariam, que annos octo circiter et XX Bohemorum latrociniis et rapinis obnoxia fuerat et nulla unquam vi liberari potuerat, Mathias inito regno grassatoria turba purgavit.

Sub iisdem temporibus Turcorum bellum oboritur; Maumethes enim consternatam ex Albana quandam clade spem ad subigendam Pannoniam resuscitare ceperat. Impellebat ad hoc adolescentia regis, procerum discordie, Frederici ambitus et intestina finitimaque bella, que nondum adhuc neque tam feliciter composita esse noverat. Alibechum igitur superioris Mysie prefectum Pannoniam traecto Savo incursare, ferro ac igni cuncta vastare iusserat. Syrmensem imprimis desidente Savo agrum invadit, Cheulpen Sanctumque Demetrium populosa tunc oppida diripit et incendit; adacta mox audacia longe lateque populatur, ad Futhachum usque discurrit opulentum sane oppidum in Danubii ripa situm, quod vix fossa ligneaque menia a fere gentis incursu servare potuerunt. Effuso rumore pro Turcorum libidine omnia miseri diripiique exemplo Michael et Petrus Socoli Canadiensis episcopi pater, vir impiger ac strenuus ne minori quidem animi magnitudine, quam rei militaris disciplina prestans cum tumultuariis copiis occurruunt, ne ultimum illum inferioris Pannonie tractum, quem adhuc magnam Italiam appellant, in Turcorum servitutem coniici paterentur. Haud procul a Futhacho ingenti preda onustos adoriuntur. Alibechus obstricta artius captivorum turba et deposita preda instructum in hos equitatum convertit. Pugna vehementi utrinque impetu inita, quando abactam hi predam efferre, contra isti spolia recuperare studebant; paribus utrinque viribus aliquamdiu dimicatum. Sed Alibechus intellecta Un- garorum pertinacia roboreque dimissa tandem preda terga vertit, ne ditandi gratia vitam amitteret; id ipsum reliqui fecere Turci equorum perniciitate freti. Instat a tergo Petrus et recuperata preda longoque captivorum ordine adhuc latrocini ab hoste penas exigere contendit. Cum eo pari celeritate expeditissimus regis equitatus insequitur. At, ubi ad Savi fluente perventum est, maxima in ripa cedes redintegratur; nam e Turcis, quicunque instantem a tergo hostem reformidabant, pars in amnem se proiicere, peti telorum multitudine ac iuxta demergi. Alii, ne inulti caderent, in hostem se convertere

et ad mortem usque obstinatius dimitare. Multi instaurata in ripa acie animosius agere et pulchre ibi oppetere. Pauci demum cum ²⁶² equo Savum tranantes Synderoviam se receperunt. Ad Sarnon usque oppidum hos Petrum profligasse ferunt.

Alibechus Synderoviam aufugerat; fide fuge turpitudine usque ²⁶³ adeo angebatur, ut eam propediem abolere decreverit. Quattuor milia expeditissimorum delegit, ut clandestino incursu Transylvaniam invaderet et magna cede incendioque patrato in Mysiam se repente reciperet. Mathias, qui preter etatem profani hostis astum ²⁶⁴ noverat, illum haudquaquam quieturum esse ratus omnis legionum prefectos eo diligentius fines iueri et cautius cum Turco agere iubet. Clandestinis, quid ille molitur, exploratoribus scire precepit; futuram in Transylvaniam illi excursionem referunt. Rex Pancratium ²⁶⁵ imminentis periculi admonet imperatque, ut impositis ubique speculatoribus provinciam a Turcorum incursu tueatur vel, si eos alio iter capere senserit, occurrat. Pancratius regia mandata servans ad ²⁶⁶ Themesvarum cum validissima Sithulorum manu Turcis occurrit; cruentum hic prelum initur. Alibechus recenti turpitudine se exuere, ²⁶⁷ contra Pancratius provinciam tueri et perniciose gentis audaciam proterere contendit. Multi utrinque cadunt, sed, cum Turci Ungarorum vires ultra tolerare non possent, haud invito Alibecho fugam rapiunt. Instant a tergo Sithuli duceque Pancratio ne parvam quidem stragem patrant et ad Danubium usque sequuntur. Alibechus ²⁷⁰ fusus fugatusque Synderoviam revertitur et prospecta novi regis fortuna multo posthac cum adolescente cautius agendum esse reputavit. Duplici iam clade confectus graviter angitur, cum suo mul- ²⁷¹ tum nomini hinc detractatum iri vereatur.

Mathias contra maiore fit in dies animo, maiores pectore spi- ²⁷³ ritus concipit et, cum pro vita, ut ita loquar, hucusque pugnarit, pro gloria posthac certare decernit. Unum obstabat, quod, antequam ²⁷⁴ iite coronaretur, nil sine magna sollicitudine se moliri posse cernebat; quare corone redemptionem Ioanni episcopo Varadiensi spectate fidei et prudentie viro commiserat. Is clam cum imperatore ne ²⁷⁵ inconsulto quidem rege rem ita composuerat, ut coronam Hungaria milibus aureum septuaginta redimeret. Cum id proceres forte sen- ²⁷⁶ siscent, ad imperatorem scripsere se conventione cum Ioanne Vradiensi transactam dudum accepisse nimiumque mirari propriam tanti coronam redimere oportere; eius maiestatem admonere, ut cum ²⁷⁷ Ioanne cautius agat, a quo, ne verba dentur, admodum vereatur, cum nihil de conventione hac gravissima ad senatum hec tenus sit relatum; ipsam fine senatus consulto nullo modo fieri posse; que- ²⁷⁸ cunque a Ioanne ultiro citroque agitata sunt, ipsis hec invitatis ac in- sciis fuisse tentata. Cum has imperator litteras accepisset, ad Ioan- nem quamprimum scribit; initis inter se pactionibus, quantum ex illorum litteris intelligere potuit, regni proceres stare nolle, obmurmurare passim et conqueri pretii gravitatem, quod solvere non possent atque, si etiam solvendo essent, tanti nunquam redimerent; proinde petere se ocissime fieri certiorem, anne paciones inite pro

factis an irritis et infectis haberi debeant. Ioannes perfecta impe- 280
ratoris epistola, cum forte Varadini foret, extemplo ad Mathiam,
qui Segedini copias comparabat, ut in Transalpinos proficiseretur,
suas cum Cesareis litteras misit, quibus optimatum quorundam
avaritiam et improbitatem patefecit. Rex, ubi utrasque perlegit, ne 281
Cesari verba dare videretur, Varadinum cum proceribus extemplo
concessit ibique coacto senatu de bello et corona agi ceptum est.
Inde profectus Cibinium venit, ubi postquam de redimenda corona 282
decreatum est, ibidem septemviri quoque creati ex consulto patrum,
qui sacram coronam redimerent redemptamque cum decenti, ut
par est, apparatu referrent. Septemviri designati hi fuere: imprimis 283
Ioannes Varadiensis antistes, Stephanus metropolita Colociensis, Ni-
colaus Uilachius, Ladislaus Palocius, Emericus questor regius, Le-
remberger et Benedictus Turcius. Soluto senatu rex in Transal- 284
pinos, legati ad Cesarem festinarunt. Sed de Mathia prius, deinde
de corone redemptione dicatur.

Rex in Transalpinos ad liberandum Draculam e Turcorum 285
manibus contendere dicebatur, cui mulierem suam quoque consan-
guineam legitimo matrimonio coniugarat. Illuc prefectus, nescio, qua 286
causa, quando id nemini satis compertum est, Draculam in Tran-
sylvania cepit, alterum vero Draculam a Turco in provincia pre-
fectum preter omnium opinionem approbavit. Hunc Budam capti-
vum duxit decennalique carcere multavit. Inaudite crudelitatis et 287
iustitie Draculam fuisse memorant. Hunc aiunt Turcorum legatis
in preveneratione pilea Phrygia ex patrie instituto deponere recu-
santibus confirmandi moris gratia tris capiti clavos affixisse, ne
amplius amoveri possent; innumeros palis Turcos prefixisse et in- 288
ter eos cum amicis laute discubuisse; mendicos insuper omnis
deperdite ignavie miserabilisque valitudinis et fortune lautissimo
convivio excepsisse, deinde cibo vinoque completos iniecto igni ab-
sumpsisse; item Turcis sepe captiuis cute pedes exuisse contuso- 289
que sale perfricuisse, mox lingentes salsa plantas capras adhibuisse,
que lingue asperitate cruciatum augerent; mercatorem Florentinum 290
de asservandis pecuniis sollicite percunctantem in media deponere
via iussisse et nil de numerata nocte pecunia mentientem incolu-
mem dimisisse; in barbara regione tanta severitate usum, ut in 291
media quisque sylva cum rebus tutissimus esse posset. Hunc de-
inde Mathias in pristinam dignitatem sane restituit; sed in Turcico
demum bello cesus; caput ad Maumethem dono missum.

Equitum legati circiter tria milia duxere, ut coronam pro di- 292
gnitate referrent. Cum in Australi Cesarem Neapoli esse sensissent,
Sempronium venere, sed, antequam urbem inirent, a Cesare pote-
statem impetrarant, ut Sempronius hospitio uti liceret, donec
de corona transigeretur et re transacta integrum civitatem relin-
querent. Sempronium enim olim una cum arce Elisabetha Cesari 293
oppignerarat. Deinde cum universo Neapolim equitatu oratores con-
tenderunt. Cum urbi appropinquassent, Cesar ab arce copiarum 294
multitudinem admiratus ex insolentia rei formidare cepit, mox portas

iubet obcludi, disponi per menia stationes ; et hanc non legationem, sed hostilem exercitum reputare. Cum portas propius accessissent easque sibi legationis iure patefieri postularent, eo obfirmatus obdit. Paulo post Cesaris orator urbe prodiit non tot dicens copiis nec tam expedito coronam equitatu repeti, sed insidias obtendi, expugnari civitales, predas abigi et agros vastari solere ; demum, ne inite concordie pactiones rescindantur, Cesari placere Ioannem tantum Varadiensem episcopum cum ducentis equitibus urbem tuto intrare exire. Respondere oratores sacre corone religione se adac- tos cum magnifico equitatu venisse ; nullam suspicionem concipi oportere, se a Cesaris voluntate nequam dissidentire. Quare Io- annes cum ducentis duntxat equitibus Neapolim ingressus est ; ceteri college Sempronium rediere. Mensis hic a Ioanne actus. De- dum re composita cum imperatore peregit, ut Ladislaus Palocius Sempronio Neapolim advocaretur, qui sacram coronam recognoscet. Duas coronas adulterinas affabre ab imperatore factas rumor erat, ne vera dignosceretur, atque id quidem Romanorum exemplo, qui duodecim ancilia, ne verum facile intercipi posset, Mamurio auctore fabricati sunt. Ladislaus accitus veram sacramque coronam primo obtulit signo quodam recognovit. Pauchirher et graph Micher a Cesare Sempronium ad reliquos missi, qui eos ad urbis menia ducerent et allatas pecunias explorarent. In sequenti die ad suburbana perventum. Tunc iterum citro ultiro redintegrata contentio, nam nec coronam hic sine pecuniis nec illi pecunias sine corona dare volebant. Par utrinque intercesserat differentia. Varadiensis tandem et Pataviensis episcopi interventu prestita utrinque fide factum est, ut ad portas urbis uno eodemque tempore et hinc corona legatis et hinc pecunie Cesari traderentur unoque momento compensatio fieret. Itaque res ex composito transacta et sacra LXXX milibus aureum corona redempta, condiciones perpetue pacis eodem exemplo exscripte utrinque date, ne violari aut aboleri facile possent.

Quicunque Cesaris Frederici et Mathie Corvini Pannoniarum regis initum nuper fedus et concordiam scire cupit, ista legit : Cesar, ut exorium e deposita sibi corona bellum extinguat, Pannoni, cuius est, ne regnorum moderator iniuriam facere videatur, eam redditio, pactam iuste pecuniam accipito, Mathiam filii loco semper habeto, ius omne regni illi cedito. Contra Mathias, ut parem beneficio gratiam referat, Cesarem tantum parentem agnoscito ; si liberis absque legitimis diem extremum obierit, Pannonici regni ius Cesaris mox esto, quin et nonnulla Neapolitane dicionis oppidula vicique intra Pannonie fines effusi potestatis quoque Cesaree sunt ; Alemanus et Ungarus sine ullo discrimine ab utroque principe trac- tator, veterum iniuriarum sectator instauratorve discordiarum capitalis esto ; quicunque demum fedus rite sancteque percussum le- serit sanctionemve hanc cum summa per legatos potestate initam violarit, veluti publici et communis otii pacisque interceptor et de- orum penatum violator igni ferroque, ut feda porca, feritor.

Coronam igitur Sempronium, que annos quattuor et XX sub

Cesarea potestate fuerat, singulari pompa leti festivique haud aliter, atque rem celo demissam, tenuis advehunt. Ibi oratorum auctoritate 311 promulgatur edictum lateque diffunditur, quicunque recuperate sacre corone gratia et religione capiuntur, liberam visende recognoscende- que potestatem omnibus triduo Sempronii fore. E finitimis oppidis 312 et pagis religionis amore innumera multitudo confluxit, agnovit agnatamque prereverenter adoravit; mox Budam delata in arceque recondita. Sed legati ad regem festinarunt, quem in Syrmiensi agro 313 adversus Turcos agentem invenere. Hinc enim Turcos per Ladis- laum Marcum prefectum legionis nuper eiecerat et hoc bello suc- censu adauctusque animo, quod sacrum diadema redemerat et cum altero imperatore terrarum pacem fecerat, ad obsidendarum lay- zam properabat. Hec urbs est in edito monte sita in mediterranea 314 Illyrici regione, quam duo amnes circumfluunt preruptisque rupibus et vadis obfirmant, ad radices montis et urbis ambitum confluunt admixtique una in Savum deinde feruntur; a tergo profusa plani- ties (Bosseniensis quondam regni hec caput erat) inexpugnabili 315 arce et hostibus inaccessibilis. Res est altiuscule repetenda.

Georgio despoti, de quo multa supra diximus, liberi Iris mares 316 fuere: Stephanus, Gregorius et Lazarus; Stephanum et Gregorium Turcus excecauit. E Stephano Lupus mire fortitudinis, e Gregorio 317 despote nostri temporis Ioannes ac fratres sunt geniti. Lazarus, qui regno successit, unam tantum filiam genuit, quam Stephanus Bos- sinensium rex uxorem duxit. Is defuncto Lazaro socero suo non 318 solum uxore, sed regno quoque una potitus Bossene et Rascie iuxta dominabatur truci ingenio, summa impietate et profana religi- one preditus. Anno salutis quadringentesimo sexagesimo tertio supra 319 millesimum, cum in superiore Mysia late imperaret, blanditiis Ma- umethis Turcorum imperatoris e castello clam evocatur, accitus in colloquium repente capitur, barbari iussu cute exuitur; regnum, 320 quod a patre dolo surripuit, cum vita simul amisit. Huius igitur temeritate scelereque Rascia et Bossenna cum magna Servie parte in Turci ditionem pervenit.

Mathias igitur, cum Savo tantum se a Turco disternari 321 conspicaretur, rem sacra profecto corona dignam aggredi constituit. Exploratis layzensium animis, qui Turci iugum egre ferebant, ex- templo cum magno exercitu Savum traicit layzamque contendit quatuor dierum itinere a Savo remotam. Ad clarissimum facinus 322 iuueni animum addiderat diffusus rumor Pium pontificem ab urbe Roma universam in Turcos Europam suscitare. Quare primo im- petu ne obversantibus quidem oppidanis urbe potitur. Arx sola 323 supererat, quam Turcus cum validissimo presidio retinebat; hanc die noctuque oppugnare adoritur non modo loci natura, sed arte, milite, machina et commeatibus munitissimam. Dies noctesque 324 arte quavis et ingenio, preterea vi, prece doloque vexat. Arambechus tandem prefectus arcis colloquium regis petit; datur adeundi copia. Cum honorifice a rege exciperetur, aliquantis per utrinque sublicitum. Turcus tandem exorsus arcem ob rerum inopiam se redditurum 325

pollicetur, si abducendorum captivorum copia salvis corporibus et
impedimentis fiat; sin minus imperatorem propediem affuturum in-
terminatur. Respondit rex liberandorum captivorum gratia bellum 326
hoc nuper suscepisse et se ne minimum quidem famulum conces-
surum. Conventio tandem de ditione arcis transacta; Turcis data 327
potestas, quicunque sub rege stipendia facere vellent, commode
possent; qui nollent, tuto dimitterentur. Arambechus regem secutus 328
cum CC equitibus coronationem eius recentis victorie testimonio
decoravit. A Kalendis tandem Octobribus urbem ceperat, XVII. Ka-
lendas Ianuarias arce potitur. Eodemque tempore, ne ingrato hi- 329
bernare otio videretur exercitus, septem et XX circum finitima op-
pida recepit. Compositis in provincia rebus impositoque layze pre- 330
sidio servatoris nostri natalibus vitor ac ovans Budam ingressus
et cum ingenti senatus populique letitia ac plausu exceptus est.
Supplicationes diis immortalibus institute, apud omnes aras res
divina facta. Tantum hinc nominis Corvino regi comparatum, ut 331
non modo Pannones sacro diademe dignum, sed Veneti, ponti-
fices ceterique Christiane reipublice principes hunc unicum ad-
versus Turcos imperatorem creandum esse censerent.

Maumethes Othommanus audita layze captivitate, que illius 332
regni caput erat, usque adeo indoluisse dicitur, ut parum absuerit,
quin corde disrumperetur. Exercitum circiter triginta milium homi- 333
num mira celeritate comparavit; ante per sevitiam hiemis layze
succurrere nequiverat. Nunquam enim arcem tam cito captum iri
sibi persuaserat. Ad hec testudines, catapultas, arietes ac cetera 334
tale genus parat, sulphurea imprimis tormenta; nove munitionis
nullum genus omittit ac desidente hiberna vesania, cum primum
licuit, layzam oppugnare adoritur. Urbeculam Ungarorum presidio 335
munitam ariete aeneisque machinis, quas circum collocaverat, die
noctuque quassat, nunc tormentis territat diruitque, nunc nocturna
oppugnatione pertinacissime vexat. Nulla oppidanis requies datur, 336
quippe modo menia resarcire, modo interiore fossa, vallo aggereque
communire nituntur; mulieres et pueri militaria eque munia obeunt,
pro communi salute pari studio quisque decertat. At, ubi Maume- 337
thes sat murorum dirutum esse putat, aperto Marte civitatem capere
audet, preterea tot acies instruit pre multitudine copiarum, ut dies
tris pugnam continuare possit. Nam, antequam novissimi defecerint, 338
primi instauratis viribus prelium redintegrare facile poterant. Quare 339
ex omni parte urbem adoritur; non solum pervia, sed inaccessa
quoque loca milites tentare iubet; ipse a tergo instat, omnes ad
prelium hortatur, preter murales coronas ingentia militi premia
pollicetur, recuperandam layzam obclamat. Cum nihil Turcus ce- 340
perit, quod vi amiserit, patratum sociorum ignavia dedecus obiicit
ingeminatque, quod presenti virtute abolendum esse vociferatur.
Turci tanto impetu menia subeunt, ut multi pinnas vel muros 341
conscenderint, plerisque signa menibus imposuisse visi moxque ab
oppidanis reiecti sunt. Clarissimum Ungari facinus commemoratur, 342
qui, cum Turcum imperatoria signa turri imponere contendentem

suspiceret, correpto simul hoste se precipitem ex alto dedit, ut Corvina adhuc signa stare viderentur. Tanta cedes eo die facta est,³⁴³ ut fossas hoste complerint. Ex oppidanis multi cesi, saucii fere omnes. Mathias audita sevissima Layzensium obsidione Emericum Sepusiensem mox cum duabus legionibus accurrere iubet. Vir ille³⁴⁴ impiger ac strenuus non minus animo quam prudentia et astu prestans ocissime mandata peragit, nuncios multos premitit, qui rumeores differant Corvinum regem cum innumeroso exercitu prope diem affuturum. Sentit Turcus undique Ungaros propediem affuturos. Quotiens et quam infeliciter Amorates pater et ipse collatis signis cum Corvino duce pugnarit, memoria repetit. In repentinum subinde timorem coniicitur eumque auget recens et improvisa Mathie Victoria. Increbrescentibus deinde rumoribus de Corvini regis adventu, cum dudum affore nunciaretur, pre nimia trepidatione relicitis munitionibus, machinis et impedimentis in Macedoniam se recepit. Emericus sola fama civitatem acerrima obsidione liberavit.³⁴⁵ Instaurato mox presidio et obmunita layza ad coronationem, quam rex edixerat, festinavit. Hic tertie decadis finis erit.³⁴⁶

ANNOTATIONES CRITICAE.

corr.; *correctum* - *del.*: *deletum* - *om.*: *omittit*, -*unt* - *omn.*: *omnes* (*codex e et editiones*) - *ras.*: *rasura*

e: codex Cracoviensis. h: editio a. 1606. Hanoviae.
b: editio Brenneri a. 1543. Basileae. i: editio a. 1690. Coloniae Agrippinae.
[c: editio Helti a. 1565. Claudiopoli.] p: editio a. 1744. Posonii.
s: editio Sambuci a. 1568. Basileae. l: editio Caroli Andreae Bel a. 1771.
f: editio Sambuci a. 1581. Francofurti. Lipsiae.

o: b, s, f, h, i, p, l u: b, s, f, h, i, p k: b, f, h, i, p, l

De codice et editionibus, item de codicis et editionum affinitatibus v.
Introductionem in tomo I.

Scripturam codicis v. pagg. 226 -27. tom I. - E nominibus propriis ad
Scripturam attinentibus haec sola tria in Annotationes Criticas non assump-
simus: Bohemus] Bohemus, Boemus; Christus] Christus, Cristus; Elisabetha]
Elisabetha, Elizabetha, Elizabeththa, Helisabeta, Helisabeta, Heli-
zabeta in codice inveniuntur.

DECAS III.

LIBER I.] Tercie decadis rerum Ungaricarum liber primus e, Antonii Bonfinii rerum Ungaricarum decas tertia. Antonii Bonfinii rerum Ungaricarum decadis tertiae liber I. b, Antonii Bonfinii rerum Ungaricarum decadis tertiae liber primus s, Antonii (Ant. fhi) Bonfinii rerum Ungaricarum decas tertia. Liber primus shipl - 1. Ungarie, Polonie altera *om.* e. - 2. Adi(j)uga u - Adree e - 3. Cararia e - 5. Taru(v)isino k - 6. etiam] demum o - 7. Plavim l - lanotum e - Heturiam o - 8. Ferrebachum, c in corr. e, Ferrobrachium o - Heturiam o - 10. equitum *om.* e - Arentinum e - Guelforum, corr. fortasse ff e ph e - 11. XL-ta e, quadraginta o - 13. abeat e - 15. Ferebachumque e, Ferrobrachiumque o - 16. factionis o - Gebellinos e - 18. e apud nos men-
dum typogr. pro a - plebe] pede hip - Gebellini e - 19. Tuderno e - Gebe-
linorum, littera quarta e in corr. e - 20. Perebachus e, Ferrobrachius o - 21. centum o - 22. Andegavensis, Ande in ras. e - XXX-ta e, triginta o - desidit e - 23. Ferebachum e, Ferrobrachium o - 25. post] secundum o - Andegavio o - 26. Gualfis e - immisi e - Giballinis hip - 28. Andegavius o - 33. is *om.* l - in *om.* hip - 34. dirimeret] dimitteret e - 36. mari e - 37. naretur e - 38. Brandenburgensi o - 42. piia e - 43. non *om.* hip - materna] matijena e - illam hipl - 47. adductum e - 54. preferet e - 55. e] et hip - 57. infere e - 59. Zagabiensem o - waiwodam e - Transilvanum e, Transsylvania o - Symon-
thoru(v)iam bsphi - Corvacie e, Croaciae bsphi - ac] et o - Auronaequ e - 64. Hiis e - quoque] quidem e - 65. hii e - 69. Sypondum e - Neapolm e - 70. impetrata] imperata e - aloquitur o - 73. opporte (sic) e - 75. te *om.* e - usur-
patum uspartum e - 80. is] hiis e - attenuare e - 81. viris] juris e - 82. e corr. ex et e - demum *om.* e - 83. nobilium u, et nobilium l - nequit] nequid e - Phaeton e - excusa e - 84. vanae i - 85. me *om.* b - nunc venire me shipl - 88. Quod hip - 89. haber e - si *om.* e - Italiam o - 91. studio e - potuit *om.* e - 92. Gotos e - Nortmannos k - Arragonesque il - Saracenos *omn.* - possidetur e - 98. Hungaria e - 99. que] qui e - quoque] quidem e - 100. pollo e - altiore] arctiore k - forti] fori hip, fere l - sevi e - 103. pa-
candum i - 105. haereditarium tibi o - tantum tantum e - 107. divorum regum] et singulis e - Panoniasque e - 108. formidolosa semper o - 109. a]

